Digitized by Google

Ex leg.
D. VICTORIS TESTA
THEOL. COLL.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
A
I 218

Digitized by Google

DISSERTATIONES

PHILOLOGICO-CRITICAE

SINGVLAS PRIMVM

NVNC CVNCTAS

EDIDIT

CHRISTIANVS FRIEDERICVS SCHNVRRER

PROF. TVBINGENSIS

GOTHAE, APVD C. W. ETTINGERVM

AMSTELODAMI, APVD ROEDERVM ET SOC.

cIↄIↄccLXXXX.

Digitized by Google

(1)

Digitized by Google

INDEX.

I. De codicum hebr. vet. teſt. Mſtorum aetate difficulter determinanda. . . . P. 1.

II. Carmen Deborae, Judicum V. . . 36

III. Ad quaedam loca Proverbiorum Salomonis. 97

IV. Animadverſs. ad quaedam loca Pſalmorum. Faſcic. I. 119.

V. Animadverſs. ad quaedam loca Pſalmorum. Faſcic. II. 151.

VI. Ad Pſalmum X. . . 172.

VII. De Pentateucho arabico Polyglotto . . . 191.

VIII. Animadverſs. ad quaedam loca Jobi. Faſcic. I. 239.

IX. Animadverſs. ad quaedam loca Jobi. Faſcic. II. 260.

X. Pſ. LXVIII. . . . 285.

XI. Eſai XXVII. . . . 321.

XII. Chabacuc. III. . . . 343.

XIII. Obadias. . . 383.

XIV. Ezechiel. XXI. . . . 435.

XV. Pſalm. CVII. . . . 480.

Ad VII. de Pentateucho arab. Polyglotto Additamentum. 501.

Etsi ego, aliorum quam meae doctrinae amantior, dissertationibus in academia Tubingensi subinde, ut muneris ratio ferret, a me in lucem editis haud multum vel tribuam, vel tribuere possim; tamen quod essent, qui suaderent, ut easdem denuo, uno volumine comprehensas, vulgarem, nolui vel illis vel mihi deesse; cum accederet etiam bibliopolae ad sumtus faciendos facilitas. Sed prodeunt fere tales, quales antea erant, nullis vel nonnisi levissimis mutationibus factis: non quod putarem, perfectas eas esse et absolutas, sed

 quod

quod sperarem fore, ut, quae antea nonnihil placuissent, neque nunc prorsus displiceant. Nactae tamen passim, ne nihil plane novi haberent, sunt accessionem aliquam, eamque, ut a reliquis distincta esset, uncinis circumscriptam, veluti duplicem praefationem versionis pentateuchi samaritano - arabicae, ex libris regiis Parisinis, subjunctam alteram dissertationi de pentateucho arabico pag. 236. alteram, quod serius ad me pervenisset, extremo demum loco additam pag. 501. quam si intelligentibus haud ingratam esse cognovero, magnopere laetabor, magis etiam laetaturus, si versionis ipsius justa et perfecta cognitio ex libris illis regiis posthaec nobis obtigerit.

Superest, ut de erroribus typographicis, nulla mea culpa admissis, lectorem praemoneam. In arabicis litterae passim minus apte concinnatae sunt, quod ferendum est: vitia autem, minus ferenda, quae sublata velim, sunt fere haec:

pag.

pag.	1 lin.	antep.	pro	factum, id eſt	leg.	factum id eſt
— 5	—	13	—	permanſiſſie	—	permanſiſſe
— 7	—	4	—	caractere	—	charactere
— 17	—	3	—	1559	—	159
— ib.	—	25	—	*Abraham:*	—	*Abraham*
— 19	—	13	—	millenarus	—	millenarius
— 20	—	15	—	SBHIEDIVS	—	SCHIEDIVS
— 26	—	12	—	vendicare	—	vindicare
— 28	—	6	—	Quo	—	Quae
— 30	—	25	—	quintengeſimum	—	quingenteſimum
— 48	—	21	—	וְקעו	—	וקעו
— 49	—	2	—	גְאִין	—	גְאִין
— 51	—	13	—	vox.	—	vox
— ib.	—	23	—	לחטית מרון	—	להמות מרין
— 55	—	17	—	מחוצבים	—	מחוצצים
— 59	—	antep.	—	ut pro (שביך	—	ut pro שביך
— 60	—	20	—	ידד	—	ירד
— 61	—	17	—	אן	—	או
— 63	—	31	—	ירדו	—	ירדף
- 76	-	19	-	qnae, faveret	-	quae faveret
- 91	-	pen.	-	Kischon	-	Kischon
- 96	-	18	-	primariarium	-	primariarum
- 112	-	12	-	כְּפֵּנֶק	-	מַפֵּנֶק
- 121	-	22. 23	-	lirariorum	-	librariorum
- ib.	-	not. *)	-	*necnunc*	-	*ne nunc*
- 167	-	2	-	[illegible]	-	[illegible]
- ib.	-	22	-	بنعسه	-	بنفسه
- 176	-	3. ſs.	-	adde: conſenſus		
- 179	-	11	-	אתהעם	-	את העם
- 201	-	14	-	هذة	-	هذه
- 204	-	10	-	*Aub*	-	*Abu*
- ib.	-	ult.	-	addictiones	-	additiones
- 206	-	9. 10	-	في المعاذل	-	في وجه المعاند
- ib.	-	ult.	-	المُكرّر	-	المُكرّر
- 207	-	1	-	النص	-	في النصّ
- ib.	-	3	-	ياللفظ	-	باللفظ
- 208	-	12. 13	-	واحال تفصيل	-	واحال على تفصيل
- ib.	-	13	-	reditue	-	reditque
- 211	-	12	-	*episheto,*	-	*episheto*

pag.	lin.	pro	leg.
211	ult.	كغولة	وكغولة
214	ult.	*Jehovae.*	*Jehovae,*
215	8	جرعة	جرعة
217	14	بالحبرة	بالحمرة
221	2	علم	من علم
222	1	السن	ألسن
223	1	ظرق	طرق
224	18	فهبة	فهمة
227	23	eſt ve —	eſt
228	18	probaverunt.	probaverunt." *)
232	9	ويجب مكان علي ما اسن 43)	ويجب اسن 43) مكان علي ما
236	9	regis	regio
237	14	ABI'L SAID	ABI SAID
238 n.	4·6	efflagitavit — —·— ſcribam,	adegit me neceſſitas ad concinnnandam hanc editionem, cum eo quod praecedit, et quod deinceps ſcribam,
242	10.11	voces erant ſic ponendae:	האיחל אם אין
248	10	2 Sam. XIII,	2 Sam. XVIII,
258	8	Arabibus *)	Arabibus 16)
263	14	חִטָּה	הִטָּה
267	27	ut ſi	ut ſic
ib.	28	*perdere,*	*perdere.*
269	7	על־־שדי	על־שדי
273	5	*lupatus*	*lupus*
ib.	25	ſive Deo	ſive, Deo
274	8	XVI. 30	XVI. 26
283	3	ſi	ſic
293	10	quo	quod
ib.	26	ועל באהל	ועל מנשים באהל
294	2	e vulgato	a Vulgato
295	17	Vers. 25	Vers. 15

pag. 298.

pag.	lin.	pro	leg.
298	13	ق	ق
299	13	Pingues	pingues
306	4	lumbat	lambat
310	10. 11	ſit, ut ut multis	ſit, ut multis
312. not. *) lin. 4.		*Primo*	"*Primo*
314 not. lin. 4.		manifeſti	manifeſte
ib. not. lin. ult.		veteres.	veteres."
339	25	magno	magna
340	11	*murrus*	*murus*
347	23	הַיָּה	חַיָּה
350	17	כסה — — — פארן	פארן כסה — — —
ib.	23	Zinai	Sinai
351	22	(vid.)	(vid.
352	11	transferenda	vel transferenda
ib.	17	מְיָדוֹ	מִיָּדוֹ
361 not. *)		focum	locum
365	27	fulminum	fulminum: atque adeo fulminum
366	4	Atquae	Atque
ib.	24	eo	ea
372	antep.	pag. 11.	pag. 47.
373	13	varietate	veritate
376	6	[illegible]	[illegible]
385 not. 2)		Pedit. etav.	edit. Petav.
386	22	ipſius	Jehovae ipſius
388	15	eundo.	eundo,
ib.	23	idem valet	idem valet quod
391	17	اححاء	احجاء
392	5	aſylum. Hinc	aſylum; hinc
398	3	وبغي	وبغي
ib.	13	تقول i. e. كما	كما تقول
ib.	24	qui	quid
400	6	cum in	cum nec in
ib.	12	interpretis	interpreteris
ib.	27	נויר	מוור
401	17	codices	codicis
402	29	duas	dicas
403	12	ex Jeremia cap.	ex Jeremia illud conſtat, cap.
404	26	יחודה	יהודה
405	4	verbis	rebus
407	20	Michae XI.	Michae VI.
ib.	21	צמי	עמי

pag.	410	lin.	22	pro	novis	leg.	nobis
ſ	412	ſ	1	ſ	لغي	-	لغي
ſ	ib.	ſ	22	ſ	لغي	-	لغي
ſ	413	ſ	5	ſ	يلغو	-	يلغو
ſ	ib.	ſ	8	ſ	يَلّغي	-	يَلْغي
ſ	ib.	ſ	13	ſ	قولي	-	قوله
ſ	ib.	ſ	20	ſ	Job. VI. 5	ſ	Job. VI. 3
ſ	415	ſ	11	ſ	quid	ſ	qui
ſ	418	ſ	7	ſ	comumni	ſ	communi
ſ	419	ſ	30	ſ	pictoribus	ſ	victoribus
ſ	ib.	ſ	34	ſ	communes moresque	ſ	communes ritus moresque
ſ	420	ſ	3. 11.	ſ	regionis	ſ	religionis
ſ	424	ſ	24	ſ	48) MICHAELIS, 49)	ſ	b. MICHAELIS, 48)
ſ	ib.	ſ	ult.	ſ	nequit	ſ	admittere nequit
ſ	425	ſ	5	ſ	valle 50)	ſ	valle 49)
ſ	ib.	ſ	7	ſ	queant	ſ	queat
ſ	427	ſ	20	ſ	cap. XVIX	ſ	cap. XLIX.
ſ	428	ſ	2. 3	ſ	legendum ſic:	ſ	שמועה שמענו מאת יהוה וציר בגוים שלח
ſ	429	ſ	ult.	ſ	על־בל־הגיים	-	על־כל־הגוים
ſ	431	ſ	11	ſ	cap. VLII.	ſ	cap. XLII.
ſ	ib.	ſ	pen.	ſ	ad vers. expoſuimus,	ſ	ad vers. 11 expoſuimus,
ſ	433	ſ	19	ſ	*abducentbius*	ſ	*abducentibus*
ſ	436	ſ	15	ſ	Limchi	ſ	Kimchi
ſ	ib.	ſ	9 in nota:		סגה	-	סכה
ſ	ib.	ſ	11 in not.		ואפתק	-	ואתפק
ſ	438	ſ	7	ſ	תרגמח	-	תרגמה
ſ	441	ſ	11	ſ	תנחר	-	תנהד
ſ	ib.	ſ	12	ſ	אלחקון	-	אלחקין
ſ	ib.	ſ	16	ſ	והר	-	והו
ſ	ib.	ſ	19	ſ	כאינח	-	כאינה
ſ	ib.	ſ	17. 19. 21	ſ	pro tumesce — tumescas — tumescis	ſ	ingemisce — ingemiscas — ingemiscis

ſ ib. not. 4) adde: [Utitur tamen Saadias quoque verbo تنهد Exod. 2, 23 et Eſai. 35, 10.]

ſ 442 not. 7 السلطا ني - السلطاني

pag.

pag. 443	lin.	5	pro	יצ	leg.	יא
„ 444	„	2	„	אדרתי	-	ארדתי
„ ib.	„	6	„	בְּסן	-	בן
„ ib.	„	20	„	אצטזלאכ	-	אצטגלאב
„ ib.	not.	18	„	اجالا	-	اجلا
„ 446	„	10	„	docec	„	dŏnec
„ ib.	-	14	„	מסל ול	-	מסלול
„ ib.	„	17. 18	„	gladius ſtrictus	„	gladius, et quis gladius, ſtrictus
„ ib.	„	20	„	דדהא	-	ררהא
„ ib.	„	23	„	ואספך	-	ואספך
„ 447	„	13	„	sgeant.	„	egeant.
„ 448	„	4	„	nam de hominibus	„	nam de arboribus, non hŏminibus
„ ib.	„	28	„	מדשיהם	-	מקדשיהם
„ 450	„	ult.	„	הק	-	חק
„ 451	„	19	„	אלהרס	-	אלחרס
„ 452	„	9	„	eſſe hoc	„	eſſe in hoc
„ 453	not. 4)		„	met itrical	„	metrical
„ 455	„	6	„	مِنسة	-	مِنسة
„ ib.	„	8	„	نستت	-	نسست
„ ib.	„	10	„	هنزي	-	هنزت
„ 457	„	9	„	אלאסתעאנח	-	אלאסתעאנה
„ 458	„	18	„	Schoerdervs	„	Schroedervs
„ ib.	„	24	„	מְגרְרֵי	-	מְגדְרֵי
„ 459	„	3	„	non nihil	„	nos nihil
„ ib.	„	27	„	יהוה	-	יהיה
„ ib.	„	antep.	„	בוּחן	-	בוחן
„ ib.	„	pen.	„	ילא	-	ולא
„ 460	„	28	„	הַחְרָֽת	-	הַחְרֶת
„ ib.	„	30	„	ܙܒܠܟܡܗܘܢ	-	ܕܒܠܟܡܗܘܢ
„ ia.	„	ult.	„	quo verbi הרר	„	quod verbi חרד
„ 461	„	14	„	בהסב	-	בחסב
„ ib.	„	19	„	פי אלגו אלגו אלאול	-	פי אלגו אלאול

pag.	463	lin.	10	pro	ينصعني	leg.	ينصغني
"	ib.	"	ult.	"	אסתחר	-	אסתאחר
"	464	"	3	"	*quam*	"	*quum*
"	ib.	"	ult.	"	יא ילא אר אלגחאת	-	אי אלי אי אלגהאת
"	466	"	11	"	אכתאר	-	אכ̇תאר
"	467	"	17	"	Muhamedes	"	Muhammedes
"	470	"	21	"	עבר	-	עבר
"	475	"	15	"	לא	-	אל
"	ib.	"	20	"	ei	"	et
"	496	"	6	"	*Mochazo*	"	*Mochuzo*
"	500	"	17	"	מו	-	מי
"	501	"	ult.	"	الغيوي	-	الغيومي
ib.	nota (a) adde: vid. etiam ſupra, pag. 221.						
"	504	"	14	"	de la	"	*de la*
"	ib.	"	21	"	et in biblio- thecae catalo- go edito,	"	et in bibliotheca ipſa et bibliothecae cata- logo edito,

DIS-

DISSERTATIONES
QUAE SEQUUNTVR
SUNT HAE:

I de codicum hebr. vet. teſt. mſs. aetate difficulter determinanda - - - pag. 1
edita primum 1772.

II ad carmen deborae Judicum V - 36
1775.

III ad quaedam loca proverbiorum Salomonis 1776. - - 97

IV ad quaedam loca pſalmorum. faſcic. I. 119
1777.

V ad quaedam loca pſalmorum. faſcic. II. 151
1778.

VI ad pſalmum X. - - - - 172
1779.

VII de pentateucho arabico polyglotto 191
1780.

VIII ad quaedam loca Jobi. faſcic. I. 239
1781.

a 5 IX

IX ad quaedam loca Jobi. fascic. II. 260
1782.
X ad pſalmum LXVIII. - - - 285
1784.
XI ad Eſaiae XXVII. - - - 321
1785.
XII ad carmen Chabacuci, cap. III. - 342
1786.
XIII ad Obadiam - - - - 383
1787.
XIV ad Ezechiel. XXI. - - - 435
1788.
XV ad pſalmum CVII - - - 480
1789.

I.

INDEX LOCORVM

ILLVSTRATORVM ET ILLVSTRANDI CAVSA ALLATORVM.

Geneſeos

Cap.	pag.
I.	229
- 11. ſq.	498
II, 7	187
- 21	308
III, 1	273
- 18	ibid.
- 19	187
VIII, 22	102
IX, 12	233
X, 3	326
XII, 6	233
- 20	359
XV, 9	303
- 12	308
XVI, 5	260. 327
XVII, 5	389
XVIII, 16	399
XXII, 14	233
XXIV, 22	234
- - 30	ibid.
- - 55	101
XXVIII, 12	365
XXXI, 26	234
- - 36	174
- - 40	102
XXXII, 12	123

Geneſeos

Cap.	pag.
XXXVI, 11	402
- - 15	ib.
- - 34	ib.
XXXVIII, 8	255
XLII, ſs.	232
- - 22	276
XLVI, 8	232
XLIX, 4	235
- - 19	377

Exodi

Cap.	pag.
I, 10	253
II, 23	192
III, 5	291
IV, 21	238
- - 22	456
- - 23	ibid.
XI, 12	115
XII, 15	101. 129
- - 19	ibid.
- - 48	475
XIV. -	374
- - 24	77
XV, 9	374
- - 20	293

Cap.

Index I.

Exodi

Cap.	pag.
XVI, 4	292
- - 33	101
XVII, 6	363
- - 13	63
XIX, 16 ſs.	350. 43. 291
XXIV, 13	298
XXVII, 3	101
XXX, 18	68
XXXII, 22	179
XXXIV, 29.	352
XXXV, 22	123
XXXVIII, 3	101

Levitici

Cap.	pag.
II, 6	74
XI, 23	352
XII, 13	263
XIV, 2	263
- - 8	101
- - 19	ib.
XVIII, 25	270
- - 28	ibid.
XX, 4	173
XXV, 23	186

Numerorum

Cap.	pag.
VI. 13	263
- - 17	133
X, 12	350
- - 35	286
- - 33	350
XIII, 26	351
XVI, 4	192
XVII, 28	144
XX, 11	363
- - 14	44

Numerorum

Cap.	pag.
XX. 16	351
XXI, 4	44
- - 21	292
- - 22	ib.
XXII, 8	88
XXXI, 2	101
XXXII,	294
- - 1	69

Devteronomii

Cap.	pag.
VI, 7	53
- - 14	132
VII, 7	56
IX, 21	335
- - 29	292
XVI, 18	42
XVII, 18	241
XXIV, 20	339
XXVII, 19	263
- - 24	192
XXIX, 22	497
XXXI, 19	192
XXXII, 17	48
- - 27	71
- - 42	42. 360
XXXIII, 2	350
XXXIV, 10	192

Joſuae

Cap.	pag.
III, 17	143
IV, 1	143
- - 11	ibid.
VI, 5	66
X. –	297. 364
- - 10	77
XIV, 7	88
XV, 19	471

Jud.

Index I.

Judicum

Cap.	pag.
II, 1	82. 276
- - 18	56
IV. --	57. 64
- - 4	82
- - 6	67. 76
- - 10	68
- - 13	61. 76
- - 14	59. 62. 68. 73
- - 15	77
- - 19	83. 84
- - 21	82
- - 22	86
V. -	36 ſs. 89. ſs.
- - 2	40. 50
- - 3	43. 58
- - 4	43. 350. 367
- - id. ſs.	291
- - 5	43
- - 6	45
- - 7	45
- - 8	48. 50
- - 9	49
- - 10	51
- - 11	47. 53
- - 12	58
- - 13	58. 60
- - 14	50. 62
- - 15	50. 67
- - 16	69. 295
- - 17	71
- - 18	72
- - 19	74
- - 20	74 366
- - 21	77
- - 22	79
- - 23	81. 276
- - 24	82. 293
- - 25	83

Judicum

Cap.	pag.
- - 26	84. 253
- - 27	85
- - 28	86
- - 29	ibid.
- - 30	ib.
- - 31	89
VI, 2	180
- - 33	63
VII, 12	63
IX, 24	327. 404
- - 48	297
XI. 34	293
XII, 1.	123
- - 15	64
XIV, 4	116
XV, 8	123
XXI, 22	471

I Samuelis

Cap.	pag.
I, 17	269
II, 5	470
- - 6	ibid.
VII, 2	377
- - 10	77
XII, 3	173
XV, 19	89
XVII, 34	457
- - 53	174
XVIII, 6	293
- - 7	ib.
- - 25	132
XXII, 15	241
XXV, 27	101. 129
XXXI, 8	86
- - 9	129

II Sa.

II Samuelis

Cap.	pag.
I, 20	293
- - 22	42
III, 11	88
IV, 10	101. 129
V, 17	377
- - 19	ibid.
VI, 12. ſſ.	286
- - 15	302
VII, 19	263
VIII, 6	310
- - 11	ib.
XIII, 39	119
XVI, 12	260. 327
XVIII, 3	278
- - 12	283
- - 22	248
- - 23	ibid.
XIX, 7	176. 283
- - 22	280
XXII, 15	54
XXIII, 1	161
XXIV, 13	88

I Regum

Cap.	pag.
V, 11	112
- 25	ibid.
VII, 45	451
IX, 26	482
X, 22	ib.
XII, 16	88
XVII, 10	303
XVIII, 3	383
XIX, 12	495
XXII, 34	183
- - 49	482

II Regum

Cap.	pag.
VIII, 11	464
XIX, 30	498
- - 35	375
XXV, 19	67

I Chronicorum

Cap.	pag.
IV, 41	150
XV, -	286
- - 3	301. 308
- - 28	301. 302
XVI, 34-36	484

II Chronicorum

Cap.	pag.
XVII, 7	383
XX, 7	170
XXVI, 11	67
XXXII, 31	276
XXXIV, 12	384

Esrae

Cap.	pag.
VI, 12	457

Eſtherae

Cap.	pag.
VII, 6	461

Jobi

Cap.	pag.
I, 8	280
II, 3	280. 278
- - 11	251
IV, 13	491
- - 17	239. 240. 279
- - 18	239. 240. 241
- - 19	240. 241

Jobi.

Jobi Cap.	pag.	Jobi Cap.	pag.
IV, 20	240, 241. 262	- - 25	188
- - 21	240. 241	XV, 10	250
V, 3	63	- - 13	ibid.
VI, 3	412	- - 20	ibid.
- - 5	413	XVI, 5	251
- - 11	242	- - 17	277
- - 12	ibid.	XVII, 3	262
- - 13	242	- - 14	165
- - 14	ibid.	- - 16	252
- - 16	102	XVIII, 5	258
- - 21	269. 414	- - 6	ib.
VIII, 8	250	- - 15	100
IX, 11	246	XIX, 3	273
- - 19	243	XX, -	257. 258
- - 20	244	- - 10	254
- - 21	245	- - 17	69
- - 22	ibid.	- - 19	255
- - 34	274	- - 20	256
- - 35	ibid.	- - 21	ibid.
X, -	261	- - 24	85
- - 6	116	XXI, 13	267
- - 7	277	- - 16	257 358
- - 9	187	- - 17	258
- - 21	125	- - 18	ibid.
XI, 5	328	- - 19	ibid.
- - 10	246	- - 20	ibid.
- - 11	246. 247. 269	- - 21	259
- - 12	246. 247	XXII, 26	269
XII, 12	250	- - 28	265
XIII, 6	275	XXIII, 2	260
- - 13	247	- - 5	261
- - 14	248	- - 6	ibid.
- - 15	ibid.	- - 7	262
- - 16	248. 249. 268	- - 12	ibid.
- - 18	274	XXIV, 4	51
- - 19	ibid.	- - 12	264
- - 22	247	- - 13	265
- - 23	258	- - 14	266

Jobi

Cap.	pag.
XXIV, 18	266.267
- - 19	266
- - 20	ibid.
- - 21	267
- - 22	ibid.
- - 23	ibid.
- - 24	ibid.
XXVI, 13	322
XXVII, -	268
- - 7	268
- - 8	ibid.
- - 9	268.269
- - 10	ibid. ibid.
- - 19	269
- - 22	270
- - 23	ibid.
XXVIII, 10	363
- - 12	366
XXIX, 2	328
- - 22	447
XXX, 1	250
XXXI, 3	407
- - 26	351
- - 29	135
XXXII, 11	130
- - 21	273
- - 22	270
XXXIII, 6	274
- - 7	ibid.
- - 9	72
- - 13	275
- - 16	276
- - 23	275
- - 24	ibid.
XXXIV, 6	260.277
- - 11	278
- - 12	ibid.
- - 13	ibid.

Jobi

Cap.	pag.
XXXIV, 14	278.279
- - 15	187
- - 16	279
- - 17	ibid.
- - 18	ibid.
- - 19	ibid.
- - 20	ibid.
- - 21	ibid.
- - 22	ibid.
- - 23	262.280
- - 24	281
- - 26	280
- - 27	275
- - 29	280
- - 30	281
- - 31	282
XXXV, 1 ſſ.	282
- - 2	169
- - 3	284
- - 9	282
- - 10	283
- - 11	112.283
- - 12	283
- - 13	ibid.
- - 14	284
XXXVIII, 7	74
- - 12	366
- - 17	252
- - 37	54
- - 39	183
- - 40	182.183
XXXIX, 11	185
XLII, 11	251

Pſalmorum

Pſ.	pag.
I, 3	303
II, 6	298

Pſalm.

Index I.

Pſalmorum

Pſ.	pag.
II, 12	68
IV, 1	379
V, 4	181.
- - 10	107
VI, 1	379
VII, 1	346
IX, 3	378
- - 10	173
- - 14	152
X.	172. 188.
- - 1	173
- - 2	ibid.
- - 3	174
- - 4	175
- - 5	177
- - 6	178
- - 7	179
- - 8	180
- - 9	182
- - 10	183
- - 11	176. 184
- - 12	184
- - 13	175
- - 14	181. 184
- - 15	185
- - 16	172. 186. 188
- - 17	187
- - 18	ibid.
XI, 6	258
XVI, 2	119
- - 3	124. 136
- - 4	131
XVII, 10	151
XVIII, 10 ſs.	289
- - 12	353
- - 15	54. 77 367
- - 16	372
- - 19	352
- - 34	169. 379
- - 51	161

Pſalmorum.

Pſ.	pag.
XIX, 5	366
- - 14	143
XX, 7	161
XXII, 7	80. 118
- - 30	254
- - 32	115
XXV, 16	289
XXVIII, 8	161. 369
- - 9	292
XXXII, 6	134
- - 8	138
- - 9	137
XXXIII, 9	493
XXXIV, 1	274
- - 3	298
XXXVI, 3	107
- - 7	299
XXXVII, 4	2 9
- - 7	303
- - 31	376
- - 32	181
XLII.	161
- - 5	170. 308.
- - 6	119
- - 7	170
XLIII.	161
- - 5	119
XLIV, 2	158
- - 5	310
- - 9	174
- - 16	178
- - 20	323
XLV, 5	303
XLVI, 7	316
XLVII, 6	302
XLVIII, 7	169
- - 8	155
- - 9	335
LI, 5	178
- - 18	243

Index I.

Pſalmorum

Pſ.	pag.
LV, 5	414
- - 7	169
- - 12	304
- - 16	140
LVIII, 11	305
LXI, 1	380
LXIII, 10	125
LXIV, 7	142
- - 8	146
- - 9	ibid.
LXV, 5	371
LXVI, 7	181
- - 15	147
LXVIII.	317. 285
- - 2	286
- - 3	287
- - 4	ibid.
- - 5	ibid.
- - 6	289
- - 7	ibid.
- - 8	290. 367
- - 9	290
- - 10	291
- - 11	292. 295
- - 12	292. 307. 362
- - 13	293
- - 14	294
- - 15	295
- - 16	298
- - 17	299. 302
- - 18	300. 306
- - 19	302
- - 20	303
- - 21	304
- - 22	304. 371
- - 23	305
- - 24	ibid.
- - 25	306
- - 26	ibid.

Pſalmorum

Pſ.	pag.
LXVIII, 27	307
- - 28	308
- - 29	309
- - 30	310
- - 31	ibid.
- - 32	315
- - 33	316
- - 34	ibid.
- - 35	ibid.
- - 36	ibid.
LXXII, 8	490
- - 17	111
LXXIII, 7	153
- - 20	264
LXXIV, 13	373. 322
- - 14	322. 373
LXXV, 2	157. 158
- - 3	156
- - 4	158
- - 5 ſs.	ibid.
- - 9	411. 414
- - 10	158
- - 11	ibid.
LXXVII, 17	357. 365
- - 18	365. 367
- - 19	366
LXXVIII, 20	292
- - 23 ſq.	ibid.
- - 28	ibid.
- - 40	258
LXXX, 10	63
LXXXI, 6	371
- - 11	158
LXXXIV, 1	316
- - 4	160
- - 7	68. 163
- - 10	161
LXXXV, 6-8	348
LXXXVII, 1	147

Pſal-

Index I.

Pſalmorum

Pſ.	pag.
LXXXVII, 2	148
LXXXVIII, 7	165
- - 19	164
LXXXIX, 13	489
- - 45	457
- - 51	404
XCII, 9	177
XCIV, 5	292
- - 17	253
XCV, 8	152
CII, 14	157
- - 18	166
CIII, 5	169
- - 15	ibid.
CIV, 29	187
- - 30	278. 492
CV, 15	369
- - 31	493
- - 40	292
CVI, 1	484
- - 21	490
- - 45	176
- - 47	484
- - 48	ib.
CVII.	480. 485
- - 2-9	480. 483
- - 2	489
- - 3	ibid.
- - 4	490
- - 7	ibid.
- - 10-16	480. 481
- - 10	481. 490
- - 11	482
- - 15	ibid.
- - 16	491
- - 17-22	480. 483
- - 17	481. 482. 491
- - 18	252
- - 20	492
- - 21	481

Pſalmorum

Pſ.	pag.
CVII, 23-32	480. 483
- - 23	481. 492
- - 24	492
- - 25	492. 493. 495
- - 27	493
- - 29	495
- - 30	ibid.
- - 31	481
- - 33-43	480. 483
- - 33	496
- - 34	491. 497
- - 35	498
- - 37	ibid.
- - 39	ibid.
- - 40	490. 499
- - 41	499
- - 42	500
- - 43	ibid.
CIX, 24	450
CX, 3	169
- - 6	304. 371
CXIII, 9	289
CXV, 17	253
CXVIII, 3	489
- - 4	ibid.
CXIX, 113	491
- - 131	159
CXXIII, 4	301
CXXIV, 4	470
CXXVI, 2	500
CXXXI.	168. 169
CXXXII, 5	316
- - 8	ibid.
CXXXVII, 5	119. 121
- - 7	406
CXXXIX, 3	53
CXLI, 8	49
CXLII, 4	170
CXLIII, 3	165

Pſalmorum

Pſ.	pag.
CXLIV, 6	54. 77. 367
CXLVI, 4	187
CXLVIII, 14	170

Proverbiorum

Cap.	pag.
I, 11	181
- - 17	98
- - 18	181
- - 25	40
II, 16	107
V, 18	307
VIII, 6	48
IX, 11	241. 279
X, 1	118
- - 8	106
- - 13	107
XII, 21	112
XV, 20	117
XVI, 26	274
XVIII, 1	114
XIX, 4	115
XX, 3	117
- - 4	56
- - 25	412. 414
- - 30	393
XXI, 28	241
XXII, 22	180
XXIII, 24	129
- - 28	182
XXIV, 27	100
XXV, 4	334
- - 33	101
XXVI, 23	103. 417
XXVIII, 3	180
- - 14	152
- - 16	106
- - 21	247
- - 23	107
- - 27	173

Proverbiorum

Cap.	pag.
XXIX, 3	267.
- - 5	107
- - 13	179
- - 21	110
XXX, 6	277
- - 27	108
XXXI, 8	85

Eccleſiaſtae

Cap.	pag.
III, 20	187
IX, 4	129
XII, 7	187

Cantici

Cap.	pag.
VIII, 1	328

Eſaiae

Cap.	pag.
I, 4	132
- - 12	314
- - 15	173
V, 9	169
- - 13	173
- - 24	417
VI, 2	352
VIII, 8	364. 372
X, 1	49. 70
- - 2	51
- - 9	370
- - 10	169
- - 33	470
XIV, 6	314
- - 24	169
XV, 1	396
XVI, 2	337
XVII, 8	336
XIX, 6	310
XXI, 3	156. 169 450

Eſaiae

Cap.	pag.
XXII, 6	358
- - 16	177
XXIII, 1	459
XXIV, 5	85
XXVII.	321. 340
- - 1	322
- - 2	325. 328
- - 3	326. 328. 388
- - 4	327
- - 5	329
- - 6	63. 330
- - 7	331
- - 8	332. 333
- - 9	335
- - 10	337
- - 11	337. 338
- - 12	339
- - 13	ibid.
XXX, 28	372
XXXII, 1	129
- - 12	325
- - 16	177
XXXV, 3	450
- - 6	497
- - 7	ibid.
- - 9	437
XXXVII, 16	459
- - 28	53
XXXVIII, 10	252
XLI, 8	170
- - 18	496. 497. 498
- - 19	497. 498
XLII, 7	490
- - 8	131
- - 17	132
- - 21	125
XLIII, 1	347
- - 20	497
- - 27	276
XLIV, 2	347

Eſaiae

Cap.	pag.
XLIV, 5	271
- - 24	347
XLV, 2	491
- - 4	272
- - 11	347
XLVIII, 1	307
- - 9	279
- - 11	131
XLIX, 26	185
LI, 1	475
- - 17	414
LIII, 3	80. 118
- - 8	163
LV, 6	135
LVII, 20	281
LVIII, 14	269
LXIII, 3	314

Ieremiae

Cap.	pag.
I, 10	276
II, 6	283
- - 8	ibid.
- - 24	163
IV, 2	174
- - 11	335
- - 19	119
VI, 11	159
- - 17	129
- - 19	101
- - 25	458
VII, 33	354
VIII, 15	461
- - 16	80
IX, 1	328
- - 10	325
XIII, 24	335
XV, 3	306
- - 16	159
- - 18	277

Ieremiae

Cap.	pag.
XVII, 6	166
XVIII, 3	244
- - 12	459
- - 15	461
- - 17	335
XXV.	428. 429. 431
- - 1	428
- - 9	409. 411
- - 13	409. 429
- - 15	409. 414. 428
- - 18	409. 429
- - 19	431
- - 26	429
- - 29	410
- - 38	182
XXVI, 2	403
- - 26	431
- - 44	421
XXVIII. 10	449
- - 16	115
XXIX, 15	365
XXXIII, 4	457
- - 11	489
- - 13	421
XXXVII, 2	403
XXXVIII, 22	399
XXXIX, 5	471
XLI, 1	ib.
XLII, ſs.	431
XLIV, 18	144
XLVI.	428. 429. 430
XLVII.	428. 431
- - 3	80
XLVIII.	428
- - 36	371
XLIX.	427. 428
- - 2	417
- - 7	386
- - 9	395
- - 12	410

Ieremiae

Cap.	pag.
XLIX, 14	387. 388
- - 15	389
- - 16	428
L.	428
- - 3	377
- - 11	80
LI.	428
- - 35	260. 327
- - 51	449
- - 57	316
LII, 4	468

Threnorum

Cap.	pag.
I, 1	380
- - 14	371
III, 6	165
- - 22	144
- - 24	119
- - 35	263
IV, 3	325
- - 19	174
- - 21	406
- - 22	ibid.

Ezechielis

Cap.	pag.
II, 4	152
- - 8	159
- - 9	ibid.
III, 7	152
V, 13	465
VI, 11	462
VII, 7	157
- - 12	ibid.
- - 17	450
- - 18	448
XVI, 3	475
- - 37	123
- - 42	465
XVII, 10	335

Ezechie-

Ezechielis

Cap.	pag.
XVII, 17	458
- - 24	448. 470
XVIII, 18	180
XIX, 12	335
XX, 28	462
- - 37	112
XXI.	435. 476
- - 1	447
- - 2	ibid.
- - 3	448
- - 5	ibid.
- - 7	448. 316
- - 8	449
- - 11	ibid.
- - 12	450
- - 13	ibid.
- - 14	ibid.
- - 15	451. 463. 473
- - 16	456
- - 17	457
- - 18	458
- - 19	460
- - 20	461
- - 21	463
- - 22	465
- - 23	ibid.
- - 24	ibid.
- - 25	ibid.
- - 26	465. 466
- - 27	467
- - 28	468
- - 29	469
- - 30	470
- - 31	470. 474
- - 32	471
- - 33	472
- - 34	474
- - 35	ibid.
XXII, 4	452

Ezechielis

Cap.	pag.
XXII, 26	173
XXIII, 23	473
- - 49	452
XXIV, 7	290
- - 8	ibid.
- - 13	465
XXV, 1-7	472
XXVI, 4	490
- - 14	ibid.
XXVII, 26	156
XXIX, 3	310. 322. 324
- - 4	310
XXXI, 18	125
XXXII, 2	310. 312. 322
- - 3	310. 324
- - 18	125
XXXV.	406
- - 10	458
- - 15	416. 471
XXXIX, 4	354
- - 17	ibid.

Danielis

Cap.	pag.
IX, 5	471
XI, 10	364
- - 40	ibid.

Hoſeae

Cap.	pag.
II, 3	173
- - 5	ibid.
IV, 12	267
VI, 9	437
X, 7	266
- - 8	335
- - 10	154
XI, 1	358. 456
- - 6	253
- - 9	264
XIII, 15	335

Ioelis

Cap. — pag.
IV, 17 — 416
- - 19 — 404. 406

Amoſi

Cap. — pag.
I, 11 — 350. 406
- - 12 — 350
III, 15 — 123
V, 3 — 337
VII, 16 — 447

Obadiae

Cap. — 383. 427. 432
vers 1 — 386
— 2 — 389
— 3 — 390
— 4 — 392
— 5 — 394
— 6 — 397
— 7 — 399
— 8 — 350. 398. 401
— 9 — 350, 402
— 10 — 404. 411
— 11 — 405. 431
— 12 — 406
— 13 — 406. 407
— 14 — 408
— 15 — ibid.
— 16 — 409
— 17 — 416
— 18 — 417
— 19 — 420
— 20 — 423
— 21 — 427

Ionae

Cap. — pag.
IV, 8 — 335

Michaè

Cap. — pag.
I, 4 — 42

Michae

Cap. — pag.
I, 8 — 323. 325
- - 11 — 315
II, 6 — 447
VI, 16 — 407

Nahumi

Cap. — pag.
II, 2 — 450
- - 11 — ibid.
III, 2 — 80
- - 3 — 367
- - 14 — 314

Chabacuci

Cap. — pag.
I, 4 — 262
- - 11 — 343
II, 3 — 347
- - 4 — 169
- - 9 — 175
- - 19 — 275
III. — 342. 380
- - 1 — 346
- - 2 — 345. 346. 375
- - 3 — 350
- - id. ſs — 345
- - 4 — 351
- - 5 — 353
- - id. ſs. — 349
- - 6 — 354
- - 7 — 356
- - 8 — 356. 374
- - 9 — 358
- - 10 — 364
- - 11 — 365
- - 12 — 367
- - 13 — 304. 368. 374
- - 14 — 372. 374
- - 15 — 374
- - 16 — 345. 347. 375
- - 17 — 345. 378. 498

Chaba-

Chabacuci

Cap.	pag.
III, 18	345. 378
- - 19	345. 379

Zephaniae

Cap.	pag.
II, 8	473

Haggai

Cap.	pag.
I, 13	82. 276
II, 16	101

Zachariae

Cap.	pag.
III, 9	352
V, 6	154

Malachiae

Cap.	pag.
I, 1 ſs	404
- - 3	325
II, 7	406

I Maccabaeorum

Cap.	pag.
V, 3	405

II Maccabaeorum

Cap.	pag.
X, 15 ſq.	405
XXVI, 6	462

Matthaei

Cap.	pag.
V, 45	226

Lucae

Cap.	pag.
XXIV, 49	157

Ep. ad Epheſ.

Cap.	pag.
IV, 8	286. 302. 303

Ep. ad Ebraeos

Cap.	pag.
XI, 25	370
- - 26	369

Iacobi

Cap.	pag.
II, 23	170

Apocal.

Cap.	pag.
X, 8	159
- - 9	ibid.

II.

INDEX VERBORVM
ET RERVM PRAECIPVARVM.

A.

pag.

אבּירים *equi fortes et generoſi* 80

אוילים uſu participii praeter: *qui ſtulti fuerant* 491

אור *ſol* 351

אח vox dolentis, *ah* 462

אחר uſu ſubſtant: *tempus ſubſequens* 100

אכף ex arab. *onus* 274

אם formula *interrogandi*, ſi הֲ anteceſſerit 357

אם לא formula *affirmandi* 169

אמר in ſtylo recitativo, praeſertim ſublimiori poetico, frequenter omiſſum 59. 258. 326. 329. 387

אֹמֶר *carmen triumphale* 362

ארחות per met. *homines in viis iter facientes* 45

ארץ cum *homine* tanquam *humilitatis et fragilitatis* praedicatum non conjungitur 187

את cum nominativo junctum 163. 458

עבר

pag.
עבר de *aquae vi obruente* et *inundante* 364
הליכות עולם *itinera antiqua* i. e. *viae notae* 355 ſ.
עז ex arab. *magnificentia* 316
עזב cum particula על conſtructum 185
עין ex arab. an *pravitatis* ſenſum obtineat 154
עיר *aeſtus*, metaph. *ira*, et inde paſſive *injuria* 264
על *non obſtante* 277
על acceſſionis et adiunctionis, *praeter* 123
עלי *intra* me 170
עלה de expeditione bellica; *venire contra*, *invadere* 377
עמלק *nomen proprium* montis in Palaeſtinae parte Ephraimitica 63
עץ *baculus* 267
עצבות ſignificat. *idolorum* non habet 128 ſ. 132
עצום *vinculum*, *laqueus* 184
ערער ex arab. *moribundus* 167

De *M. l'Abbé de* ***, Auctore libri: Lettres au Sr. Kennicott, 6. 12.
Aerae Iudaeorum diverſae 18
a. Aera *Mundi creati* 18. 19 not.
b. Aera *Contractuum*, derivata
1. vel ab Alexandri M. ad Hieroſ. adventu
2. vel a Seleuco Babyloniae rege 18. 19. 436.
c. Aera ab excidio templi ſecundi 18 ſq.

B.

ב praefixum, habet vim *conjunctionis* 179
— — facit periphraſin *Genitivi* 50
— — poteſt etiam *cum nomine recto conjunctum* eſſe 68

ב prae-

pag.
ב praeſ. *eſſentiae* ſeu *qualitatis* plerumque praedicato, nonnunquam tamen *etiam ſubjecto ſubjungitur* 288
בַּדֵּי שְׁאֹל *ſolitudines orci* 253
בִּן praepoſ. *ad* 86
בעה num *perquirendi* ſignificationem habeat 397 ſq.
בצע de *libidine expugnandi* 175
בֶּצַע *fruſtum* 74
בַּצֹּרֶת *ſiccitas* 173
בִּקֵּשׁ cum ל conſtructum, cum ellipſi obiecti 116
בריח ex notione *fugientis*, *celer* 323

C.

חבט de arbore *excutienda* 339
חזיזים *fulmina* 258
חגוים aut *regiones*, *tractus*, aut *refugia* 391 ſq.
יתחוגו a rad. חוג, *circumagebantur* 494
חול ſ. חיל *diſtorquendi* notione, ex arab. 177
חוף *litus* 72
חטאת per meton. *id in quo peccatum verſatum eſt*, *corpus delicti* 335 ſq.
חטף *rapuit* 182
חלב ex arab. *praecordium*, *cor* 152
חלכה ex arab: *nigredo*, metaph. *calamitas*, 180 ſq.
חלל *profanus* 470
חלף *invadere* 246
—— ex notione ſecundaria, *rem rei ſubſtituere*, *per vices aliquid agere* 85
חמאה non *butyrum* ſed lactis ſpecies aliqua, *lac coagulatum* 83
חֵמָה paſſive: *ira, quae ſuſtinetur* 327
חמס ſenſu paſſivo: *injuria, qua quis afficitur* 327. 402
חפץ cum ב objecti; *delectari aliqua re*, ſed 128
חָפֵץ adjectivum cum ב nunquam occurrit ibid.

pag.
חץ *telum* per met. *plaga* telo inflicta 277
חצה *portio* 56
חצים *fulmina* 54. 367
חצץ ex more orientali: *ſortiri* 259. 278
—, in ſpecie: *praedam ſortiri* 56
— ex arab. *feſtinandi* notionem accipit 109 ſq.
חָצֵר *locus munitus* 180
חרפה paſſive: *ignominia illata* 404
— activo ſenſu: *ignominia, quam quis affert alteri* 473
חשמנים ex Arab. *Magnates* 315
ﺬﻟﺠﻮﺓ non pro *viro* univerſe dicitur, ſed denotat *virum tenacem* 391 not.
ﺧﺪﺝ ſignificatio: *terrae impegit pedem*, dubia 494
כוכבים per meton. *coelum* 76
כּוּשָׁן i. q. כוש *Arabiae pars* 356
כושרות *loca rebus omnibus affluentia* 290
כיד ex Arab. *fraus*, nominatim de fortuna uſurpatum: *Sortis viciſſitudo* 258 ſq.
כל ſenſu reſtricto de *aliquo tantum numero* 409
כֵּן uſu ſubſtant: *praeſidium* 68
כנה ex arab. *rem vel perſonam alio quam ſuo proprio ſolitoque nomine compellare, circumlocutionibus uti* 271 ſs.
כרמים ex arab. *viri boni, generoſi* 266

Cod. V. T. *Arab. I.* in bibl. reg. Pariſ. 194 ſq. 229 ſqq.
— auctor huius Cod. 194 ſq. 226
Cod. arab. bibl. Bodlejanae XL 435 ſs.
— ejus auctor 438 ſq.
— tempus, quo fuerit exaratus 435 ſq.
— Saadiae verſionem an contineat 436 ſq.

pag.

Cod. arab bibl. Bodl. XLV. 438
— arab. bibl. Bodlej. CLVI 437
Codd hebr. V. T. *aetas et origo* 1 ſs.
A. unde ſoleat dignoſci?
I. indicia externa 4
a. declaratio in calce libri expreſſa ib.
b. — — in Maſorae loco aliquo abſcondita ib.
II. indicia interna 21
a. ſcriptura elegans, ſimplex, ſine artificio 25
b. Maſorae vel paucitas vel abſentia 28
c. puncta vocalia poſtea demum adſcripta 30
d. literae atramento iterum obductae 32
e. alia levioris momenti criteria 34
B. an inde tuto intelligatur?
I. externa indicia tum ſuſpecta tum parum ſufficientia 5
a. ob impoſturas libros vendentium, quarum aliqua genera recenſentur 5. ſ.
b. ob errores in ſubſcriptionibus commiſſos, quorum exempla allata ſunt 7 - 15
c. quia haud raro anni quidem ſcriptionis ſed non aerae mentio fit, aut 15
d. adeo nomen tantum ſcribae aut punctatoris — ignobile prorſus atque obſcurum — exhibetur 19
II. interni characteres tum minus firmi, tum majori etiam cum circumſpectione adhibendi: 21 ſs.
a. bonitatis forte — minime autem antiquitatis criterium 25 ſ.
b. Maſora poteſt etiam omiſſa eſſe
1. vel ex conſilio, 28
2. vel caſu. 29

pag.
c. nota definiendae aetati parum apta, cum
1. ipſa vocalium aetas parum certa ſit, et 30
2. codd. ſcribendorum eum conſtet fuiſſe ordinem, ut primo literae exararentur et deinceps, ab eodem aut alio ſcriptore, puncta adiicerentur. 31 ſ.
d. criterium haud inane quidem, haud tamen omni exceptione majus,
1. enim exempla proſtant in utrumque contrarium; 32
2. obliteratae ſcriptionis aliae etiam adparent cauſſae 33
e. quae alia recenſentur criteria per ſe ſunt minoris ponderis 34
Codd. V. T. hebr. an ſint omnes textu typis expreſſo recentiores 6
— — cur tam pauci ſint, qui aetatis ſuae atque originis ſignum exhibeant externum 3
— — carent compendiis ſcribendi 22
— — omnes mirifica ſcripturae ſimilitudine exaratos eſſe, contra Kennicotti argumenta contenditur 22 ſs.
— — voces initiales habent nonnunquam omiſſas 29
Codices hebraici,
quorum notitia aliqua in libro exhibetur:
Cod. Argentinenſis 27
— Berolinenſis (Kennicott. 611.) 4. 7 ſs.
— bibl. Bodlejanae, curſivo charactere ſcriptus 24
— Bodlejanus I. 29 ſq.

pag.
Cod. Cantabrigienſis (Kennicott. 89.) 11 ſq.
— Caſſelanus (Kennicott 157.) 20
— Dresdenſi (Kennicott. 598.) ib.
— Erfurtenſis I. 27
— Florentinus, in bibl. Medicea 16
— Hagenianus 27
— Ienenſis 3
— Leidenſis 27
— Mediolanenſis (Kennicott. 195.) 11
Codd. Muſei Brit. Harlejani 1528. 5586. 5683. 33
Cod. Muſei Britannici 5498 ib
— bibl. reg. Pariſ. (Kennicott. 332.) 4. 15. 27
— — ſubſcriptiones Codici additae 16 ſq.
— — de determinanda ejus aetate argumentatio 18 ſq.
— bibl. Sangermaneuſ. III. (Kennicott. 367)
— — ſubſcriptio duplex 14
— — ſententia Kennicotti contra injurias cujusdam Abbatis de *** vindicata 12 ſs.
— Sorbonnenſis I. 27
— Stuttgardienſis 22. 40
De codd. hebr. a peregrinatoribus Danicis in Aegypto coemtis, et Oxonium denique translatis 6
De Commentario arab. *R. Tanchumi* in prophetas 45. 324

D.

דרם de *pompa deducenda* 308
דהרת de *curſu concitato?* 79 ſq.
דיק non *turris* ſed *vallum* ſeu *murus*, quo oppugnantes ſolebant uti 468
יְדַכֶּה *comminuitur*; de inſidiatore, *contrahit ſe* aucipis ſpeculantis ad inſtar 183

דלק

pag.
דלק *perſequi, exagitare.* 173
שפתים דלקים *labia blandientia* 104 ſq.
דממה *aura, ventus ſecundus, placidus* 4·5
דרך per met. *locus, quo via ducit* 466
Deborae carmen Davidis aetate haud obſcurum fuiſſe 291.

E.

Ellipſis Accuſativi, quando locum habeat 79
Ellipticae locutiones:
אמרת נפשי pro אָמַרְתְּ 119
ימים הבאים — הבאים 331
החליק אמריו vel לשונו — החליק 107
אנשי לחמך — לחמך 400
שׂוּם על לב — שׂוּם 280. 262. c. 264

G.

הרים גבננים *montes gibboſi* 299
גרע de *caedendis* rebus erectis 491
גרף ex arab. de fluviis, cum aliquid *auferunt* et ſecum *devolvunt* 78

H.

ה parag. ſignificans *quietem in loco* 365
— — *intendendi* vim habet 470
היה cum ל habeat infinitivo praefixum, futuri periphraſin facit 374
— cum duobus nominibus conſtructum, ſequitur nonnunquam genus praedicati 416
הַמְכִי a verbo מכך ex arab. *conſumere, perdere* 267
הכם *perturbavit*, uſurpatur de Deo *procellas excitante* hoſtibus infeſtas 77
הִתְאַחֲרִי ex arab. *operam da* 464
הִתְגַּלַּע ex arab. ubi de *ore reſtricto* dicitur, vel *ridendi* vel *rixandi* notionem obtinet 117

Index II.

Hebraeis ſolemnes idiotiſmi, tropi etc.

			pag.
Ambulantes in via et ſedentes domi	i. e.	omnes cujusvis ordinis homines	53
Ambulare et ſedere	—	omnes hominum actiones	ib.
Beſtia aquatilis ſ. ſerpens	—	Aegyptus	322 ſq.
Cibus, quem Deus porrigit	—	praecepta a Deo tradita	158 ſq.
Comedere rem a Deo propoſitam	—	mandata divina accipere	159
Conjux perfida	—	populus Iudaicus in religione inconſtans	333
Currus et equi	—	Numinis tonantis imago	357. 374
Deus eminus ſtat, ſeu oculos claudit	—	Deus opem differt, precibus non innuit	173
Facere, de prophetis,	—	indicare, praedicere	276. 430
Fons ſ. puteus	—	auctor gentis	307. 475
ex fonte profluens *Aqua*	—	gens ipſa	ibid.
Fulgur haſtae	—	ejus acies micans	367
a Luce abſciſſus	—	aerumnoſus, calamitoſus	265
Lumborum dolore correptus	—	calamitatis impendentis terrore attonitus	450
Naſi elatio	—	ſuperbia	176
Nidus	—	arx munita	393
Os apertum	—	deſiderium divinae voluntatis cognoſcendae	159
Palmis inſculpere quid	—	rei bene memorem eſſe	185
Pars corporis	—	pro perſona univerſa	181. 352
Poculum	—	poena	414
— bibere	—	poenam ſuſtinere	410
— offerre	—	poenis afficere	414

			pag.
Probro afficere vitam	i. e.	parvi aeſtimare	72
Saturata tela	—	tela plena et quaſi ebria hoſtium ſanguine	360 ſq.
Tauri populorum	—	gentes vi opibusque pollentes	311
*V*ituli populorum	—	gentes minus validae atque numeroſae	ib.
*V*inea	—	respublica Iudaeorum	326

De Thomae *Huntii* Obſervationibus ad varia loca Proverbiorum 97

I.

ידים per ſynecd. *donaria*, quae manibus teneantur 315
יום abſolute poſitum *dies fatalis* 406
יחר futurum a rad. חרר ex arab. cum על conſtr. *indignatus eſt* 281
ים abſol. poſitum: *mare Mediterraneum* ſ. *Occidens* 489
— — *Mare rubrum* ſ. *Arabicum* 490
ימלו *areſcunt*; rad. מלל ex arab. *aſſare, torrere* 267
ינון an *filii* notionem habeat 111
יצא et תוצאות ſenſum *impetus in hoſtes*, ex uſu militari, accipit 304
ישח *procumbit* 183
ישל pro ישאל *poſcet, exiget* 268 ſq.
Interpretes veteres eruditione grammaticâ parum instructi 130. 459

K.

קדים plerumque *Eurus*, ſenſu latiori: *procella* 335
קרבים *occurſus hoſtiles, praelia* 78
קללה ſenſu paſſ. *maledictio, qua quis petitur* 327
קלקל בחצים *ſagittas commovit*; ex more orientali, *divinandi* genus 466 f

pag.
חית קנה deſcriptio *leonis* 310
קַרְנַיִם *radii* 352
קש *ſtipula*, imago mali ſubiti et irreſiſtibilis 417

L.

ל praef. nota nominativi abſoluti 129. 136
— — deſignat *auctorem* ac *dominum* 274. 427
לא uſu nominis ſubſtant: *nihil* 256. 269. 414. 471
— negandi particula, cum כל conſtructa, non huic ſed verbo negationem tribuit 275
לְהָכִיל rad. כול, propr. *ad continendum;* vi adverb. *ſummopere*, *quantum fieri poteſt* 473
לָהֶם infinit. nominaſcens 49
לָכֵן *veruntamen* 335
לְמַעַן rei eventum denotans, *tunc* 402
לנצח *penitus* 241
לָעוּ aut a לוע vel *expaveſcent*, vel *ex faſtidio male habebunt;* aut a לעה *vani ſeu irriti evadent;* aut a לעע *lingent* 411 ſqq.

M.

מ praef. *prae*, *propter* 56. 491
— — negandi vim habet 177
מַדִּין a ſing. מַד ſeu מֵד, rad. מדד ex arab. *extendendi* notionem habens; *tegmina*, *ſtragulae* 53
מהר אָחֹר *retrorſum feſtinare* i. e. *ſequi nolle* 132
מוֹעֵד ex arab. *promiſſum* 157
מָזוֹר de *inſidiis, amicitiae ſpecie factis* 400 ſq.
מָחוֹז ex ſyr. *urbs*, ex arab. *portus*, vel *litus* ſeu *ora maritima* 495 ſq.
מחץ ex arab. vel *pede concutit* vel *agitavit rem in re* 304 ſq.
מחק *pede concutere*, ex arab. 84 ſq.
מחקקים videtur *praefectorum militarium ordinem quendam* denotaſſe 50. 65
מַחְשָׁךְ *inferorum ſedes* 165

pag.
לכת מים *per aquam vadere*, metaph. *vacillare* 450
מלאך יהוה *de hominibus* etiam praedicatur 82. 276
ארץ מלחה *terra ſalſuginoſa*, metaph. *terra inculta, ſterilis, aſpera* 497
מן ſubſtant: *portio* 306
מְנוֹן forma defectiva, derivanda a rad. אנן *gemuit, doluit* 112
מִעֻטָּה ex arab. vel *traditus* vel *aptatus* 462 ſq.
מִפְרָצִים *portus, urbes maritimae* 72
מְקַטֵּל *vir proelio aptus* 402 ſq.
מרר ex arab. *reſecuit, abſcidit* 265
משאבים loca, ubi aqua hauritur, *ciſternae, fontes, rivi*, inde loca, ubi rivi, fontes etc. ſunt, *campi irrigui* 56 ſq.
משיח per Meton. confeq. *conſecratus* 369
משך vel *prehendendi* vel *tenendi* ſignificatu 183
משפטי יהוה per meton. *ſpecimina poteſtatis et maieſtatis Iehovae* 178
משפתים vid. שפתים
Maſora Codicum hebr. in varias figuras redacta an ſit firmum ſcriptoris non-judaici criterium 26 ſs.
— — — poſteriori demum aetate textui adjungi coepit 28

N.

איש נָבוּב propr. *cavus*, per met. *homo corde deſtitutus, ſtultus* 247
נֶגֶב nomen propr. *tractus Iudaeae meridionalis, ad Idumaeam vergens* 421
נגר *locus obiecti*, nonnunquam etiam *obiectum ipſum* 178
ניד *commiſeratio* 251
נכר *abalienatio*; cum Deus *aliquem deſeruit* et *abdicavit* 407
נפל *mortuus jacet* 86

pag.
נשׂא ſubintellecto עָוֹן *poenam luere* 282
— יד *manum tollere*, per tropum *vim ſuam exſerere* 184
— שׂפתים שמות על notionem *deprecandi* exprimit 134
נַּבִּישׁ *baculus* 455 ſq.
נתן de eo, quod *facere* Deus *decrevit* 389
Nomen comparatum in altera comparationis parte interdum omittitur 169
— repetitur interdum loco pronominis 326
— *dualis formae* nonnunquam etiam *pluralis* vim habet 352
— *plurale* aſſumit interdum *praedicatum ſingulare*, diſtributivi ſenſus indicium 267
— *maſc. plur.* conſtr. cum *verbo fem. ſing.* 376
— *fem. plur.* — — — *verb. maſc ſing.* 378
— *fem.* frequenter aſſumit *verbum maſc.*
— *maſc.* autem raro *verbum fem.* 253. 452. 459. coll. 153

O.

Obadias Propheta
Achabi diſpenſator aulicus non fuit 385
Floruit poſt urbis templique everſionem ibid.
De ejus origine 383 ſ.
Oraculi argumentum 383
Tempus, quo fuerit ſcriptum 406. 428 ſs.
De loco, quem in ordine Prophh. obtinet 432
Num Ieremiae carmen cap. XLIX ſibi habuerit propoſitum 427 ſ.
Num hoc quod reſtat oraculum, unicum illius fuerit 385

P.

כל פנים *quaquaverſum*, *ex omni parte* 448
פקד ſenſu *laeſionis* atque *offenſionis* 326

pag.
פרזון *dux*, *adminiſtrator* 47. 372
פרעות reſpondet graeco *αρχοντες*, *imperatores* 42
פֶּרֶק *locus*, *ubi via in diverſa abit*, *bivium* 408
Parallelifmus poeticus 76
— membrum habet utrumque nonnunquam ellipticum, atque ex altero ſupplendum 106
Paulus Apoſt. in afferendis locis V. Teſt. hebraei textus rationem non habet 286. 303
Pentateuchus Arabicus in Polyglottis Pariſienſibus an ſit Saadiae verſio? 191
I. quatenus directe poteſt oſtendi, conferendo ipſam Polyglott. verſionem cum aliis Verſionit Saadiae exemplis,
a. negantium argumenta removentur 192 ſq.
b. affirmantium rationes recenſentur 193 ſq.
II. indirecte demonſtratur; nimirum oſtendendo
a. Verſionem Polyglott. ſumtam eſſe ex cod. biblioth. Pariſ. Arab. I. 194 ſq.
b. hunc ipſum codicem *Saadiae* verſionem continere, cum
1. ipſa, expreſſum auctoris teſtimonium continens, praefatio codicis affertur 197—225
2. probatur, *Saidum*, ad quem auctor praefationis verſionem ſuam refert,
α. non eſſe, ut *Aſcarius* opinatur, monachum Copticum, 195 ſq. 226
β. ſed ipſum celebrem illum Saadiam 227 ſs.
De Pentatevcho Arabico Bibl. reg. Pariſ. Cod. II. (apud Lelong. 370 rectius 372.) 501 ſq.
— Pent. Arab. Bibl. reg. Par. Cod. IV (ap Lelong. 368. rectius 370.) 227 ſq. 236 ſqq. 504
De

pag.

De Pent. hebr. Bononienſi mſto 23. 32
— Pent. hebr. Florentiae in biblioth. S. Laurentii aſſervato (Kennicott. 516.) 10 ſq.
— altero Pent. ejusd. bibl. (Kennic. 517.) 11
— Pent. quadrilingui Conſtantinop. 191 ſqq.

In *Poeſi hebraeorum* frequens converſio ſermonis ad aliam ſubinde rem vel perſonam ſubita et absque ulla tranſitus formula 250. 410. 465. 469.
— — Conſtructio nonnunquam minus accurata et ſubtilioribus regulis parum adſtricta 326. 388.
— — Perſonarum viciſſitudines haud raro obviae 64. 297. 333
— — Tropico ſermoni aliquid proprii interdum ſolet admiſceri 298. 328

Pronomen poſitum loco, ubi orationis ordo ipſam nominis praeſentiam poſtulat 388
— — relativum per ellipſin omittitur, etiam cum *nominis recti* locum ſuſtineat 371
— — relativum ſaepe efficit tranſitum *a prima* vel *ſecunda* perſona *ad tertiam* 315. 390. 401
— — ſuffixum *ſingulare* relatum ad nomen *plurale*, ſenſu quidem diſtributivo 255
Pronomina ſuffixa non activam tantum ſed et *paſſivam* ſignificationem habent 260. 278.
Pſalmi XVI. Argumentum 119
— LXXV. habitus, ſtructura, Auctor 157 ſq.
— LXXXIV. Auctor et occaſio 160 ſq.
— CVI. origo et tempus, quo fuerit ſcriptus 484

De

pag.

De punctis vocalibus hebraeorum eorumque origine 30 ſq.
– *Punctatoribus* et *Scribis* codicum hebr. 31
– Punctatorum et Scribarum Iudaicorum *Catalogo Wolfii* 20

Punctatores, ſcribae, interpretes, commentatores antiqui, quorum aliqua eſt mentio facta:

R. Aaron, ben Aſcher 30
Abulpharagius Abdallah Ibn Attajeb 203
Berachias Hanakdan 9 ſq.
Chajim 26
Elias, Berachiae vel filius vel nepos 9
Elias Levita Germanus 27
Elieſer 21
Hareth ben Senân 202 ſq.
Ionas 46. 457.
Iſaac f. Baruch 20
Dav. Kimchi 46. 47
Moſes ben Naphtali 30
Saadia ben Ioſeph 437
Saadias 191
Salomo 16
Tanchum 45. 324. 439

R.

ראה cum ב conſtructum ſignificat *ſpectare cum delectatione* 406
בְּרַגְלָיו *pone eum* 68
רצר ex arab. *invidioſe aliquem obſervare* 300
רצח ex arab. *fregit*, *contudit* 468
רק uſu ſubſtant: *miſericordia* 136

pag.
רשע proprie: *turbidum, turbulentum eſſe*, inde *iactari* vel *curis* vel *cupiditatibus*; Hiph. *turbare* 280 ſq.

S.

סופר *praefectus rei bellicae*, numerandorum atque in claſſes redigendorum militum officio videtur praecipue inſtructus fuiſſe 67
סך *luſtrum leonis* 182
סעיפים *ramuſculi arborum fruticumque* 337 ſq.
ספק *contemtui expoſuit*, ex arab. سفق *colaphis percuſſit* 280
שים etiam abſol. poſitum ſignific. *animadvertit*; per ellipſ. ſubint. את לבו 262. 280. 464 .c. 264
— בכף exprimit vel: *rem periculis obiicere*, vel: *rem ſolicite tueri* 248 ſq.
— על לב in ſpecie de *obſervatione, culpae quidquam detegendi ſtudio facta* 280
שגיון *carmen viri moerore oppreſſi* 346
שרוד intentiori ſenſu: *horridum cruenti cadaveris adſpectum* innuens 86
שוה proprie *complanare*, de animi motibus, *componere, ſedare* 169
השיב ſenſu *refutandi argumentis* 247
— ſignificans *reſpondere*, habet Accuſativum nunquam Dativum perſonae 87
שכב emphat. *rigidum immotumque corporis exanimis ſitum* exprimit 86
שכן *conquieſcere, immotum manere* 71
שלג ex arab. *refrigeravit, recreavit* 298
שלל *praeda*, in ſpecie: *jumenta bello capta* 89
שפלה *Iudaeae tractus occidentalis*, quae pars eſt Philiſtaeis confinis 421

pag.

שפתים et משפתים *canales*, *alvei*, *unde pecora bibunt* 70. 294

שקט propr. *ſidere*, metaph. *quieſcere*, Hiph. *pacare* 280 ſq.

שרש propr. *radices agere*, per tropum: *ſtabilem atque firmum locum habere* 63

Superlativi periphraſis 80. 118. 389. 470

T.

תהלה ex arab. *erroris* ſenſum accipit 241

תחת *ob*, *propter* 280

— און *ſub dolore*, conſtructio inſolentior, adiectivi ſ. partic. periphraſis, *dolens* 356

תך ex ſyr. *violentia*, *oppreſſio* 179 ſq.

תם *innocentiae* ſignificatio - incerta 143

תן ſing. inuſitatus, habet formas plurales תנים ſ. תנין ſ. תנות, et ſignificat *Schacala*, *canis ferus* 323. 324

תנין aut ſingularis eſt, ſignificatque *draconem*, *ſerpentem magnum*, unde pluralis תנינים; aut plurali numero occurrit a ſing. תן, *Schacala*, *canis ferus* 323 ſq.

תנים forma pluralis pro ſingulari תנין, apud Ezechielem 29, 3. 30, 3. occurrit, et habet ſignificationem ſingularis תנין 324

תפלה *iudicium*, *ſententia* 265

V.

ו particula nominativo abſoluto ſolet ſubiungi 101. 111. 129.

— — explanandi vim habens, *nempe* 387

— — conditionem omiſſam reſpiciens denotat: *alioquin* 243

Verba

pag.
Verborum formae defectivae inſolentiores 112. 269
— cum *nomine* conſtructiones irreg. vid. ad *Nomen*
Verba activa ſaepe non actum ipſum ſed *debitum et officium actus* ſignificant 406
— paſſiva et intranſitiva implicite interdum Nominativum continent 459
— Praeterit. vi futuri 186. 398
— — vi plusquamperfecti 499
— Futurum antecedens verba praet. temporis, pro *praeterito* accipiendum 350
— — ſaepe exprimit, quod quis facere *ſolet*, vel *quod ſubinde eodem modo fieri poteſt* 498
— — praeſertim in ſtylo poetico praeteriti vim habet 79
— — infinitivi loco poſitum 273
— — forma plural. pro ſingulari 253
— Infinit. loco praeteriti 372
— loco futuri 392. 474.
— Particip. praeteriti temporis 490. 491
— — plusquamperfecti temporis 499
— — futuri temporis 115
Voces literis vicinas, quanquam ceterum diverſas, Hebraei ſolent conjungere 358

Z.

זבול de ſole *locus, quem ſol occidens intrare fingitur* 365
זרח ex arab. *ſparſit* 100
צרקה de *fortitudine bellica* 57

pag.
צחיח denotat *locum glabrum*, *nudum*, et inde *locum aſperum*, *ſterilem* 290
ציץ *progerminare*, *propullulare* 331
ציר ex arab. *nuncius* 388
צִנָּה *frigus* 102
צעקה in ſpecie: *clamor ex ſenſu doloris ortus* 269

pag. 502. l. 21. legend. ex ſermone *hebraico*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Notanda bibliopegis.

I. Subjungantur praefationi et Emendandorum ſeries et Contentorum conſpectus. II. Reſecandae ſchedae B pag. 17 et 18. itemque ſchedae O pag. 221. 222. et debito loco inſerenda, quae exſtant, folia emendata. III. Rejiciendus Index ſpurius, ſchedae tituli inhaerens.

Erinnerung an den Buchbinder.

1. Druckfehler-Verzeichniß und Innhalts-Anzeige muß gleich nach der Vorrede eingerückt werden. 2. Die Blätter S. 17 und 18 und S. 221. 222 und der ſogenannte Index auf dem Titelbogen müſſen abgeſchnitten, an ihre Stelle die umgedruckten Blätter und der doppelte Index, wie ſichs gebührt, am Ende, eingerückt werden.

I.

DE CODICVM HEBR. VET. TEST. MSTORVM AETATE DIFFICVLTER DETERMINANDA.

§. I.

Quod artis criticae magiſtri in univerſum praecipiunt, in caſtigandis atque emendandis veterum auctorum ſcriptis primarium ſubſidium petendum eſſe a libris manu exaratis, eosque, quo accedant propius ad aetatem ipſius auctoris, i. e. quo ſint antiquiores, eo pluris aeſtimandos eſſe atque ad rem propoſitam utiliores, id ipſum etiam absque omni controverſia valet de criſi in ſacris libris V. T. exercenda. Hanc enim non minus recte, quam circa novi foederis divina ſcripta factum, id eſt a viris doctis et piis, non ſine magno religionis noſtrae commodo, inſtitui et poſſe et debere, modo fiat ea qua par eſt

 mo-

modeſtia atque verecundia, hae noſtra aetate tam luculentis comprobatum eſt et argumentis et exemplis, ut non modo illa, quae plurimorum antea animis inſederat, opinio dicam an ſuperſtitio de puritate et integritate cod. hebraei, nunc repudiata ſit fere ab omnibus: ſed et in variis hinc inde regionibus, atque noſtra praecipue Germania, viri docti, concurſu quaſi facto, codd. hebr. ſcriptos è latebris ſuis protrahant, excutiant, cum textu typis expreſſo contendant, et quae ipſi obſervarint, cum orbe erudito communicent. Verum uti omnis tractatio vetuſtorum ejusmodi codd. non poteſt non ſuas habere difficultates: ita librorum mss. hebr. cum textu vulgari collatio, ſi recte et cum fructu inſtituenda ſit, praeter communes illas, etiam peculiares quasdam ac proprias habere videtur, quarum haud leviſſima illa eſt, quae in aetate mss. adhuc extantium definienda deprehenditur. Atque ſuper hoc jam argumento obſervationes quasdam, cum ex librorum vulgarium uſu, tum mſtorum etiam, quorum non parvam copiam videndi occaſionem habuimus, conſideratione ortas, hac ſcriptione academica proponere tentabimus, eo quidem ordine, ut *primo* dicamus de iis codd. qui habent aetatis ſuae aliquod teſtimonium expreſſum, *deinde* praecipua, quae a viris doctis conſtituta ſunt, antiquitatis criteria modeſte expendamus.

§. II.

Antiquitatem itaque codd. hebr. quod attinet, de qua in emendandis mſtorum ope vet. teſt. libris prima fere quaeſtio oritur eaque longe graviſſima, utpote cum altera illa, de auctoritate codicis, maximam habens conjunctionem; recte obſervatum eſt a quibusdam, eſſe hanc rem obſcuram plane atque ambi-

bi-

biguam, multisque obnoxiam dubiis *a*). Haud quidem difficilis erit deciſio in uno alterove codice, qui anni, quo exaratus fuit, notam a librario diſertis verbis adſcriptam habet, atque etiam curioſo judici, circumſpecte omnia expendenti, indicia nulla prodit, quae illud teſtimonium in ſuſpicionem poſſint adducere. Ejusmodi vero codd. qui vel ullum, ne dicam luculentum et legitimum originis ſuae ſignum exhibent, quam ſit exiguus numerus, ſi cum reliquis comparaveris, qui ſunt incertae ac dubiae aetatis, ex indicibus a Wolfio et celeb. Kennicotto propoſitis facile intelligas. Cujus rei cauſam dum quaero, in eo aliquid inveniſſe mihi videor, quod ſaepe unius codicis, tribus v. c. voluminibus conſtant s, unum volumen, in quo notatus erat a librario ſcriptionis annus, poterat vel penitus interire, vel ſaltim dirimi a ſociis: quo effectum eſt, ut jam duobus voll. alteris indicio originis ſuae orbatis, creſceret numerus codd. quorum aetas eſt incerta. Codicem certe *Jenenſem*, qui uno volumine praegrandi prophetas complectitur priores ac poſteriores, integri operis mediam olim partem conſtituiſſe, atque a reliquo corpore ſiniſtro quodam fato avulſum eſſe haud improbabilis eſt conjectura *b*). Alia exempla vide apud Wol-

A 2 fivm,

a) The State of the printed Hebr. Text of the Old Teſt. conſidered, by B. Kennicott P. I. pag. 308 — for theſe Reaſons the exact Ages of the ſeveral Hebr. MSS. excepting a few that are dated, will not be eaſily determin'd —

b) Hujus cod. collationem, Kennicotto poſtea a me traditam, ipſe inſtitui cum Jenae eſſem an. 1768., non mercede conductus, aut lucri faciendi ſpe quadam excitatus, ſed ut ſatisfacerem deſiderio, mſti cujusdam hebr. propius cognoſcendi, hac commoda oc-

PIVM *c*) et KENNICOTTVM, qui ipſe etiam unius cod. duo volumina, diu a ſe invicem ſejuncta, conjunxit iterum, ac propinquam, qua inter ſe continentur, cognationem feliciter reſtituit *d*). Accedit etiam illud, quod forte non pauci eorum codd. quorum adhuc aetas ignoratur, anni tamen, quo ſcripti ſunt, declarationem aliquam in ſe contineant, non quidem in calce libri expreſſam, ſed in Maſorae, quae hebr. contextui comes plerumque adjungitur, loco quodam, ubi non quaeſiveris, abditam quaſi atque reconditam, cujus rei exemplum deprehendas in cod. quodam bibliothecae regiae *Pariſienſis*, de quo deinde dicendi occaſio erit (§. VII.). Huc quoque referendus eſſe videtur alius quidam a WOLFIO memoratus *e*). Atque etiam quod de cod. regio *Berolinenſi* teſtimonium perhibet OPITIVS *f*), a Iudaeo quodam *Sondalio*, fil. *Hillelis Gerſon* an. 1455 ſcriptum eum eſſe vel punctatum,

occaſione ſponte quaſi mihi oblata. Nam b. TYMPIVS, vir optimus, cujus tum doctrina atque hoſpitio fruebar, domi ſecum habebat codicem, cujus recenſionem aliquam in lucem edere ſecum conſtituerat: quod cum perficere non poſſet, aliis negotiis (Prorectoris enim munere fungebatur) nimium diſtentus; veniam mihi lubentiſſime dedit, codicem in muſeum meum deportandi, quo commodius illo uti poſſem. Quod propterea monendum duxi, ne quis forte verba ven. HIRTII, in Biblioth. Orient. Part. I. p. 247 aſſerentis, *a peregrino quodam Magiſtro ex Suevia oriundo collatum quidem cod. fuiſſe, ſed inſcia Academia et feſtinanter*, ſiniſtre accipiat, meque codicis copiam modo quodam minus honeſto nactum eſſe ſuſpicetur.

c) Bibliothecae Hebr. Vol. IV. pag. 80. 81.

d) Libri modo cit. P. I. pag. 318. et Part. II. pag. 533. 34.

e) Loco cit. pag. 81. 82.

f) in Praefat. ad Biblia edita a. 1712.

ſtatum, ſuſpicor alicubi in Maſora extare. Quae enim in calce totius operis poſita eſt nota, ſcriptorem profitetur *Baruchum* quendam *Abrahami* filium. Maſoram autem, opus taedii ac laboris plenum, quotusquisque eſt qui in examinando atque conferendo codice integram perlegere velit aut poſſit?

§. III.

Sed ut nunc dicamus de iis codd. qui ſunt aetatis ſuae indicio quodam expreſſo inſigniti, juſta eſt obſervatio Carpzovii, iſthaec indicia neque aetatem codd. liquido ſemper docere, neque ab errore librarii, fraudeque impoſtoris, immunia permanſiſſe *a*). Et *impoſturam* quidem, fallaci ſubſcriptione factam, quod attinet, qua liber aliquis ſcriptus pro antiquiore venditatur quam vere eſt, committi illa poterat vel ab ipſo librario, adſciſcente, ſi ipſe obſcurus homo eſſet, antiquioris cujusdam, qui codd. bene et accurate ſcriptis famam ſibi comparaverat apud ſuos, ſcribae nomen, quo et facilius et pluris venderet opus ſuum, nemine poſtulante panis lucrandi cauſa deſcriptum: vel a quocunque etiam alio, qui venditurus librum, quem ipſe poſſidebat, ad majus illi pretium conciliandum, novam plane prout ipſi conveniens videbatur, de ſcriptionis anno notam adderet, eraſa etiam penitus antiquiore ac legitima, ſi quae aderat, aut immutata. Ac talis impoſturae, quae priore modo facta ſit, ſi facta unquam eſt, inveſtigatio et detectio quam debeat eſſe difficilis, immo vix ſperanda, ultro adparet, et nullum etiam, quantum nos cognovimus, exemplum ejus rei adhuc proditum eſt. Sed po-

a) in Critica S. Vet. Teſt. edit. II. p. 375.

poſterioris generis ſpecimina non omnino deſunt. Ex JABLONSKIO diſcas, „eo proceſſiſſe veteratorum impudentiam, ut nuperrime Amſtelodami codicem venalem ſtiterint anno templi ſecundi CCVIII (ſi inſcriptioni fides) ſcriptum, tribus circiter ante natum „Chriſtum ſaeculis, eum ipſum tamen cod. quod merito mirere, ab omnibus minutiis Maſorethicis fuiſſe inſtructiſſimum, immo Maſora in imaginum figuras calamiſtrata ornatum" b). Et memini me ex ipſo KENNICOTTO audiviſſe, in illis quoque codd. qui a peregrinatoribus Danicis in Aegypto coëmti, ac Hafniam, et Hafnia Oxonium transmiſſi ſunt, fraudem factam fuiſſe a Judaeis verſipellibus, qui cum egregiam quaeſtus faciendi occaſionem nactos ſe eſſe viderent, libris ſuis fictarum ſubſcriptionum ope majorem, quam quae jure illis competit, antiquitatis ſpeciem inducebant. Quod ſane eo valere debet, ut intelligamus, in emendis ejusmodi libris eorumque antiquitate ex adpoſitis ſubſcriptionibus definienda, non vulgarem adhibendam eſſe circumſpectionem. Libros autem hebr. mstos, quos cognitos hodie habemus, fere omnes, pauciſſimis exceptis, recentiores eſſe textu biblico typis expreſſo, atque ex hoc etiam deſcriptos, fumigando autem aliisque artibus ſpecie quadam antiquitatis ab impoſtoribus indutos fuiſſe, lucri faciendi cauſa, quod haud ita pridem ſumma cum fiducia pronunciavit aliquis, hoc inquam aſſertum — praeter merum enim aſſertum nihil eſt — obſcuro auctori probandum relinquimus c).

§. IV.

b) in praefat. ad Biblia hebr. edita a. 1699. §. 35.

c) vid. Lettres de M. l'Abbé de * * * Ex-profeſſeur en hebreu en l'Univerſité de * * * au Sr. Kennicott, Anglois. Rome (Paris) 1771. pag. 5. et 78. Auctor huius

§. IV.

Ab *errore* etiam non ſemper immunes manſiſſe ejusmodi codd. hebr. ſubſcriptiones, luculento exemplo comprobat illa, quam cod. regius *Berolinenſis* *), minuto ac parum elegante caractere ſcriptus, continens pentateuchum, 5 megilloth, Jobum et haphtaroth, habet ſubſcriptio, cujus verſionem latinam, a Danzio cum Berolini eſſet a. 1696 factam, et in cod. ultimo folio, ipſius ut puto manu ſcriptam, exhibet Wolfius *a*), a la Crozio ſibi communicatam. Hebraica verba difficulter leguntur, quoniam et voces ſunt hinc inde detritae, et lineae tam ingenioſe, ſcilicet, ſibi invicem intextae, ut ſtellae quaſi, octo radios habentis et tetragono incluſae, imago exprimatur. Cum tamen illa cognoſcere forte non ſit injucundum, age proferamus ea ex ipſo autographo deſcripta, omiſſis quae ad rem nihil faciunt: אני הסופר והנקדן

huius libri, de quo vid. S. V. Ernesti Biblioth. theolog. recentiſſimam, Tom. II. et. III. Michaelis biblioth. Orient. P. II. ortu Judaeus eſt, et ad Chriſtianorum ſacra tranſiit. Kennicotto primum operam locaverat ſuam in conferendis Oxonii codd. hebr. poſtea vero, vel quod tantam mercedem, quantam ſe mereri putabat, non accipiebat, vel alia quadam de cauſa, diſceſſit Lutetiam Paris. Hic cum agerem a. 1770 aliquoties me convenit, atque opuſculum etiam à ſe, ut ipſe dicebat, conſcriptum mecum communicavit. Et rumor erat, hominem in concinnando hoc libro uſum eſſe opera ac ſtudio monachorum Capucinorum, in vico S. Honorii degentium, de quorum inſtituto, literas orientt. colendi et promovendi, vid. Ill. Michaelis biblioth. Orat. Part. II. pag. 104.

*) [*Kennicottianus* 611.]

a) Biblioth. hebr. Vol. I. pag. 166.

והנקדן אליהו בן *b*) . . . . בן ברחיה *c*) הנקדן והקרא והתנא והדויקן וחחכם גדול etc. ואני בן זקוניו כתבתי ונקדתי ומסרתי *d*) זה הספר בזעת אפי וביגיע כפי וביושר עפעפי וסיימתי אותו יום ד׳ באחד ועשרים יום לירח כרחשון שנת צ׳ד לפרט אלף הרביעי במדינת דרום *e*) כתבתי איתו . . . i. e. interprete DANZIO: Ego ſcriba fui et punctator, Elias filius . . . . . filii Berachiae punctatoris, qui ſcripturae pariter et Miſchnae deditus fuit quam accuratiſſime etc. Ego vero qui in ſenectute ejus natus ſum, conſcripſi et punctis ornavi, ac Maſora inſtruxi hunc librum ſudore faciei meae et labore volarum mearum, et rectitudine oculorum meorum. Abſolvi autem eum feria IV die XXI menſis Marchesvan anno 94 millenarii IV a mundo condito (i. e. an. Chr. 334): in regione Auſtrali conſcripſi eundem. Et MVLLERVS quidem Greiffenhagius induci ſe paſſus eſt, praeeunte ipſi alio nonnemine, ut hoc de ſtupenda libri aetate teſtimonium pro vero acciperet *f*), fa-

b) unica vox hic plane detrita eſt, ut cognoſci nequeat.

c) debebat ſine dubio eſſe ברכיה, cum Caph: ſed in ſchedis meis nomen hoc deſcriptum video per ח.

d) in pentatauchi pag. ultima verba Maſorae ita poſuit Elias, ut nomen ipſius expreſſum ſit אליהו הנקדן.

e) pro דרום mallem legere רדום, Radom, quod eſt oppidum Poloniae in Palatinatu Sandomirienſi.

f) Hic neſcio quis in limine libri ſeqq. ſcripſit: Manuſcriptum Dieſes Buch hat geſchrieben der künſtliche Schreiber Nahmens Elias Hanaktan in der Inſel Rhodus nach erſchaffung der Welt im 4094ten Jahre nach der Jüdiſchen ausrechnung, am Mittwochen dem 22ten Tag des Novembris — nach der Jüdiſchen Jahrzahl iſt dieſes Buch Alt 1339 Jahr. Hiſce poſtea ſubjecit MULLERVS ſeqq. Dieſes muß Anno Chriſti 1673 geſchrieben

facilius forte excuſandus quam Savbertvs, qui majore etiam credulitate pentateuchum quendam *Helmſtadienſem* ante natum Chriſtum exaratum fuiſſe perhibere haud dubitaret. Jablonskivs contra, cui non tam facile imponebatur, non modo prodigioſam iſtam libri antiquitatem fidem excedere omnem recte cognovit, ſed aetatem etiam ita determinavit, ut ad ſaec. XV initium referendam eſſe diceret *g*), hac potiſſimum cauſa permotus, quod R. *Berachias Hanakdan*, *Eliae*, ut putabat pater, non avus, circa an. Chr. 1400 demum floruerit, conſentiente etiam Wolfio *h*). Quod dum ille ſtatuit, utrumque quidem in ſubſcriptione expreſſum numerum, et minorem (צ׳ד) et majorem (הרבעי) pro erroneo habuiſſe cenſendus eſt, nec tamen propterea illum ipſum *Eliam Barachiae* vel filium vel nepotem codicis auctorem fuiſſe dubitat. La Crozivs autem, de Berachiae aetate parum, ut videtur, cogitans, ſcriptum eſſe cod. dicit an. Chr. 1334 *i*), hoc ipſo ſignificans, in majore tantum numero errorem commiſſum, et vocem הרבעי poſitam eſſe pro החמישי. Quaeſtio itaque huc potiſſimum redit, quonam tem-

A 5 pore

ſchrieben ſeyn. Das Buch ſelbs iſt geſchrieben Anno Chriſti 334. Andr. Mullerus Greiffenhagius. Praepos. Berolinenſis.

g) loc. cit. §. 35. 36.

h) Biblioth. H. Vol. I. pag. 272.

i) in ea quam Mulleri verbis ſubjecit nota: „Fucum hic fecit, ut ſaepe alias Andr. Mvllervs. Iſthac aetate Judaei non numerabant a creatione mundi etc. Ergo hic codex ſcriptus eſt anno a nato D. J. C. 1334. quod et color atramenti et membrana pla omnibus, qui Mſtos codices tractaverunt, luculenter teſtari videbuntur."

pore *Berachias* ille, tantopere praedicatus in ſubſcriptione, vixiſſe dicendus ſit? Si vera ſit de ejus aetate ſententia Jablonskii et Wolfii, Bartoloccii ut videtur auctoritate nitentium, idoneisque argumentis poſſit comprobari; ſequitur ſane, utrumque in ſubſcriptione poſitum numerum fallere, et haud injuſta etiam ſuſpicio oritur, ſpuriam eſſe ac per dolum confictam ſubſcriptionem univerſam, quoniam vero diſſimillimum eſt, adeo incautum vel infelicem fuiſſe hominem, ut bis labi potuerit in ſignandis numeris, qui, ſi quid aliud, cum accuratione ſcribi et ſolent et debent. Illa vero de aetate *Berachiae* opinio ſi ſit incerta, ac dubiis obnoxia, quod fere colligas ex alio Wolfii loco *k*); non haeſitarem ad Lacrozii ſententiam accedere, quo unicus quidem error commiſſus ſtatuitur, nec tamen univerſa ſubſcriptio ut fallax ac ſpuria repudiatur, cujus etiam externa facies ita comparata eſt, ut non modo eandem cum reliquo codice et manum ſcriptoris et aetatem profiteri videatur, quod nec ipſe in dubium vocavit Lacrozius, vir caeterum in ejusmodi rebus perquam curioſus, ſed voces etiam atque literas, quibus numeri expreſſi ſunt, intemeratas ſiſtat, atque ab omni depravatione immunes.

§. V.

Alia quaedam exempla huic, de quo diximus, non diſſimilia deprehendimus in Wolfii catalogo MSS. biblicorum. Pentateuchus hebr. *Florentiae* in biblioth. S. Laurentii aſſervatus *), quem unum Carpzovius etiam citavit *a*) ad probandum, ſubſcriptionem ſaepe

k) loc. cit. Vol. III. pag. 165.

*) [*Kennicott.* 516.]

a) Crit. S. pag. 375.

ſaepe fallere, hanc habet in fine totius operis] expreſſam notam: *Scripta haec ſunt ab Iſaac fil. Menachem Hannakdan, qui et puncta adjecit die* 24 *menſis Adar anni a cr. mundi* 4051. (*i. e. Chriſti* 291.) *in gratiam Matathiae Garazi b*). Mendum hic ſubeſſe recte quidem ſtatuit Wolfius *c*): at quod ſtatim addit, „videri annum 291 pro an. computi jud. minoris, qui an. Chr. 1531 reſpondeat, habendum eſſe" id minus accurate dictum eſt, cum numerus 291 in ſubſcriptione illa, prout ipſe eam refert, non ſit expreſſus. Rectius forte dixeris, ſi reliqua codicis indicia permittunt, numero 4051 quintum millenarium eſſe addendum, quo facto prodibit an. Chr. 1291. Atque idem etiam ſentiendum eſſe videtur de altero ejusdem biblioth. pentateucho *), qui Alexandriae an. M. 4238 (an. Chr. 478.) deſcriptus eſſe perhibetur. De *Mediolanenſis* cod. **) ſubſcriptione, qua abſolutus fuiſſe dicitur במדינת אשבילית שנת ש"ן לפרט היצירה Hiſpali, an. 350 aerae creat. mundi, i. e. an. Chr. vel 590 vel 1590, ipſe etiam Montfauconius *αὐτοπτης* ita ſtatuit, ut errorem a librario commiſſum eſſe pronunciaret, quoniam recentior ſit character, quam ut priorem, antiquior autem quam ut poſteriorem temporis notam admittere poſſit *d*). Ac tribus hiſce exemplis neſcio an accenſendus ſit quarto loco cod. *Cantabrigienſis* ***), deſcriptus teſte Ken-

b) Biblioth. H. Vol. II. pag. 308.

c) ib. Vol. I. pag. 679.

*) [*Kennicott.* 517.]

**) [*Kennicott.* 195.]

d) Biblioth. H. Vol. II. pag. 300.

***) [*Kennicott.* 89.]

Kennicotto *e)* a *Jacobo* quodam *Levita* התורה ליצירת, id vero eſt, computatis quatuor literis virgula ſignatis, et omiſſa quae nullam habet, an. M. 4610 et Chr. 850. Ecce tibi antiquitatem libri eximiam profecto, tantamque quantam ex omni codd. hebr. quotquot etiamnum ſuperſtites ſunt, numero haud exiguo vix alius quidam aliqua cum veritatis ſpecie oſtentare poteſt, de qua quam vellem ſuam nobis in recenſendo iſto cod. ſententiam expoſuiſſet Kennicottus. Sed ſi fides habenda eſt auctori illius, quem ſupra (§. III.) citavimus libri; vocem ליצירת ſtatim ſubſequuntur haec verba, ſilentio, ut ille innuit, a Kennicotto diſſimulata, לבנין בית הבחירה, *ab aedificatione domus electionis*, i. e. templi Hieroſolymitani *f*). En itaque duas a ſe invicem diverſas aeras, quarum poſterior, quomodocunque calculos ſubduxeris, majorem etiam Mſti antiquitatem venditat, quam prior. Nobis quidem haec retuliſſe ſufficiat: judicandi autem poteſtatem liberam iis relinquimus, quibus ipſum cod. adeundi, atque ſubſcriptionem illius integram cognoſcendi copia eſt.

§. VI.

Verum quando idem homo ſub ficto Exprofeſſoris titulo deliteſcens, in alia etiam re quadam huic, de qua proxime diximus, haud diſſimili, vituperandi Kennicotti materiam deprehendiſſe ſibi viſus eſt, ubi profecto nulla; nos non poſſumus, quin hac occaſione oblata breviter cauſam exponamus. Nimirum cum Lutetiis Paris. eſſet Kennicottus a. 1767, cod. hebr. quorum permagna eſt in hac urbe copia, videndorum cauſa et examinandorum, mſto biblioth. San-

e) Diſſert. I. pag. 342.

f) Lettres au Sr. Kennicott, pag. 24.

Sangermanenſis IIItio *), quod duplicem habet ſubſcriptionem, librarii alteram, qua ſcriptionis annus notatur, alteram priſtini poſſeſſoris cujusdam, haec ſua ipſius manu verba inſcripſit: „Codex 3, in fol. „maj. continet pentateuchum (cum Chaldaea para-„phraſi ſingulis hebr. verſibus ſubjuncta), Megilloth „et Haphtaroth. Ex teſtimonio ad cod. finem he-„braice dato patet, quod ſcriptus fuit hic codex a Moſe „quodam, fil. Jechielis, anno a creat. 5063, qui annus „deducto numero 3760, incidit in an. Chr. 1303. Hoc igitur Kennicotti factum non modo arrogantiae inſimulat iniquus ille cenſor: ſed aegre etiam fert, alterius ſubſcriptionis, quae talis ipſi videtur, ut prioris fidem ſuſpectam reddere debeat, mentionem nullam injectam eſſe. Et profecto ipſum ſi audias, vix fere haeſitaveris ad ſententiam illius accedere, cum particulam tantum utriusque ſubſcriptionis, ingenioſe ſatis ſed parum ingenue, poſuerit *a*). Sed liceat nobis

*) [*Kennicott*, 367.]

a) Lettres au Sr. Kennicott, pag. 19. Les dates qui ſe trouvent a la fin de ce MS ſont aſſéz ſingulieres. Il eſt daté par deux différentes perſonnes; l'un dit qu'il l'a écrit et fini le Jeudi 4e du mois d'Ab (Juillet) l'an 5063 de la creat. du monde, יום ה ד באב שנת חמשת אלפים וששים לבריאת עולם etc. (non omittenda erat vox ושלש). Et l'autre dit, que ſa mere lui a fait préſent dudit MS, le lundi premier du mois d'Jer (Avril) l'an 5063 de la creation etc. היום יום ב ר ח אייר שנת ה אלפים וס'ג לבריה (לבריאה) קבלתי מאמי זה החימש במתנה etc. Cette dernière date, dans laquelle cette perſonne dit que ſa mére lui en a fait préſent, eſt *antérieure* de *trois mois* à la précédente. Il faut pourtant obſerver deux choſes; la premiѐre, qu'au lieu du ס (60), il avoit mis un ש (300) lequel il a rayé pour montrer que c'étoit un er-

bis utramque integram ex autographo a nobis deſcriptam, hic ante oculos ſiſtere. Prior itaque haec eſt: אני משה בר יחיאל כתבתי זה החומש תרגום שבח לאל וסיימתי אותו ביום ה' ד' באב שנת חמשת אלפים וששים ושלש לבריאת עולם לר דוד בר דוד (* כשם שזכה להכתיב כך יזכה לירש על בניו וללמוד בו בניו ובני בניו ויזכו לקיים המצות אשר בו וכן אני הסופר אחיה בירא את שדי בשם אלהי המערכה רים המלאכה: *Ego Moſes: fil. Jechiel ſcripſi hunc pentateuchum et Targum, laus ſit Deo, et abſolvi eum die hebdomadis quinto, die quarto menſis Ab* (Iulii) *an.* 5063 *a creat. mundi (pro R. David fil. David). Sicut Deus dignatus eſt ad ſcribendum, ita dignetur, ut haereditate perveniat ad filios ejus, et ut diſcant in eo filii ejus et nepotes, et digni reputentur ſervare praecepta quae in eo ſunt tradita. Et hac ratione ego ſcriba vivam in timore omnipotentis, in nomine Dei ordinis, exaltantis opus ſuum.* — Huic notae alia a latere poſita eſt literis minoribus, quae ita ſe habet: היום יום ב' ר"ח אייר שנת ה' אלפים ושסג לבריאה קבלתי מאמי שתי" במתנה גמורה זה החומש כדי שאקרא בו בכל יום ז' הפרשה עם תרגום נאום יהודה בר יעקב ז"ל אשר הנחיל זה החומש מאב על בן על היום הנ"ל ארבע דורות: *Hodie, die hebdomadis ſecundo, primo menſis Ijar* (April) *an.* 5363 *a creat. mundi* i. e. an. Chr. 1603.) *accepi a matre mea .... pro dono abſoluto hunc pentateuchum, ea conditione ut legam in eo quovis die ſeptimo Paraſcham cum Targum. Teſtimonium hoc eſt Iudae fil. Iacobi, b. m. qui hae-*

erreur ; la ſeconde, que vous n'avez fait aucune mention de cette ſeconde date: je ne ſçais pas pourquoi.

*) verba לר דוד בר דוד in mſto videntur iterum deleta fuiſſe.

haereditate accepit hunc pentateuchum a patre ad filium uſque ad diem ſupra memoratum, per quatuor generationes. — Quid quaeſo jam ſingulare eſt in utraque hac temporis notatione, aut quidnam habet poſterior ſubſcriptio, quod prioris fidem labefactare poſſit? Litera enim ש (300) tantum abeſt, ut per errorem ſcripta ſit atque iterum deleta, ut contrarium etiam ex iis, quae ſequuntur, verbis manifeſte appareat. Verum cenſor ille aut negligentiſſime ac per tranſennam quaſi aſpexit hanc utramque ſubſcriptionem, quod minus decebat eum, qui Kennicotto ſubinde incuriam exprobrat atque negligentiam, aut quod turpius etiam eſt, adverſarium ſe illi praebuit minus probum et honeſtum.

§. VII.

Exemplis ſupra propoſitis hebr. codd. quorum ſubſcriptiones errore a ſcriba commiſſo laborare videntur, ſubjungamus nunc aliud, quo annum quidem ſcriptionis a librario expreſſum, ſed aeram, cujus tamen cognitione ad calculos rite ſubducendos carere non poſſumus, incaute omiſſam fuiſſe, oſtendemus. Codicem innuimus, qui Lvdovici *Ducis Aurelianenſis*, principis literarum, maxime orientalium, ſtudioſiſſimi olim fuit, atque poſt illius obitum bibliothecae regiae Pariſ. illatus eſt *). Complectitur uno volumine omnes vet. teſt. libros hebr. cum Maſora, multas animalium aliarumque rerum figuras exhibente, ac hinc inde auro etiam variisque coloribus diſtincta. Librorum quorundam vox initialis majoribus reliquo contextu, immo aureis nonnunquam literis ſcripta eſt, literae autem majuſculae vulgo dictae, qua-

*) [*Kennicott*. 332.]

quarum haud exiguus numerus adeſt, adeo magnitudine ſuperant reliquas, ut vel non quaerentis conſpectui ſe objiciant, et ſunt hae ipſae nonnunquam ex auro confectae. In quo libro deſcribendo ſi ſimus prolixiores, poſſumus nos hac excuſatione uti, quod ejus notitia et Wolfium et Kennicottum ſubterfugerit, et quae de eo literis unquam tradita ſunt, deliteſcant quaſi in libro, qui et ipſe in paucorum manibus eſt, *Diario* nempe *Trivurtienſi a)*. Hujus itaque MSti folio ultimo haec extat prolixa ſatis narratio, quam, ut facilius intelligantur, quae deinde dicturi ſumus, liceat nobis exhibere talem, qualem ex autographo in ſchedas noſtras retulimus. אני שלמה
בן חרב ר חסדאי יש״י עם״ קניתי זאת המקרא לעצמי
שיש בהעשרים וארבעה ספרים בכולונייא מתא
בשנת קנט לאלף הששי וקניתיהו מיר כמ״ר
מנהם. יץ בכר משה נע מהספרים שחלקו הוא
וכמר שלמה יץ בכר ידידה נע וכמר אליעזר נע
וקניתיה. על יד כמה״ר יהודה פינצי נרו יכתבה הרב
ר יהושע בן הגאון ראש גולת אריאל עטרת
תפארת ישראל ר אברהם הנצבה בשנת ת׳הרס״א
כמו שכתו׳ במסורת כנפי נחש שרף מג׳ ראשים
מכתיבה דקה ב״ף נט ואל עילום יזכני להגות בה
אני וזרעי וזרע זרעי עד סוף כל הדורות
Ego Salomo b) fil. ampliſſ. R. Chasdai (ſuper quo ſit pax

a) vid. Memoires de Trevoux. Juillet 1743. Article L. Diſſertation ſur une Bible Hebraïque en MS. qui eſt dans la Bibliotheque de ſon Alteſſe S. Monſeigneur le Duc d'Orleans, dechiffrée par le Sieur Adolphe, ſon Sécrétaire ordinaire.

b) Idem forte, qui an. Chr. 1397. codicem deſcripſit extantem Florentiae in biblioth. Medicea. vide Wolfium in Biblioth. H. Vol. I. pag. 1054.

pax & requieſcat in cubili ſuo) emi pro me ipſo codicem hunc biblicum complectentem XXIV libros in urbe Bononia ao. 159. *ſecundum computum millenarii ſexti* (*i.e. an.* Chr. 1399.). *Et emi illum e manu glorioſi doctoris noſtri R. Menachem (quem cuſtodiat rupes ejus) fil. honorati R. Moſis (cujus requies ſit paradiſus) e libris, quos partiti ſunt ipſe & glor. doctor noſter Salomo (cuſtodiat eum rupes ejus) fil. honorati R. Jediaah (cujus requies ſit paradiſus) & glor. doctor noſter Elieſer (c.r.ſ. parad.). Et emi illum opera glorioſi doctoris noſtri ampl. R. Judae Pinazi (cuſtodiat eum Deus miſericors & liberet eum). Et ſcripſit illum excell. R. Joſua, fil. Gaonis, capitis exilii, Arielis, coronae & ornamenti Iſraëlis R. Abrahami (ſit anima ejus ligata in faſciculo viventium) anno* התרסא, *ſicut ſcriptum eſt caractere minuto in textu Maſoret..ico in alis draconis, in maſora ſc. magna ad* ראשים, *folio* 59. *Dignetur me Deus ut mediter in illo, ipſe & poſteri mei & poſterorum poſteri usque ad finem omnium aetatum.* — Teſtimonium autem librarii, quod citat *Salomo* priſtinus libri poſſeſſor, in fol. 59. margine inferiore expreſſum legitur ſeqq. verbis ad formandam draconis alam compoſitis: אני יהושע בר אברהם נרו כתבתי *Ego Joſua, fil. R. Abraham:* זו הכתיבה בחדש מרחשון שנת התרסא (*quem cuſtodiat Deus miſericors & liberet*) *exaravi hanc ſcriptionem menſe Marcheſchvân anni* התרסא. Ac ne forte putaveris, hoc de Maſorae tantum ſcriptione intelligendum eſſe, quae multis poſt annis contextui hebr. poſſit eſſe adjecta; proferamus etiam alium locum in folii 55 margine infer. extantem, ubi librarius haec de ſe profitetur: אני יהושע בר אברהם הגאון נרו *Ego fil. Joſua, fil. R. Abraham, fil Gaon,* כתבתי ונקדתי ומסרתי: *ſcripſi & puncta atque maſoram adjeci.* Alibi etiam teſtatur, codicis ſcriptionem ſe perfeciſſe בטורילה, *Tude-*

Tudelae, qui locus Hiſpaniae oppidum eſt haud incelebre.

§. VIII.

His ex ordine praemiſſis accedimus jam ad quaeſtionem primariam, a quonam inde termino nimirum numerus תתרסא, qui ſcriptionis annum denotat, ſit computandus. Et Adolphvm quidem ſi audias, eſt codex ille venerandae profecto aetatis, utpote ſcriptus anno poſt Chriſt. natum 729 aut 749, ad quod probandum hac potiſſimum argumentatione utitur. Duplex, ait, in uſu apud Judaeos poſita eſt numerandi ratio, altera quae a mundi creatione ducitur, altera quae aera Contractuum, מנין שטרות, vocatur. Illam hic intelligendam eſſe ſi ſtatuas; dicendum, literam primo loco poſitam (ת) valere 4000, ſecundam (ת) 400, tertiam (ר) 200 cet. atque hac ratione prodibit annus a creat. mundi 4661, qui eſt aerae vulgaris circiter nongenteſimus. At quoniam hac aetate uſitatum non erat Judaeis, annos a creatione mundi computare, ſed poſtea demum invaluit iſta conſuetudo circa an. Chr. fere 1040; ſequitur, annum 1001, quem efficiunt literae תתרסא, computandum eſſe ab aera Contractuum. Hujus inituum ſi ex plurimorum ſententia derivandum ſit ab Alexandri M. ad urbem Hieroſolymam adventu, qui annis 332 nativitatem Chriſti praeceſſiſſe creditur; annus 1061 aerae contract. reſpondet anno aerae Chriſt. 729. Eorum vero opinionem ſi ſequaris, qui aeram contract. a Seleuco Babyloniae rege originem ſuam traxiſſe & annis tantum 312 anteriorem eſſe aera Chriſtiana ſtatuunt; dicendum, codicem ſcriptum fuiſſe anno Chr. 749 — Verum enim vero ut jam de eo non dicamus, praeter duplicem illam temporis notandi rationem Judaeos eam quoque nonnunquam adhibuiſſe, qua anni in-

de ab excidio templi ſecundi computantur *a*): atque ut concedamus etiam, conſuetudinem illam computi a mundi creatione faciendi ſaeculo denum aerae vulgaris X aut XI invaluiſſe; *b*) in eo tamen errorem commiſſum eſſe putaverimus, quando literae ה.ת.ר.סא ſi ſint a creatione mundi computandae, tantum valere perhibentur, ut efficiant numerum 4561. Quod quibus argumentis comprobari queat, nos quidem non intelligimus. Ex vulgari enim apud Judaeos numerandi conſuetudine שנת התרסא ſignificat an. 1061 *c*), qui, ſi in exemplo propoſito a creatione mundi fuerit ſupputandus, ad aeram Chriſt. ita reducitur, ut numero 1061 addatur millenarus quartus, quem plerumque omittunt Judaei, & a ſumma (5061) deducantur anni 3760. Hac igitur ratione ſi calculos ſubduxeris; ſcriptum habebis codicem an. Chr. 1301.

§. IX.

Multi praeterea codd. hebr. extant, quorum vel ſcriba vel punctator nomen ſuum profeſſus quidem eſt, ſed absque ulla temporis, in quod vivendo incidit,

a) Exemplum vid. in Wolfii Biblioth. H Vol. IV. pag. 80.

b) Judaei jam inde ab initio IItiae Monarchiae usque ad aetatem Rab Sherirae, qui vixit a. 4727 a creat. mundi, i. e. anno Chr. 967, juxta aeram contractum computare annos conſueverunt, poſt illud vero demum tempus aeram a mundi creatione adhibuerunt. juxta R. David Gans in Chronico Zemach David, Parte I. ad A mundi conditi 3448 — verba ſunt Matthiae Frid. Beckii, §. 29 Monumentorum antiqq. Jud. quae inſerta ſunt Blasii Ugolini Theſauro antiquitt. ſſ. T. XXXIII.

c) Vid Beveregii inſtitutt. chronologicas, pag. 211 edit. IIdae Londin. 1705.

dit, ſignificatione. Et quanquam Wolfius, laudabili caeterum inſtituto, ad promovendam MSS. hebr. notitiam contexit aliquem ſcribarum punctatorumque Jud. catalogum *a*); parum tamen utplurimum in dignoſcenda codicis aetate adiuvamur tali quodam indicio, a quo temporis nota abeſt, tum quod obſcuriores plerumque ſunt iſti homines, qui libros deſcribendo vitam ſuſtentarunt, quam ut aliunde innotuerit illorum aetas, tum quod idem nomen pluribus, aetate licet multum a ſe invicem diverſis, hominibus poterat eſſe commune. Quod utrumque aliquo exemplo pauciſſimis illuſtrabimus. Codex *Caſſellanus*, *) cujus prolixam recenſionem dedit Schiedius *b*) ſcriptus eſt ab *Iſaaco* quodam, fil. R. *Baruch.* Jam cum ſolicitus eſſet de mſti aetate determinanda Sbhiedius, deprehenderetque apud Wolfium *c*) R. *Iſaacum*, f. *Baruch*, f. *Alcalaja Cordubenſem*, natum an. Chr. 1035, fatoque functum an. 1094; jure quodam ſuo putabat huic ipſi maximae inter ſuos famae viro codicis ſcriptionem tribuere ſe poſſe: & ſuo quoque ſuffragio hanc ſententiam ornat Ill. Michaelis *d*). At non inepte, ut nobis quidem videtur, contra eam monet Tychsenius, v. clar. *e*) plures ejusdem nominis viros comparere in Wolfii Biblioth. Hebr. & extitiſſe ſine dubio etiam alios, qui a Judaeis in tabulas nunquam fuerint redacti. — Codicem *Dresdenſem* *) exaratum

a) Biblioth. H. Vol. II. pag. 537.

*) *Kennicotti* 157.

b) in Obſervatt. Sacrarum Biga. Brem. 1748.

c) B. H. Vol. I. pag. 651.

d) Biblioth. Orient. Part. I. p. 223.

e) in Tentamine de variis codd. hebr. V. T. MSS. generibus &c. Roſtoch. 1772. pag. 266.

*) *Kennicott.* 598.

tum eſſe ab אליעזר בר שמואל חלוי סופר מהרן teſtatur Bahrdtivs *f*), & quamquam aetatem illius definiri nullo modo poſſe ingenue fatetur, putat tamen *Elieſerem* illum librarium oriundum eſſe ex *Haran*, ſeu Carris in ea Aſiae provincia, quae Diarbecr vocatur. Carpzovivs *g*) autem cum idem vocabulum referat cum Daleth ſcriptum (מהרן); clar. Tychsenivs, ut hypotheſi nimirum inſerviat, qua multos codd. a monachis atque exjudaeis ſcriptos eſſe arbitratur, ita explicat, ut dicat, librarium fuiſſe מן הקהל דנוצרים *e coetu Chriſtianorum h*).

§. X.

Verum enim vero inquiat aliquis, pone ſubſcriptiones iſtas omnes vel plane deficere, vel fictas eſſe & ſuppoſititias, ſunt tamen a viris doctis & rei criticae peritis certi quidam characteres conſtituti, & praecepta etiam tradita, quorum ope hebr. codd. aetas non minus, quam in graecis latinisque factum id eſt, inveſtigari poſſit & definiri. Et primus quidem qui ejusmodi criteria ex inſtituto proponere tentavit, Jablonskivs eſt *a*), cujus deinde veſtigia ſecuti ſunt Hovbigantivs, Kennicottvs aliique. Illa vero quam vellem ita comparata eſſent, ut ſufficerent ad certum ac conſtans de codd. ferendum judicium. De quo nos quidem valde dubitamus. Eſt enim longe alia ratio in mstis hebr. ac in graecis vel latinis. In his nimirum cognoſcendis & dijudicandis primarium fere ſubſidium petitur ex forma atque habitu chara-

 cteris

f) in Proluſione de cod. Dresd. pag. 5.
g) Crit. S. pag. 384.
h) loc. cit. pag. 34.
a) in Praef. ad Biblia §. 37.

cteris quo ſunt exarati, qui cum a multis retro ſaeculis varias easque inſignes paſſus ſit viciſſitudines, non in ſingulis tantum literis, ſed literarum etiam compendiis, accentibus, interpunctionibus cet. in certas proinde claſſes ac temporum periodos ita diſtribui recte poteſt, ut plurimorum librorum aetas magna cum probabilitate queat determinari. Sed hoc praecipuo ſubſidio non ſine magno rei criticae incommodo caremus in codd. biblicis hebraicis. Hi enim omnes charactere quadrato ſcripti, exceptis pauciſſimis, in quibus magis inclinat ad rotundiorem ſcribendi modum, qui Judaeo germanicus dici vulgo ſolet, non modo ſcribendi compendiis carent, niſi quod interdum, ſub finem praecipue linearum aut duae literae in unam contrahuntur, aut litera finalis omittitur, notato tamen defectu, ut ישרא pro ישראל quae & ipſa exempla raro occurrunt *b*): ſed in ipſius etiam ſcripturae habitu univerſo maximam inter ſe habent ſimilitudinem. Differunt omnino diverſorum codd. characteres ratione elegantiae, magnitudinis, aequabilitatis, ſimplicitatis: immo etiam ſingularum quarundam literarum talis paſſim figura conſpicitur, quae ab uſitato ſcribendi modo perquam recedit *c*). Sed iſta omnis diverſitas, quae tota fere ad artem calligraphicam pertinet, non obſtat, quo minus, qui hebraica

b) conf. Jo. Henr. Michaelis Diſs. de codd. Erffurtt. pag. 15 & Bahrdtii Obſervatt. crit. circa lectionem codd. hebr. mss. pag. 21.

c) conf. ejusdem Bahrdtii Obſervatt. p. 16. Eandem fere quae ibi occurrit literae Tſain figuram deprehendimus hinc inde in cod. *Stutgardiano*, qui Nun etiam finale in quibusdam locis, v. c. Gen. 9, 22. 25. 26. & Kuph, Exod. 32, 25. Levit. 7, 2. ſingulari quodam modo pictum habet. Sed iſtae minutiae videntur pertinere ad luſus librariorum.

hebraica typis expreſſa promte legere novit, libros etiam manu exaratos, recentiores aeque ac antiquiores v. c. *Oxonienſem* Imum, & *Reuchlinianum* an. Chr. 1106 ſcriptum, nullo fere negotio legere poſſit & cognoſcere. Quod ne cui forte juſto audentius dictum eſſe videatur; liceat nobis producere teſtimonium viri, cujus profecto magna eſt in ejusmodi quaeſtionibus auctoritas, Montfauconii nimirum, qui probaturus, literas hebraicas Hieronymi aetate uſitatas easdem fuiſſe cum hodiernis, provocat ad codd. etiamnum ſuperſtites, & ſpeciatim *Bononienſem* illum pentateuchum omnium fere antiquiſſimum, & diſertis verbis pronunciat: „In hiſce porro omnibus codicibus eadem ipſa, quae in hodiernis Bibliis, characterum forma deprehenditur, ita ut nihil diſcriminis intercedat" *d*). Atque de hac aſſertione ut quodam modo judicare queant etiam illi, quibus libros vetuſtos adeundi copia non eſt, videant modo ſpecimina aliquot ex codd. *Bononienſibus*, *Erfurtenſi* & *Caſſellano* aeri inciſa & cum erudito orbe communicata *e*).

§. XI.

Non tamen ſilentio praetereunda ſunt, quae in contrariam fere partem perhibet Kennicottus, *a*) qui probaturus, literas hebr. a priſcis inde temporibus magnas ſubiiſſe viciſſitudines, triplici potiſſimum

 argu-

d) Praeliminar. in Hexapla Origenis Cap. II. §. 2. pag. 22. edit. Paris.

e) in Nouveau Traité de Diplomatique, Paris 1750. tabula XVI, quae eſt ultima Tomi I. in b. Bohnii, amici olim cariſſimi, Unterſuchung der Erklaerungen ueber 1 Sam. 6, 19. & Ill. Michaelis Biblioth. Orient. Part. I.

a) in Diſſert. II. pag. 152.

argumento utitur, ut primo characterem gemmis Baſilidianorum inſculptum & Alphabetum hebr. a MONTFAVCONIO primum (loco proxime citato) ex msto quodam publici juris factum objiciat aliter ſentientibus, deinde codd. etiamnum ſuperſtites inſpicere jubeat ad intelligendum, quam varie eaedem literae formatae fuerint a Judaeis diverſis temporibus ac locis degentibus, & denique mentionem faciat libri msti in bibliotheca *Bodlejana*, Jobum complectentis, quem eruditi quidam, bene caeterum exercitati in vulgari Judaeorum ſcribendi ratione, plane non noverint legere. Verum enim vero quaenam primo auctoritas eſſe poteſt vel gemmarum illarum, in quibus praeter paucarum literarum figuras vix aliud quidpiam expiſcari valeas, vel Alphabeti, cui non multam fidem habendam eſſe ipſe perhibet MONTFAVCONIVS, quod depictum ſit a calligrapho graeco, ſed ita indiligenter, ut non ſecum ipſe conſentiat, & cum idem alphabetum repetit, a priore quam poſuerat forma, ſaepe deflectat? Deinde characterem in diverſis codd. adhuc extantibus differre pro ratione temporum & locorum, concedi quidem poteſt: num vero tanta ſit iſta diverſitas, ut non circa minutias tantum calligraphicas, ſed literarum etiam ipſam formam atque ſtructuram verſetur, ea ſane quaeſtio ita comparata eſt, ut non ratiociniis ſed oculorum uſu ac ſenſu debeat decidi. Ille tandem cod. Bodlejanus, quem literis Judaeorum tachygraphicis ſcriptum eſſe probabiliter conjicit TYCHSENIVS v. cl. memorabile quidem ac fere unicum exemplum eſt libri biblici charactere, ut ajunt, curſivo deſcripti: ſed hanc ipſam ob cauſam minus recte adhibetur ad probandam characteris in reliquis codd. ſcripturam quadratam habentibus diſſimilitudinem *b*).

§. XII.

b) in Tentamine de variis codd. hebr. generibus, pag. 164.

§. XII.

Jam vero ſi iſta criteria *Jablonſkiana* ſub examen revocentur aequum atque a partium ſtudio alienum; vereor ſane, ne multa contra ea non ſine veritatis ſpecie diſputari poſſint. Et ven. LILIENTHALIUS quidem illa haud omni exceptione majora eſſe, atque ad exacte definiendam codicis aetatem non ſufficere, bene cognovit *a*): clar. vero TYCHSENIUS uberius etiam hanc materiam tractavit, ut quae conſtituta ſunt adhuc a viris doctis criteria ad cognoſcendam codd. aetatem, ſingulatim examinaret, & quam parum illis tribuendum ſit, oſtenderet *b*). Cujus viri doctiſſimi liber, multa nova & ſcitu digniſſima complectens, cum debeat eſſe in omnium manibus, qui ejusmodi res curant; ſane jam non eſt animus vel repetere, quae ſunt ibi prolixe tradita, vel ſic dictos characteres antiquitatis omnes ac ſingulos ſub examen vocare: ſed paucas tantum obſervationes proponere tentabimus, haud plane, ſperamus, ſuperfluas ad intelligendum, quam ſit difficile, de vera codd. hebr. aetate recte ſtatuere. *Primo* itaque ſi hunc antiquitatis characterem conſtituit JABLONSKIUS, *ut ſcriptura ſit elegans ſine artificio & priſca ſimplicitate venerabilis*; dixerim fere ad hoc ſtatuendum permotum eum fuiſſe auctoritate RICH. SIMONII *c*). Hic enim ut viam monſtraret e codd. hebr. numero ſeligendi eos, qui eſſent meliores & emen-

a) in Commentat. Critica ſiſtente II. codd. MSS. hebr. notitiam. Regiomonti 1770. pag. 88. 89.

b) Libri cit. ſectione tertia.

c) Hiſt. Crit. du V. Teſt. L. I. C. 23. "Pour diſtinguer donc les bons Manuſcrits d'avec ceux qui ſont peu exacts, il faut prendre garde, que le caractére ſoit entiérement ſimple, bien proportionné, & qu'il n'y ait rien d'extraordinaire."

emendatiores reliquis, tales praeferendos eſſe praeceperat, quorum character ſit ſimplicitate & aequabilitate conſpicuus, nec quicquam ſingulare habeat: quibus idem haud obſcure libros in Hiſpania ſcriptos innuebat. Jam quod bonitatis indicium eſſe voluit Simonius, idem alii pro antiquitatis etiam charactere accipiendum eſſe exiſtimant. At nonne prioribus quoque ſaeculis librarii Judaici eleganter ac ſine artis affectatione, Hiſpanorum more, exarare libros poterant? Et ſi omnino concedatur, codicem characteris cum elegantia, tum ſimplicitate etiam commendabilem, majorem ſibi antiquitatis ſpeciem vendicare poſſe quam alium, qui vel initiales librorum voces linearum ductibus variis & imagunculis circumcinctas habet et ornatas, vel contextum Maſorethicum ita diſtortum, ut animalium, florum cet. picturae exhibeantur, vel aliis ejusmodi luſibus atque ornamentis, ingenioſis ſcilicet, abundat; hoc tamen profecto non ſufficit ad tempus, quo unus & alter ſcriptus ſit, probabiliter definiendum.

§. XIII.

Atque hic non poſſumus, quin breviter dicamus aliquid de ea cl. Tychsenii ſententia, qua hujusmodi codd. omnes, qui maſoram habent in varias figuras redactam ab hominibus nonjudaeis exaratos fuiſſe confidenter pronunciat *a*) eam quidem ob cauſam, quod monachi praecipue ejusmodi calami luſibus delectati, Judaei contra imaginibus quibuscunque, maxime lege prohibitis & ſanctos libros profanos reddentibus infenſiſſimi olim fuerint. Duo autem praecipue ſunt, quae hic nobis obverſantur dubia. Primo enim neque R. Chajim, Bombergianorum bibliorum editor,

a) loc. cit. pag. 31. 251. 270.

editor, neque ELIAS LEVITA *Germanus*, dum uterque de librariorum inepta conſuetudine, maſoram in nodos & imagines contorquendi, graviter queritur, ille in praefat ad ſuam bibliorum editionem, hic in praefat. Ilda ad librum *Maſoret Hammaſoret b*), vel verbulo innuit, eam aut hominibus nonjudaeis tribuendam, aut religioni atque reverentiae ſacris libris debitae contrariam eſſe: atque etiam alii Judaei ab ea ſuſpicione longiſſime remoti eſſe videntur, ſi verum eſt, quod Judaei Amſtelodamenſes aliquando obtulerint 1400 flor. pro msto *Leidenſi*, *c*) & VEGA Judaeus codicem, quem ipſe poſſidebat, imaginibus ex Maſora compoſitis inſtructiſſimum, noluerit vendere pro ter mille & ſexcentis flor. regis Hiſpaniarum nomine ipſi oblatis *d*). Deinde hujus generis codd. extant complures, quos a Judaeis atque in Judaeorum uſus exaratos fuiſſe ex ipſis librariorum teſtimoniis cognoſcitur *e*). Probandum

b) vid. clariſs. NAGELII diſputat. an. 1758. habitam, quae praefationem Ildam Eliae continet, pag. 14. 15.

c) vid. Catalogum bibliothecae publicae Lugduno-Batavae, edit. 1716. fol. pag 409.

d) Narrationem Jo. LOMEIERI, in Dierum genialium, ſ. Diſſertatt. philolog. decade I. vide apud SCHIEDIUM, loc. cit. p. 53.

e) 1) cod. regius *Pariſienſis*, de quo ſupra, §. VII. 2) cod. *Sorbonnenſis* I, ſcriptus a Joſepho librario pro R. Aaron. fil. R. Jacob. 3) cod. *Muſei Britannici* 5773. ſcriptus ab Esdra fil. R. Jacob. 4) cod. *Argentinenſis*, ſcriptus a Moſe fil. Aaron, & punctis atque Maſora inſtructus ab Iſaac fil. Salomo, pro R. Elihu, fil. Aaron (vid. clar. OBERLINI miſcella literaria). 5) cod. *Erfurtenſis* I. ſcriptus a Baruch fil. R. Zerach pro haeredibus R. Schallum (vid. J. H. MICHAELIS Diſſert.) 6) cod. *Hageniaus* (WOLF. Vol. IV. p. 82.) ſcriptus a R. Meir, fil. R. Jacob, pro R. Abraham, fil. R. Nathan,

dum itaque erit, aut ſubſcriptiones iſtas omnes ſpurias eſſe atque fictitias; aut librarios illos ortu quidem & nomine Judaeos fuiſſe, ſed repudiata paterna fide ad chriſtianorum ſacra tranſiiſſe; aut textui hebraico Judaei opera ſcripto poſtea demum Maſoram adjectam fuiſſe ab homine non judaeo. Quo omnia quam ſint vero parum ſimilia, quilibet, nobis non monentibus, facile intelligit.

§. XIV.

Secundo *Maſorae vel paucitas vel abſentia* antiquitatis indicium eſſe vulgo exiſtimatur, & Kennicottus etiam eo usque procedit, ut maſorae univerſae aliarumque notarum marginalium abſentiam in codice, aliis vetuſtatis characteribus non deſtituto, firmum & vix diſputabile permagnae antiquitatis argumentum pronunciet *a*). Sed hic etiam magna cautione opus eſt in judicando. Quamquam enim Maſora primitus ſeorſim deſcripta fuit, & poſtea demum mos invaluit, hebr. textui eam comitem adjungendi in libris privato uſui deſtinatis (Synagogici enim eam non admittunt); non tamen inde ſequitur, codd. maſoram nullam habentes jure quodam ad priſca illa tempora eſſe referendos. Primo enim vix putaverim, aut iſtam conſuetu-

than, punctatus et Maſora inſtructus a. R. Chajim ben R. Schnejor. Conf. porro Wolfii Biblioth. H. Vol. II. pag. 295. 300. 321. cet.

a) Diſſert I. pag. 316. As it has been determined by the general Marks of Antiquity before ſpecified, that a Ms is, in general ſo much the Older, by how much the leſs it has of theſe marginal Obſervations; ſo an abſolute freedom from them is on all Hands allowed (if the Ms. has other Marks of Age) to be a ſtrong and indiſputable Proof of very great Antiquity.

ſuetudinem tam univerſalem factam, aut Maſoram tam neceſſariam codicis perfecti partem habitam unquam fuiſſe, quin ſaepe factum ſit, ut qui codicem ſibi deſcribendum curaret, maſoram conſulto negligendam eſſe praeciperet, vel ut parceret ſumtibus, vel quod forte jam inſtructus erat maſorae ſeparatim conſcriptae quodam exemplo, cujus obtinendi facilior profecto copia erat prioribus ſaeculis, quam hac noſtra aetate, qua rarius deprehenduntur in bibliothecis libri illi maſorethici. Et extant omnino complures hebr. codd. maſora prorſus carentes, at multo tamen recentiores, quam ut commode poſſent ad ea ſaecula ablegari, quibus maſoram libris biblicis adjungendi mos nondum invaluerat. Deinde caſu etiam omitti poterat maſora, cujus rei variae concipi poſſunt cauſae. Quod enim vocibus librorum initialibus nonnunquam accidit, ut omiſſae fuerint, non quod conſulto abeſſe deberent, ſed quod caſu quodam deſint, cujus rei exemplum praecipue obſervavimus in cod. Muſei Britannici 5498. *b*): idem etiam Maſorae nonnunquam eveniſſe non eſt quod dubitemus. Si vero lineae etiam ad excipiendam maſoram in margine ductae compareant, manifeſto hoc indicio erit, eam nonniſi caſu quodam deeſſe. Atque hoc ipſum deprehendimus in cod. illo *Bodlejano* Imo, in cujus antiquitate depraedicanda tam operoſum ſe praeſtitit KENNICOTTUS. Maſoram enim quamquam habet nullam, habet tamen lineas in ſummo & infimo margine ad regu-

b) in hoc nimirum cod. plurium librorum vox initialis deeſt. Librarius, ut videtur, abſoluto demum opere in ſpatio inter libros vacuo relicto pingere eas & artificioſe exornare ſecum conſtituerat, & in quibusdam quoque locis literas rudi penicillo jam delineaverat: ſed quo minus perficeret negotium, neſcio qua cauſa impeditus eſt.

regulam ductas, notisque maſorethicis excipiendis procul dubio deſtinatas. Sive illae ab initio ſtatim, ſive poſtea demum additae fuerint, quod quidem in neutram partem unquam poterit definiri; res ipſa tamen in recenſendo codice, ejusque ſumma antiquitate ex Maſorae praecipue defectu aſſerenda, non erat plane ſilentio praetereunda.

§. XV.

Aliud antiquitatis indicium in eo inveniſſe ſibi viſus eſt Houbigantius *a*), Kennicottus *b*), aliique horum auctoritatem ſecuti, *ſi ſine punctis vocalibus fuerit codex primum deſcriptus*: idque factum eſſe, ex diverſo atramenti in literis & punctis colore intelligi poſſe exiſtimant. Ejusmodi igitur codd. putant ad illa tempora referendos eſſe, quo puncta vocalia, qualia nunc habemus, nondum erant in uſu poſita apud Judaeos. Verum ſi concedatur etiam punctorum novitas; debebant tamen qui ita ratiocinantur, in tanta opinionum de punctorum origine diverſitate tempus etiam indicare, quo primum inventa aut publici juris facta ea fuiſſe arbitrantur, & terminum quaſi conſtituere, quem excedere quidem poſſit codd. ſine vocalibus primum ſcriptorum aetas, quo vero poſterior eſſe nequeat. Num a magiſtris forte Tiberienſibus, circa an. Chr. quintengeſimum, puncta vocalia inventa fuiſſe volunt? Tunc profecto codd. illi eſſent venerandae aetatis, & haberemus de quo nobis mirifice gratulari poſſemus. Aut ad ſaeculum forte undecimum originem punctorum rejiciunt, eorumque auctores ſtatuunt duumviros iſtos R. Aaronem ben Aſcher, & R. Moſen ben Naphtali, quo poſito, codd. ſine punctis

a) Prolegomen. pag. 195.

b) Diſſertat. I. pag. 315.

punctis primum deſcriptos ad ſaec. XI. initium ad minimum referant neceſſe eſt. In quo ne ſint juſto largiores, nos perquam veremur. Qui enim multos codd. hebr. viderunt, teſtari poſſunt, paucos eſſe, qui ejusdem coloris atramentum exhibent in literis & vocalibus: multo autem frequentiores, in quibus punctorum facies literis vel nigrior eſt vel pallidior. Hoſce vero omnes ſaeculo XI priores eſſe, quis eſt tam facilis ut perſuaderi ſibi patiatur? Sed ut libere mentem noſtram profiteamur, nos etiam ſaepe mirati ſumus, viros doctos tantum tribuere potuiſſe huic argumento ex atramenti in literis & vocalibus diverſitate deſumto. Quid enim inde ſequitur? Hoc, puto, non omnia uno eodemque tempore ſcripta fuiſſe: longum autem an breve temporis intervallum inter utramque ſcriptionem interceſſerit, id quidem nulla probabili ratione exinde colligi poteſt. Praeterea in deſcribendis codd. hebr. ille mos plerumque obſervatus fuiſſe videtur, ut primo formarentur nudae literarum figurae, & hoc demum opere abſoluto vocales, accentus, puncta diacritica adjicerentur. Atque hunc ordinem res ipſa fere poſtulabat. Vix enim crediderim, eundem calamum, qui ad pingendas literarum figuras, grandes ut plurimum, ſpiſſas ac membranae altius imprimendas adhibebatur, aptum quoque fuiſſe exprimendis punctis lineolisque admodum minutis atque ſubtilibus. Deinde in omnibus, quorum ampliores recenſiones habemus, codd. deprehenduntur literae ac voces vocalibus deſtitutae, quae ſunt manifeſto indicio, puncta non eodem cum literis tempore expreſſa fuiſſe. Erant nimirum ſingulares homines, נקדנים punctatores dicti, & in majore etiam, quam סופרים aut ſcribae vulgares, dignitatis gradu inter ſuos poſiti, quibus id erat negotii, ut cod. recens ſcriptum punctis inſtruerent, ſimulque

mendа

menda a librario commiſſa corrigerent. Atque etiam, ſi unus idemque homo triplici illo munere, & literas & puncta vocalia & maſoram ſcribendi defungebatur, quod factum nonnunquam fuiſſe ex quorundam codd. ſubſcriptionibus cognoſcitur, eum tamen quem diximus ordinem ob cauſas ſupra allatas obſervatum fuiſſe exiſtimamus. Neque huic opinioni obſtat, quod codd. nonnunquam reperiantur ſimilem in literis atque punctis colorem referentes, v. c. *Oratorienſes* 55 & 57 *c*). Caſu enim hoc accidere poterat, ut utraque ſcriptio perficeretur eodem aut ſimili atramento, & temporis tamen ratione eſſet diverſa.

§. XVI.

His quae recenſuimus antiquitatis criteriis novum addit Kennicottus, cui magnam etiam vim ineſſe putat, hoc, *ſi literae Mſti adeo ſint detritae, ut atramento iterum obduci neceſſe habuerint a*). Et habet quidem ea res primo adſpectu aliquam veritatis ſpeciem: ſed hic quoque circumſpectione opus eſt haud vulgari, ut ne vetuſtati id tribuatur, quod aliis forte cauſis rectius erat tribuendum. Memorat enim Tychsenius *b*) mſta, quae licet haud admodum antiqua, perquam tamen detrita ſint atque atramento iterum iterumque obducta. De *Bononienſi* contra pentateucho, quem annorum circiter nongentorum aetatem habere putat Kennicottus, teſtatur Montfauconius *αὐτόπτης*, *literas vix quidquam nigredinis amiſiſſe idque pelli tribui atramenti tenaciſſimae. c*). Ac profecto haud nullius

c) Houbig. Prolegom. pag. 199. & 202.

a) Diſſert. I. pag. 316.

b) pag. 285.

c) Kennicotti Diſs. I. pag. 309.

nullius momenti eſt ad recte ſtatuendum primo membranae qualitas. Quo enim magis ſubacta fuerit, mollior atque tractabilior; eo capacior erit atramenti et tenacior: quo contra durior atque rigidior, eo minus penetrare literas ſinit, quae proinde, praeſertim ſi ſint majuſculae et ſpiſſae, quales fere eſſe ſolent in mstis hebr. facilius franguntur, diſſiliunt, evaneſcunt, manentibus tamen veſtigiis fuſcis, quae deinde atramento ſe obduci iterum patiuntur. Cujus rei manifeſta indicia deprehendimus in codd. *Muſei Britannici Harlejanis* 1528. 5586. 5683. ſcripturam habentibus multis in locis adeo deletam, ut atramentum prorſus evanuerit, et literarum veſtigia vacua ſuperſint. Sed in iſtis codd. hoc ſingulare eſt, quod conſtanti fere ordine unius ejusdemque folii pagina una characterem exhibet ſatis bene conſervatum lectuque facilem, altera vero nil fere habet niſi literarum detritarum fuſca veſtigia. Ex quo planiſſime ſequitur, literarum detrimentum non tam vetuſtati tribuendum eſſe quam vitio potius cuidam membranae, quae nimirum non erat ſatis ſubacta, ut utraque ejus ſuperficies aeque capax et tenax eſſet atramenti. Deinde ipſi etiam atramento ad ſcribendum cod. adhibito multum eſt tribuendum, quod ſi forte erat minus recte confectum, citius diſſipari poterat atque evaneſcere alio quod erat cum majore cura praeparatum. Denique in ejusmodi codd. illud etiam probe conſiderandum, num fuerint multo uſu triti, aut loco iniquo reconditi, aut temporis aliarumque rerum injuriam paſſi. Ea enim omnia multum facere poterant ad characterem, temporis ſpatio non admodum longo, deterendum, magnamque codici antiquitatis ſpeciem conciliandam.

§. XVII.

Praeter ea de quibus diximus antiquitatis criteria ſunt quidem alia quaedam, v. c. frequentior ſcriptio nominis יהוה pro אדני; parcior contra uſus literarum majuſcularum et minuſcularum; membranae flavus color; librorum poëticorum in hemiſtichia diviſio rel. Sed videntur haec eſſe minoris momenti, et ſunt etiam diſcuſſa a clar. Tychsenio tanta cum ſolertia, ut vix ſint poſthac magnam auctoritatem habitura. Nobis itaque pro inſtituti noſtri ratione, cum jam non librum ſcribamus, ſed ſpecimen aliquod academicum, ſufficere illa poſſunt, quae adhuc diſputavimus ad probandum, quam ſit difficile de vera codd. hebr. aetate recte ſtatuere. Quo in argumento ſi ita ſimus verſati, ut dubia tum contra ſubſcriptiones in codd. obvias, tum contra vulgares illos antiquitatis characteres a nobis propoſita, non omni plane vi deſtituta eſſe videantur peritis ac aequis harum rerum judicibus; optandum profecto erit quam maxime, ut viri ab ingenio et doctrina probe inſtructi, et qui copiam quoque habent multa varii generis mſta hebr. videndi (ſolo enim ingenio parum efficitur, niſi accedat uſus), illuſtrandae huic materiae, obſcurae adhuc et difficili operam ſuam velint impendere et certiora ac tutiora praecepta ſcribere ad codd. aetatem definiendam. Et ſperamus etiam effectum hoc dari a Kennicotto in prolegomenis, operi biblico quod parat magno et arduo praefigendis. Praeterquam enim quod ipſe praeclare novit, quantum interſit aetatem codicis noſſe, cujus varietatibus uti velis ad veram lectionem afferendam, non modo idem plura mſta perluſtravit quam quiſpiam alius, ut multa profecto egregia ab ipſo jure quodam expectari queant: ſed et ſpeciminibus editis in judicando ſe exercitatiſſimum demon-

demonſtravit. Nam *Pariſiis* in bibliotheca collegii *Sorbonnenſis* codd. hebr. circiter XXVII, quorum pauciſſimi ſunt ſubſcriptione aliqua inſigniti, tam facile ad certas temporum periodos redegit, ut non modo ſaeculum nuncuparet quo ſit unusquisque ſcriptus, ſed et nonnunquam ſaeculi adeo initium vel exitum: ut cognovimus ex ejusdem biblioth. praefecto humaniſſimo, doct. Adhenet, theologiae Dr. qui ipſe etiam in catalogo ſingulis mstis aetatem adſcripſit, prouti a Kennicotto erat definita. Id vero, noſtra quidem ſententia, praeſtare aliqua probabili ratione non potuiſſet vir celeberrimus, niſi longo uſu ac ſtudio edoctus antiquitatis indicia tandem eruiſſet meliora ac certiora illis, quibus annis abhinc fere undeviginti uſus eſt, cum primam ſuper ratione textus hebr. diſſertationem publicaret. Sed de hoc tum demum conſtabit, quando opus ab illo ſusceptum in lucem publicam prodierit, quod ut brevi fiat, nos juxta cum multis aliis vehementer optamus.

II.

CARMEN DEBORAE, JUDICUM V.

Auguſtum, quod poſt inſignem a Canaanaeis reportatam victoriam cecinit Debora, carmen non minus difficile eſſe ad intelligendum atque adeo in quibusdam locis obſcurum, quam in multis aliis elegans eſt et ſublime, omnes, qui de his rebus recte judicare poſſunt, uno quaſi ore teſtantur. Et quamvis illud nactum ſit, noſtra praeſertim aetate, praeter eos quorum opera communis erat univerſo codici hebraeo, proprios etiam interpretes, et multos et profecto haud vulgares, Ger. Jo. Lettivm *), Gvil. Greenivm **), A. F. Rvckersfelderum ***), Abr.

*) Edidit 1) diſſertationem acad. praeſ. A. Schvltensio in carmen Deborae. 2) obſervationes philol. crit. in auguſtiſſima Deborae & Moſis cantica Jud. V. & Exod. XV. Lugd. Bat. 1748. 8. 3) animadverſiones ſacras ad textum hebr. accedit canticum Deborae novis & tertiis curis illuſtratum. ib. 1759. 8. Nos uſi ſumus nonniſi Obſervationibus.

**) The ſong of Deborah, reduced to metre, with a new translation and commentary. to which are added notes critical & explanatory. by Will. Green. M. A. Cambridge 1753. 4.

***) Sylloge commentatt. & obſervatt. philol. exeget. faſcic. I. Daventriae 1763. 8.

Abr. Tellervm †), Jo. Balth. Lüderwaldivm ††), haud tamen, etiam poſt tam varios doctiſſimorum virorum conatus, tam perfecte explicatum atque per omnia expeditum videtur, quin ſubinde clariorem lucem et faciliorem partium inter ſe cohaerentiam deſiderare poſſis. Viſum itaque fuit cum ſcribendum aliquid eſſet, noſtram quoque qualemcunque operam ad interpretationem hujus poëmatis, quod inter ſacrae hebraeorum poëſeos monimenta vetuſta praecipuum aliquem locum obtinet, conferre. Non quod adeo arrogantes ſimus, utputaverimus, nos tam bene ſatisfacturos eſſe cauſae noſtrae, ut omnes omnino difficultates poſthac evaneſcerent: ſed hoc tamen ſperabamus, fieri poſſe, ut quibusdam ſaltem locis nova quaedam lux affundi planiorque, quam antea factum erat, ſenſus conſtitui poſſit. Verum, de hoc quidem nihil attinet plura a nobis dici: ſupereſt, ut de lectionis varietatibus, quas in conſpectum producimus, breviter moneamus benevolum lectorem. Nempe cum peregrinatio opportunitatem nobis praeberet inſpiciendi vetuſta hebr. cod. exempla mſta non pauca, et vero neque temporis neque ſtudiorum ratio permitteret, illa tota perlegere, ſelegimus certa quaedam capita, quorum textum impreſſum compararemus cum libris ſcriptis. Atque in illorum numero erat etiam quintum libri Judicum, quia hoc ipſum tunc quidem requirere nobis videbatur in pluribus lo-

 cis

†) Ueberſetzung des Seegen Jacobs und Moſis, ingleichen des Lieds der Iſraeliten und der Debora, mit beygefügten praktiſchen Anmerkungen. Ej. Notae criticae & exegeticae in Gen. XLIX. Devt. XXXIII. Exod. XV. Jud. V. Hal. 1766. 8.

††) Spicilegium obſervatt. in praeſtantiſſimum Deborae epinicium. Brunsvig. 1772. 4.

cis receptae lectionis emendationem. Quas igitur deprehendimus varietates, ad unumquemque verſum hic ſedulo notavimus, nulli dubitantes, quin gratum hoc futurum ſit lectoribus, qui ejusmodi res curant, quorum magnus hodie videtur eſſe numerus. Quamvis enim ipſi parum illis auctoritatis tribuamus, cum ſint maximam partem ex librariorum oſcitantia ortae, ſpeciminis tamen loco eſſe poſſunt, unde intelligatur, quid fere expectari poſſit ab arduo illo opere Kennicottiano, intra anni ſpatium nunc prodituro. Omiſimus autem conſulto duplicis generis varietates, cum eas quae in punctis cernuntur, tum quae ortae ſunt ex illa librariorum inconſtantia, qua Vav et Jod quieſcens modo ponunt, modo omittunt; quarum immenſa eſt copia.

Sequitur index codicum, quorum varietates adſingulos verſus notatae ſunt: *)

1	Codex	Ienenſis		Kennicott.	182
2	—	Berolinenſis	2	—	607
3	—	—	3	—	608
4	—	—	4	—	609
5	—	—	5	—	610
6	—	—	6	—	611

7 Cod.

*) [*Poſſint quidem nunc, poſt edita* Kennicotti de Roſsii *que opera, dimitti abjici que haec lectionum hebraicarum ſpecimina; at cum viſum fuerit ill.* Eichhornio *uti iisdem in judicando Kennicottiano opere, Append. ad Michaelis biblioth. orient. et exeget. partem XII pag.* 165. *et* Kennicotto *ipſi, ad dubitationes inde oblatas reſpondere diligentius, Diſſertat. generalis pag.* 118. 119. *(editionis Brunſianae pag.* 550 *ſqq.) jam non videntur commode abeſſe poſſe ab hac nova editione.*]

7	Cod.	Muſei britannici	Harlej.	1528	[Kennic.]	100
8	—	—	—	—	5498	—	101
9	—	—	—	—	5710	—	102
10	—	—	—	—	5706	—	107
11	—	—	—	—	5709	—	109
12	—	—	—	—	5773	—	110
13	—	—	—	—	5774	—	113
14	—	—	—	—	1861	—	111
15	—	—	—	—	5722	—	112
16	—	—	—	—	5720	—	114
17	—	Oxonienſis	Bodlejanus		1	—	1
18	Cod.	Paris.	Sangermanenſis		1	[Kennicott.]	365
19	—	—	—		2	—	366
20	—	—	—		3	—	367
21	—	—	Sorbonnicus		1	—	211
22	—	—	—		2	—	212
23	—	—	—		3	—	335
24	—	—	—		4	—	336
25	—	—	—		5	—	337
26	—	—	—		6	—	338
27	—	—	—		16	—	339
28	—	—	—		17	—	340
29	—	—	—		20	—	342
30	—	—	—		21	—	343
31	—	—	—		27	—	348
32	—	—	—		36	—	218
33	—	—	—		38	—	350
34	—	—	—		254	—	220
35	—	Argentoratenſis			1	—	145

36 — Biberaco ad me miſſus qui uno vol. in 4. continet omnes libros vet. teſt. *)

C 4 Acce-

*) [*Codex hic deinceps migravit in bibliothecam celeberr.* de Rossi, *vid Apparatus hebraeo-biblicus*, *Parmae* 1782.

Accedunt codd. Erfurtenſes in bibliorum editione Jo. Henr. Michaelis, Halae 1720. Helmſtadienſis, cujus varietates collegit cel. Vogelius, Regiomontani, collati a ven. Lilienthalio, Stutgardienſis, cujus deſcriptionem nuper edidit cel. Schellingius,

JUDICUM V.

Vs. 2.

בישראל) ישראל cod. 23 ſed ſuppl. eſt ב. יהוה) את יהוה cod. 2 et 11.

כפרע פרעות) Magna eſt virorum doctorum in explicandis his vocibus diſſenſio, Lettius, adſtipulante Alb. Schultensio in comment. ad Proverb. I, 25, verbo hebr. פרע ſignificationem Arabici فرط tribuens, de morum ac religionis *diſſolutione* ſermonem eſſe putat vertitque hoc modo: *in ſumma diſturbatione rerum omnium in Iſraële, dum populus* etc. Sed, praeterea quod admodum dubia eſt verbi פרע cum פרט conjunctio, exigit etiam, ut praeclare monet ven. Tellerus, verborum ſeries et ſtructura, ut Beth infini-

1782 *pag.* 5. *cui nunc eſt* 319. *memorabilis omnino propterea, quod videtur adhibitus fuiſſe Jacobo Chajima in adornandâ ſua editione Maſorethica Venet.* 1525. *vid.* de Rossi *pag. XII. diſſertat. praeliminaris, praefixae Variarum lectionum Vol. IV. et alibi.*]

finitivo praefixum eandem in utroque hemiſtichio vim obtinere debeat, adeoque verſio ad verbum ſit inſtiſtituenda haec: *quod diſſoluta fuit inter Iſraëlitas diſciplina, quod populus ſponte ſe ad bellum ſtitit, laudate Jehovam!* quod quam ſit abſonum, quisque intelligit. Ipſe igitur vult, פרעות hic de *diſſolutionibus* uſurpari *bellicis*, ſeu varii generis calamitatibus, et פרע aeque ac فرغ habere notionem *finiendi*, ut ſenſus ſit: *Laudate Jehovam, quod calamitates belli in Iſraël ceſſaverint.* At haec quoque explicatio ſuis laborat difficultatibus, primo, quod verbo tribuitur talis ſignificatio, quae diverſa eſt a ſignificatione nominis e verbo oriundi, deinde quod פרוע ſumitur ut paſſivum, cum tamen activum ſit. Atque etiam illorum rationem non poſſumus probare, qui פרוע vertunt quidem active, ſed ſupplent nomen ex ſequentibus, *pro eo quod ultiones ultus eſt in Iſraële Jehova.* Quanquam enim veriſſimum eſt, verbum פרע in verſione Chald. et Syr. non raro reſpondere hebraico נקם, illud tamen durum nobis videtur et incommodum, quod ſubjectum enuntiationis quaerendum ſit in iis quae poſtea demum ſequuntur. Illuſtris autem Michaelis verſio, *dafür daſs Iſrael die Bande zerriſſen*, aut ven. Lüderwaldii, *cum rumperentur vincula abs Iſraële*, quomodo cum vocibus hebraeis conciliari queat, nos quidem plane non perſpicimus. Tentabimus itaque novam hujus commatis explicationem, ſeu, ut rectius dicamus, eam, quae antiquiſſima quidem eſt, ſed interpretum quantum ſcimus omnium ſolertiam effugit, ſtabilire conabimur. Nimirum LXX. in cod. Alexandr. quocum conſentit Theodotion, ſic habent, *εν τω αρξαϑαι αρχηγȣς εν Ισραηλ, quod fuerint in Iſraële imperatores, qui mandata dare et rem publicam gerere auſi ſint.* Et eſt haec verſio ita comparata, ut

non

non modo ſingularum vocum ordini grammatico optime reſpondeat, ſed ſenſum quoque fundat egregium et talem, qualem ipſe rei, de qua ſermo eſt, natura poſcere videtur. Etenim cum populi, id vero eſt plebejorum hominum in bello movendo alacritas praedicetur, quid quaeſo aptius eſſe poſſit, quam ut eorum quoque, quorum erat rebus praeeſſe ac copias imperio regere, mentio injiciatur honorifica? Neque deſunt argumenta juſta, quibus illa vocabuli פרעות ſignificatio probari poſſit. Nam primo in altero loco, quo illud legitur, Devter. XXXII. 42. aliam quam hanc ipſam notionem vix admittere videtur contextus, modo notetur, quod Lowthus praecipit in libro de ſ. Poëſi Hebr. pag. 376 edit. Goetting. 2dae, coll. Mich. I. 4 et 2 Sam. I. 22, quatuor verſiculi membrorum duo poſteriora alternatim eſſe referenda, hac ratione: Inebriabo ſagittas meas ſanguine occiſorum captivorumque; et gladius meus devorabit carnem, de capite פרעות אויב, *principum hoſtilium*, *απο κεφαλης αρχοντων εχθρων*, ut commodiſſime iterum verterunt LXX interpretes. Deinde, quod praecipuum eſt, Arabicum فرع cum generatim notat id quod ſummum eſt in re aliqua, tum ſpeciatim *caput et principem familiae*: atque Onkelos etiam vocem שטרים Devter. XVI, 18. vertit, פרענין. Noſtra igitur ſententia verus hujus commatis ſenſus hic eſt, gratias agendas eſſe Jehovae pro eo quod Ipſe effecerit, ut in afflicta et perdita reip. conditione neque principibus populi, neque populo ipſi deeſſet animus, dejecto ſervili jugo vim hoſtium multo ſuperiorem repellendi priſtinamque patriae libertatem ac ſplendorem aſſerendi.

Vs. 3.

Vs. 3.

אנכי לי' אנ' אשירה) אנכי רזנים אשירה cod. 11, ſed media vox caret vocal. et in margine ſcriptum ליהוה אנכי אשירה.
ליהוה אנכי) deeſt in 3 ſed ſuppl. אשירה) deeſt in 6 et 19, ſed utrobique ſupplet. אנכי poſterius) deeſt in 20 ſed ſuppl. Omittitur quoque in verſione Syriaca, ſed male, noſtro quidem judicio Videtur enim haec ipſa vocis repetitio elegantiae aliquid habere. Superbit quaſi laetabunda vates tanto illo honore Jehovam ſuis celebrandi carminibus.

Vs. 4. 5.

משרה) משעיר cod. 2 ſed emend. in משרה.
גם שמים) וגם שמים cod. 3. ſed Vav expunct. Exprimit copulam quoque Syrus et Ar.
גם עבים נטפו) deeſt in cod. Helmſtad. ſed ſuppl.
גם עבים) וגם עבים 25, ſed Vau ſine vocali.
נטפו poſt.) deeſt in 32 ſed ſuppl. הרים נזלו) הרים גם נזלו 21, ſed גם caret vocali.
מפני יהוה prius) deeſt יהוה in 2 et 5, utrobique ſuppl. זה כי מפ' יהוה) deeſt in 29 et 35 ſed ſuppl. יהוה poſt.) deeſt in Helmſtad. at ſuppl.

Tempeſtatis deſcriptionem contineri his duobus verſibus clarum eſt: ſed diſcrepant interpretes tum in re ipſa definienda, tum in relatione horum verſuum ad ea, quae ſequuntur, ſtabilienda. Prius quod attinet, nobis ſic videtur, non poſſe aliam hic tempeſtatem intelligi niſi eam, quae conjuncta fuit cum divinae legis in Sinai monte promulgatione, Exod. XIX, 16. ſeqq. quia Sinai non nominatur modo, ſed et digito quaſi monſtratur, diciturque diffluxiſſe coram Jehova appropinquante. Objicit quidem Lettius, apud Moſen

Moſen loc. cit. mentionem non fieri pluviae. At hancce objectionem, levem profecto, non magis moramur quam Clerici effatum, nubem, quae ſummum cacumen Sinai inſedit, non poſſe dici e Seire monte veniſſe. Quid enim quaeſo abſurdi in eo ſit, ſi ſtatuatur, inſignem illam tempeſtatem non ex ipſius montis cacumine ſubito erupiſſe, ſed, ut plerumque fit, eminus coortam mox acceſſiſſe propius et montem inſediſſe? Ac quid impedit, quo minus credamus, ex illa coeli plaga, quae Idumaeam ſpectat, eam adveniſſe? Nos quidem hanc ipſam interpretationem planiſſimam judicaverimus ac verbis aptiſſimam. Certe quod Lettius aliique volunt, alludi ad hiſtoriam Iſraëlitarum, quos Deus poſt negatum ab Edomitis tranſitum, Num. XX. 14, cap. XXI. 4, praeſentiſſimo glorioſae ſuae majeſtatis ſigno in columna nubis et ignis reſidentis ſtupendo plane modo in terram promiſſam reduxerit, id pluribus difficultatibus obnoxium eſſe videtur. Non circumiviſſe Idumaeam Jehova hic dicitur, ſed ex Idumaea proceſſiſſe: neque illud Iſraëlitarum circum Idumaeam iter ulla notabili tempeſtate inſignitum fuiſſe legitur: neque tandem ratio perſpicitur, cur illius profectionis in hac verborum ſerie mentio fuerit injicienda. Contra vero legis divinae in Sinai promulgatio cur memoretur, id non adeo difficile intellectu. Nam cum ſtatim ſummae, in qua reſp. Iſraëlitarum proximis ante temporibus verſata fuerit, miſeriae deſcriptio ſubjiciatur, hoc mihi innuere videtur Debora, utut magnificentiſſima fuerit ac cum ſacro quodam horrore totius naturae conjuncta legis promulgatio, brevi tamen factum eſſe, ut depoſita omni illius legis reverentia deſciverint a Deo ſuo Iſraëlitae, eamque ſibi juſtam omnino poenam contraxerint, ut victi ab hoſtibus miſereque habiti in omnes iſtas calamitates inciderent.

Vs. 6. 7.

Vs. 6. 7.

בן ענת) eſt ſuper raſura in 30, qui ejusmodi raſuris ſcatet. Cod. 10 inter duas has voces habuit aliam, nunc eraſam. ארחות וה נת יל ארחות) Cod. 11 habet ארחות ארח, et in ſpatio intermedio ſuppl. והלכי נתיבות ילכו.

והלכי) הלכי 19, 20, 22 et Erfurt. I. deeſt quoque praef. in 3, Regiomont. II et Stuttgard. ſed additum eſt. והלכי habet Erfurt. V emendatum in הלכי. Chald. quoque omittit copulam.

ילכו ארחות) poſt haec verba repetit 3 הלכי נתיבות ילכו ſed ſine vocal. חדלו פרזון) ante haec verba repetit 21 בימי שמגר בן ענת ſed ſine vocal. פרזון) פרזות 10 et 32 ſed emend. חדלו poſt.) vocalibus caret in 12.

שקמתי poſt.) deeſt in 22 ſed ſuppl.

ארחות) ceſſabant *viae*, i. e homines in viis iter facientes, quia ob continuas hoſtium incurſiones et depraedationes nimis infeſta facta erant itinera. Juvat apponere verba R. Tanchvmi, אמתנעת אלטרק אי מן שדה אלכוף אמתנעת אלנאס אן יסירו פי אלטרק יאן אצטרו אלי דלך צרורה פליסלכו אלטרק אלמעוגה אלגיר מסתטרקה: *prae nimio metu deſierunt homines ambulare in viis, neceſſitate itaque coacti ibant per vias curvas, non tritas.* *)

עקלקלות

*) R. Tanchvmi, Judaei Hieroſolymitani, commentarius in prophetas arabice ſcriptus, & ab Ed. Pocockio ex oriente in Europam illatus, extat Oxonii in bibliotheca Bodlejana, ubi multa ex eo excerpſimus, permoti auctoritate ejusdem Pocockii, qui perquam honorifice de magiſtro hoc judaico hinc inde in libris ſuis

ארחות עקלקלות) optime vertit auctor verſionis Arab. mstae anonymus טרק עואקיל *vias flexuoſas.***)

פרזון) conſentiunt fere interpretes, hac voce denotari vel *pagos*, vel *pagorum incolas*, eſtque haec opinio orta ſine dubio ex paraphraſi Chald. quae פרזון reddit קִרְוֵי פַּצְחַיָא *urbes villarum*. Hanc nimirum ſecuti ſunt antiquiores Judaeorum grammatici, veluti R. Jonas, ***) qui in lexico ſuo nomen hocſic exponit הי אלבסאיט ג׳יר אלמחצנה וג׳יר אלמסורה *ſunt loca*

ſuis judicat, atque illius etiam edendi conſilium aliquando ceperat, teſte Twellsio in vita Pocockii praefixa editioni operum illius theologicorum. Londin. 1740. 2 Voll. fol pag. 45. Caeterum ipſe Pocockius, in praef. ad comment. in Micham, negat ſe de aetate Tanchumi aliud quicquam ſcire, niſi quod poſterior ſit Mose Maimonide, quem ſcilicet ſequatur in multis, & ſaepe etiam nominet. [Tanchumi Commentarius in Biblioth. Bodlej. codd. orientali. catalogo, a Jo. Uri confectoeſt Cod. LXXXI. pag. 16]

**) Extat inter libros Pocockianos in biblioth. Bodlejana. Meminit illius Pocockius in Specim. hiſtor. Arab. pag. 34. & 361, nec non in Commentariis paſſim. [Eſt Codex XVI. pag. 8. loc. cit.]

***) R. Jonas, cujus verum nomen eſt Abu'l Walid Merwán Ebn Dſchannâh, Cordubenſis, grammaticorum princeps dictus Judaeis, praeter alia compoſuit lexicon hebraeo-arabicum, cujus exemplum ſervatur inter libros mſtos Pocockianos Oxonii. Saepiſſime eum nomine R. Jonae citat. Dav. Kimchi, qui, monente Pocockio in Not. miſcell. ad Portam Moſis pag. 132. edit. Londin. in fol. non modo ad ipſius exemplum grammaticam et librum radicum compoſuiſſe videtur, ſed etiam in plerisque vitula illius aravit. Praeterea hoc Jonae Lexicon nominat et laudat Pocockius locis innumeris, nec erat, cur tam diffidenter ac timide de eo loqueretur Alb. Schultensius, qui

loca ampla, quae neque munita ſunt neque muris cincta. Jonam uti fere ſemper ita hac quoque in re preſſe ſecutus Dav. Kimchi in libro radicum, unde viciſſim in recentioris aetatis lexica dimanavit haec interpretatio. Ar quanquam, quod negari nequit, apta eſt hoc loco ad ſententiam conſtituendam, fatendum tamen, ut recte iterum monet ven. Tellervs, minus eandem couvenire alteri loco, vs. 11, ubi de praedicandis *των* פרזוני יהוה factis praeclaris ac ſtrenuis ſermo eſt. Quare enim villicorum praecipue facta in materiam laudis proponantur, non intelligitur. Ac Tellervs quidem putat, cum فرز, *diſcernere* rem a re, in ſecunda conjug. ſit *ſtatuere*, litem dirimere, nomini פרזון ſubeſſe notionem *conſilii (nemo in Iſraël conſiliis ſuccurrebat.* v. 11, *celebretur favor conſiliorum ejus ſuper Iſraël).* Nobis autem ſi licuerit ſententiam, vel rectius, conjecturam proponere, dixerimus potius, ob illam ipſam verbi ſignificationem, quam habet apud Arabes, פרזון ſynonymon, idque poëticum, eſſe vocabuli שופט, quatenus hoc virum fortem, ducem, adminiſtratorem reip. ſignificat: in quo adſentientes fere habemus verſiones primo Alexandrinam, quae hoc loco in cod. Vaticano *εξελιπον δυνατοι εν Ισραηλ*, deinde Vulgatam, quae utrobique habet, *fortes Iſraël.*

Vs. 8.

qui in Origin. hebr. pag. 290. *magno*, inquit, *redemtum vellem opus quod ſequentium Rabbinorum quibus Arabica minus promta livor preſſit. Supereſſe tamen dicitur et ſpes eſt cum tempore emerſurum.* Sed parum familiaritatis cum ſcriptis Pocockianis habuiſſe videtur Schvltensivs. [R. Jonae opus hoc eſt Cod. CCCCLVI. LVII. pag. 90. Catalog. modo citati.]

Vs. 8.

מגן אם▭) מגן הוא אם cod. 11 ſed media vox caret vocali. בארבעים▭) in 30 א ſuper raſura. בישראל) omiſſ. in 15 ſed ſuppl.

יבחר אלהים חדשים▭) ferre quidem poſſunt haec verba, ut vertantur, elegit Deus vel, *novos* homines ad ſalutem praeſtandam, feminam nimirum imbellem, non ut alias fieri ſolebat imperatorem fortem et validum (ſic verſio Ara. MS. Pocock. פקד יכתאר אללה), אקואמא גדידא) vel, חדשים abſolute et neutraliter ſumto ut נגידים Proverb. VIII. 6, *novas* res atque inuſitatas, vt vulg. Syr. et Ar. Polygl. habet. Enimvero, cum hac ratione poſita *oppugnatio portarum ſ. urbium* ad Iſraëlitas referenda eſſet eo ſenſu, quod ipſi hoſtium ſuorum urbes impugnaverint, quod planiſſime repugnat hiſtoriae cap. IV. traditae; praeſtat omnino eam rationem ſequi, qua, repetita *απο τȣ κοινȣ* voce ישראל, vertitur, *elegerat Iſraël Deos novos*, coll. Devt. XXXII. 17. Atque hunc verborum ſenſum conſtituit quoque Tanchvm אלמעני אן ארקום למא תרכו עבאדה אללה ומאלו אלי עבאדה אלאצנאם ואתכדו להם▭ מלאהב וארא מחדתה מבדעה וקעו פי כל צאיקה וחורבוא חתי פי דאכל קראהם ובלאדהם: *Senſus eſt, populum poſtquam miſſo cultu Dei veri declinaverit ad cultum idolorum, et ſectatus fuerit religiones ac doctrinas novas, incidiſſe in omnes calamitates et bello vexatum fuiſſe intra ſuas adeo urbes atque oppida.*

לְחֶם) negotium faceſſit grammaticis inſolita forma verbi, quod alii pro praeterito Kal; pro infinitivo Pihel alii, iterumque alii pro nomine habent. Prius placuit R. Jonae in Lexico, ואמא אז לחם שערים▭ פהו ענדי פעל מאצי כפיק עלי זנה יבש חציר ואן כאן

כאן בסגיל פאן אלסגול קד יקע ארצא מוקע אלצרי
כמא קד בינא פי כתאב אללמע וגיר גאיז אן יכן
מצדרא תקילא מן אגל קמצות אללאם פאנה לו כאן
כדלך ואן כאן לם יגד מן הדא ארמעני פעל תקיל
לכאן אללאם פתח מתל ברגז רחם *Mea ſententia eſt verbum tranſitivum Kal ad formam יֶבֶשׁ. Neque obſtat, quod ſcriptum eſt cum Saegol, nam Saegol, ut alio loco oſtendimus, nonnunquam pro (..) ponitur. Infinitivus Pihel eſſe nequit ob (ָ) ſub Lamed. Pihel ſi eſſet, quanquam nullibi occurrit verbum לחם in Pihel; deberet Lamed habere (ַ) ut in רַחֵם.* Et favet quidem huic opinioni auctoritas codicum quorundam, ex. gr. Stutgardiani, Erfurt. I et inter noſtros 1, 2, 4, qui לָחֵם cum (..) ſcriptum exhibent: ſed durum tamen videtur, verbum hic poſitum eſſe impersonaliter, nullo nomine addito, aut ſubintelligendum eſſe *hoſtem*, cujus tamen mentio facta non eſt in antecedentibus. Exigit potius ſermonis ſtructura univerſa, ut ſit infinitivus, et verſio ad verbum inſtituatur hoc modo, *tunc factum eſt τὸ oppugnare urbes (Iſraëliticas).* Sed vereor, ut defendi poſſit vocalium huic vocabulo ſubjectarum inſolentia.

Vs. 9.

בעם) omiſſ. in 11 ſed ſuppl. את יהוה (יהוה
cod. 11, ſed את caret vocali.

לבי) Ellipſis eſt verbi ſubſtantivi, ut in locutione ſimili אליך יהוה עיני Ps. CXLI, 8. adeoque vertendum vel, *animus meus complectitur*, vel, *diligit animus meus.*

לחקקי) contra receptam vocabuli interpretationem, qua ſignificatione ducta ex verbo חקק *ſtatuit* (Eſai. X. 1) dicitur notare generatim eum, qui dicit

ſta-

ſtatuitque, quid agendum ſit, quid non, adeoque magiſtratum vel civilem vel militarem, dubia movit ven. Tellervs, quae vero non videntur nobis ita comparata eſſe, ut a communi opinione nos abſtrahere, novamque ab ipſo propoſitam, at parum tutam, חוקקים eſſe *promtos*, *alacres*, *Entſchloſſene*, perſuadere nobis poſſint. Praecipuum illius argumentum hoc eſt: „quomodocunque vertamus, לבי לחקקי ישראל, ſemper laudis ſignificatio ineſſet; ſed enim quomodo laudandus erat Baracus, quem quaſi trahebat in praelium Debora? et quinam reliqui principes? et quomodo non potius laudandi illi decem mille Naphtalitarum et Sebulonitarum, quos mox המתנדבים dicit?„ At vero ponamus, Baracum laude dignum haberi non poſſe, de quo tamen valde dubitamus, nonne credibile eſt, praeter hunc ſummum imperatorem multos alios adfuiſſe praefectos minoris ordinis (coll. vs. 14. 15) quibus magna et juſta laus debebatur? Deinde neceſſe non eſt, ut verba המתנדבים בעם referantur ad eosdem illos, qui vocantur חקקי ישראל, quanquam hoc ab interpretibus fere omnibus factum eſſe non ignoramus. Suadet potius, certe permittit, orationis ſeries ac ſtructura, ut verba ſic intelligantur, ac ſi ſcriptum eſſet

לבי לחוקקי ישראל
לבי למתנדבי העם

Beth enim praefix. periphraſin efficit genitivi ut vs. 8. De duobus itaque hominum ordinibus ſermo eſt, de ducibus primo praefectisque populi, deinde de reliquis, qui promti erant paratique ad praelium patriae cauſa ſuſtinendum. Firmatque haec verborum explicatio eam, quam ſupra dedimus commatis ſecundi interpretationem, atque ab hac viciſſim robur accipit non contemnendum.

Vs. 10.

Vs. 10.

(והלכי והולכי 19, ſed praefix. ſine vocali. הלכי 31 neque add. Vau. הלכי 2, 3, 11, 23 ſed add. Vav, et ſic quoque Regiomont. II. et Stutgard. (על דרך 19 omittit על ſed ſuppl. eſt. In margine habet ſcholion אשר רמץ.

(אתנות צחרות asinas eſſe *candore nitentes*, ex arabica lingua prolixe probavit poſt Bochartvm Hieroz. P. I. pag. 476. Alb. Schvltensivs in not. ad excerpta ex Iſpahanenſi pag. 4, et Lettivs ad h. I. Ejusmodi asinae cum ſint rariores reliquis et pretioſiores, probabile eſt compellari homines conditionis lautae ac ſplendidae. Et in hoc quidem conſentiunt interpretes. Sed proxima vox.

(מדין dici vix poteſt quantam pepererit interpretationum conjecturarumque diverſitatem. Antiquiores ſi audias, ſic ſatis, quod mireris, inter ſe conſpirant. Nam Vulg. vertit, *qui ſedetis in judicio*, LXX *καθημενοι επι κριτηριȣ*, Chald. aſſociati ad ſedendum על דינא *ad judicium.* Ac recentiorum quoque haud paucis probavit ſe haec ipſa interpretatio, nuperrime etiam ven. Lüderwaldio, qui magnum ejus praeſidium deprehendiſſe ſibi viſus eſt in loco Eſaj. X. 2, ubi putat, להטות מדין דלים vertendum eſſe, *ad inclinandum judicia pauperum.* Sed nihil probat hic locus. Poſtulat enim analogia grammatica, quae nonniſi admodum invita admiſerit formam מִדִּין ex verbo דון derivatam, ut מ ſit praepoſitio nomini דין praefixa atque ſic vertantur verba, *ad declinandum inopes à judicio*, vel *jure ſuo*, coll. Job. XXIV. 4. Alii poſita rad. מדד, vocabulum מדין pluralem eſſe ſtatuunt (ut מִלִּין verba, pro מִלִּים) à ſing. מַד vel מִדָּה, atque ex trita hujus vocis ſignificatione vertunt, *vos qui*

ſedetis ſuper menſuris. Jam vero hoc ipſum *ſedere ad menſuras* diverſiſſime iterum exponitur, intelligentibus aliis tales homines, qui praeſideant tributis recipiendis, aliis eos, qui ſedeant in haereditatibus ſuis funiculo menſorio deſignatis, aliis homines mediae fortunae, qui habeant portiones ſibi admenſas. Sunt etiam qui מרין nomen proprium urbis, ſunt qui nomen viae cujusdam ignotae ſtatuunt. Denique ill. Michaelis hoc ſibi peculiare habet, ut vertat: *ihr die auf Wagen fahren.* In hoc tam mirifico ſententiarum divortio illud nobis planiſſimum videtur ac tutiſſimum, ut, praeeunte ven. Tellero, מרין tanquam pluralem vocis מַר ſ. מֵר *tegmina* ſeu *ſtragulas* eſſe ſtatuamus; ex notione *extendendi*, quam habet מדד in lingua arabica: quo ſenſu vocem hanc olim etiam accepit, quanquam aliis rationibus uſus, Hillerus quondam noſter in diſſ. ſuper hoc carmine habita Tubing. 1707. Sed tamen in dictionis univerſae ſenſu definiendo diſcedimus iterum a viro doctiſſ. atque adeo ab interpretibus aliis omnibus. Nempe quod ipſe putat, homines tegminibus inſidentes eſſe opulentiores, eos contra, qui in via ambulent, viliores ac pauperes, id vero parum certum et tutum nobis videtur. Nam neque hoc, ambulare ſcilicet in via, ullo in loco adhibetur ad deſcribendos vilioris conditionis homines, neque illud, in tam vulgari ac tantum non communi ſtragulorum tegminumque per orientem uſu, ut nonniſi pauperrimus carere illis velit, opulentiae nota haberi poteſt, niſi ſimul accedat commendatio magnificentiae eorum; quae vero plane abeſt ab hoc loco. Contra vero *ſedere* vel *cubare*, ſi poſitum fuerit juxta ambulationem, idem eſſe ſolet ac, vacare a labore, otioque frui: *ambulare* autem idem ac, verſari in negotiis: utrumque autem ſimul ſumtum complectitur totam hominis vitam, utpote ex alterno otio alternoque

que labore compoſitam, ut planiſſime adparet ex Eſai. XXXVII. 28, Ps. CXXXIX. 3, et Devt. VI. 7, qui poſterior locus, בשבתך בביתך ובלכתך בדרך ſolus ſufficere poteſt ad demonſtrandum, formulam noſtram ישב על מדין eandem plane eſſe cum altera illa ישב בביתך. Nec parum firmatur haec noſtra explicatio auctoritate vers. Syriacae, dictionem ישבי על מדין reddentis ܝܬܒܝ ܒܒܬܐ, *ſedentes in domibus*, quod idem quoque exprimit Arabica, ex Syr. potiſſimum confecta. Cum itaque, uti diximus, ſedere et ambulare ex genio linguae hebr. univerſam hominis vitam complectatur, atque omnes omnium ordinum homines in has duas claſſes ſint diſpeſcendi, ut vel vacui ſint ab opere, vel in negotiis occupati; proinde eam nos putamus eſſe cominatis hujus mentem, ut ad laudandum Deum excitet vates primo eos, qui opibus atque auctoritate polleant, deinde omnes omnino ac ſingulos omnium ordinum homines, ſive otio fruantur, ſive in curandis ſuis negotiis verſentur.

Vs. 11.

(מקול) מקמקל 35. (יהוה צדקות) omiſſ. in 10, ſed ſuppl.

Difficillimum eſſe hunc verſum docet doctiſſ. interpretum in explicando diverſitas et fluctuatio. Age igitur, recenſeamus quorundam opiniones et breviter, quantum fieri poteſt, de iis judicemus. I. Hillervs loc. cit. locum ſic interpretatur: *de tonitru fulminantium inter utres coeli, ubi dependebant juſtiſſimas poenas paganorum ejus in Iſraëlitide. Hinc ad portas deſcendebat populus Domini.* Nempe משאבים ex notione vocis arab. huic reſpondentis مشاب *utres* ver-

tit,

tit, intelligitque nubes coeli, quae hebraice etiam appellantur נבלי שמים Job. XXXVIII. 37; et מחצצים putat eſſe angelos fulgura ſpargentes, quoniam חֵץ figurare fulmen ſignificat II Sam. XXII. 15, Ps. XVIII. 15, Ps. CXLIV. 6. --- Sed in hac explicatione primo illud diſplicet, quod angelis tribuitur iſte honor jaculandi fulgura, quem tamen alias nonniſi Jehovae ipſi tribuere ſolet Hebraeorum poëſis. Deinde quis quaeſo intelligat, quid ſint poenae paganorum, vel, poenae paganis debitae (ſic enim illud declaratur in margine), ab angelis ſolutae? Rurſus תְּנוֹת non eſt rependere, ſolvere, ſed narrare ac commemorare, quod apparet ex uſu ejusdem verbi in lingua Chald. et Syriaca. Denique optarem docuiſſet hujus interpretationis auctor lectores, quis poſſit, ſenſu verborum ſic conſtituto, commatis hujus nexus eſſe cum antecedentibus, quandoquidem nobis certe datum non ſit eum perſpicere. II. Lettii verſio haec eſt: *propter ſtrepitum ſagittariorum inter aquatoria bellica, ibi celebrent ſtrenuitates invictas Jehovae, ſtrenuitates pagis ejus in Iſraële; tunc quum aquatum deſcenderunt ad procellas bellicas populus Jehovae.* Obſcura profecto interpretatio, atque etiam, niſi me omnia fallant, obſcurior verbis, de quorum ſenſu agitur, hebraeis. Neque attinet quicquam de ea dicere, cum ipſi quoque Lettio, qui eam ab alio propoſitam adoptavit, viſum non fuerit ad eam declarandam et confirmandam aliquid proferre, niſi id forte factum ſit in Curis ejusdem poſterioribus, quae nobis non ſunt ad manus. III. ven. Tellerus, qui in hoc verſu exponendo etiam plus fere quam in reliquis ſtudii adhibuiſſe videtur, verſionem ejus dat ſequentem: *prae clamore rixantium apud ciſternas celebretur ibi favor Jehovae, favor conſiliorum ejus ſuper Iſraël, tunc occupavit anguſtias locorum exercitus Jehovae.* In qua

ne

ne quem dubium faciat ambigua formula, *prae clamore*, juvat et illam apponere, quam propoſuit vir cel. in libro germanice ſcripto, *ſtatt daſs man ſonſt zwiſchen den Waſſerbehältern die Stimme ſich um den Zutritt zankender zu hören pflegt*, et quae ſeq. Sed, quod pace viri dictum ſit, cujus eruditionem atque ingenium ſuſpicimus, etiam huic explicationi haud pauca ineſſe videntur, quae bonitatem ejus ſuſpectam reddere debeant. מחצצים vertit *rixantes*, quoniam חצץ duplici Sad apud Arabes ſit *ſcindere*, in partes ſecare, atque hic ipſe tropus analogia reliquarum linguarum confirmetur, latinae nimirum et graecae, ubi *ſcindere* et *σχίζεσθαι* eodem ſenſu uſurpetur. Immo vero rixantes latine non dicuntur ſcindere, nec graece *σχίζειν*, active: ſed dicuntur *ſciſſi*, *σχιζόμενοι*, paſſive: adeoque ſi de rixantibus ſermo eſſet, ponenda fuerat forma paſſiva מְחוּצָּצִים. Sed ne illud quidem certum eſt, verbo حصص competere notionem ſcindendi; lexicis certe praeſtantioribus, Goliano Caſtellianoque, plane ignota eſt, adeoque, niſi juſtis auctoritatibus firmata ante fuerit, non admittenda. Porro, dum מקול vertitur *loco clamoris*, iterum longiſſime receditur ab uſu loquendi, utpote qui hunc מ praef. ſenſum nullibi, quantum nobis quidem conſtat, admittit. Atque ipſe etiam conceptus hic, non rixandum eſſe apud ciſternas de aqua, ſed potius ibidem (שָׁם) laudandum eſſe Jehovam, ita nobis comparatus eſſe videtur, ut nos quidem pulchrum illud, quod ineſſe illi putat TELLERUS, non modo non perſpiciamus, ſed potius tenue quid ac minus aptum, quodque reliqui carminis ſublimitati parum reſpondet, in illo ſentiamus. Ultima tandem hujus ſegmenti enuntiatio quam quaeſo eſt ſolitaria, quam ab omni cum antecedd. et ſubſeqq. nexu avulſa! —

Magna ſit neceſſe eſt loci obſcuritas quae vel feliciſſimorum ingeniorum conatibus (nam et ill. Michaelis interpretatio nobis non ſatisfacit) concedere recuſet: atque nos abſtinuiſſemus etiam ab illo explicando, niſi hi ipſi doctiſſ. virorum infeliciores ſucceſſus ſpem nobis facere viſi eſſent promtioris apud aequos judices excuſationis, ſi quod veremur, non tam perfecta modis omnibus atque expedita ſit interpretatio noſtra, ut deſiderari amplius nil quicquam poſſit. Tentabimus itaque pro ingenii viribus. Ac primo quidem cum מחצצים jungimus verbum שיחו, non quod illud a vs. 10 avellendum putemus, nam aegre illo cariturus eſſet: ſed *απο τȣ κοινȣ*. ut ajunt, idem repetimus. Deinde מ praef. ſignificare videtur *prae, propter*, ut in aliis quibusdam locis, ex. gr. Devt. VII. 7, Jud. II. 18, Prov. XX. 4. Porro מחצצים nobis ſunt *ſortientes praedam.* Mos quippe erat antiquis orientis populis, ut in ſorte peragenda ſagittas certis notis inſignitas inderent ſacculo, easque probe concuſſas ſingulatim educerent, de quo prolixe agit Ed. Pocockivs in Specim. hiſt. Arab. pag. 324 ſqq. et Reiskivs *in Sammlung arab. Sprüchwörter die von den Stecken oder Staeben hergenommen ſind*, 1758, 4. Hinc ساهم verbum de nomine سهم ſagitta formatum, eſt ſortiri Sur. 37, 141, et حصّ quoque in conjug. III notat portionem cum alio partiri, nomenque ipſum حِصّة, חֶצָה, eſt portio. Atque hunc quidem ſenſum verborum, *meditamini* carmina ſ. laudes *ob jubila eorum qui ſpolia ab hoſtibus capta laeti nunc ſortiuntur*, planum eſſe putamus atque expeditum: jam reliqua videbimus. משאבים *loca* eſſe *ubi aqua hauritur*, ciſternas, puteos, fontes rivosque, dubitare nos non ſinit et forma nominis et verbi unde du-

citur

citur ſignificatio certa. Sed illud ambiguum eſt, utrum cum antecedd. jungendum hoc ſit an cum ſubſeqq. Verum, cum vix intelligatur, quaenam ſit locorum ubi aqua hauritur cum praedae hoſtilis partitione conjunctio, malumus nos ad ſeqq. referre hoc modo: *inter loca ubi aqua hauritur*, i. e. in campis irriguis ubi fontes ſunt rivulique, ibi praedicent —. Nimirum credibile eſt, ſolemnia Iſraëlitarum feſta, cum cantu choreisque conjuncta, peracta utplurimum fuiſſe extra oppida in campis patentibus; nec dubium eſſe poteſt, quin ea potiſſimum loca frequentata ab iis fuerint, quae erant fontibus rivisque interſita, et quaſi invitabant homines amoenitate ſua arborumque grata umbra ac viriditate *). Huc igitur ablegat Debora laetantem populi multitudinem, ibi ferias ludosque agere, et carminibus celebrare Jehovam jubet, qui fortiſſimorum virorum opera uſus tam mirificam in hoſte ſtragem ediderit.

צדקות) Nomen צדקה de fortitudine bellica uſurpati, recte monuit et probavit Alb. Schultensius, Origin. pag. 413 ſq. edit. 1761.

אז . . . יהוה) *Tunc*, perſolutis nempe grati erga Deum eosque, quorum miniſterio uſus eſt, animi officiis, *deſcendat populus Jehovae ad portas*, h. e. ad ſuum quisque oppidum patriamque ſedem tuto ſe convertat. Mirum profecto videri poſſit, qui factum ſit, ut interpretes haud pauci de hoſtilibus urbibus oppugnandis cogitare potuerint, cum tamen neque ſeries orationis illud permittat, neque rei geſtae hiſtoria Cap. IV tradita tale quid factum fuiſſe indigitet. Sed turbavit eos verbum ירדו in praeterito poſitum. At ve-

 ro

*) Virgil. Eclog. I --- --- --- hic inter flumina nota
Et fontes ſacros frigus captabis opacum.

ro valde moroſus ſit oportet, qui negaverit, plane neceſſarium eſſe ad ſenſum, ut ſepoſita auctoritate vocalium verbum efferatur tanquam futurum, יֵרְדוּ.

Vs. 12.

עורי prius) ter poſitum in 31, ſed tertium expunct. דבורה) in 30 ה ſuper raſura.
עורי עורי דבורה) omiſſ. in 5 ſed ſuppl. ושבה) וּשְׁבִי 20. שְׁבִיךָ) את שביך 11 ſed את quanquam vocalem habet expunctum. שביך בן) שביך גדולים חקקי לב בן 6, ſed voces intermediae ſine vocal.

Quanquam ſingulis hujus vers. vocibus nihil ineſt obſcuritatis, ſunt tamen aliae difficultates, quae curioſo lectori non poſſunt non eſſe moleſtae. Nam *primo* illud non poteſt non incommodum videri, quod in medio demum carminis, quod ipſa canit, proceſſu excitet ſe vates ad carmen canendum. Nec tollit hanc difficultatem obſervatio Telleri, qui putat, concipiendum eſſe hunc verſiculum non tanquam verba Deborae ipſius, ſed tanquam chori acclamantis Deborae, et carmen ab eo poſcentis. Quid enim quaeſo opus erat, Deboram nunc demum inducere chorum a ſe carmina poſcentem, cum non modo ipſa profeſſa ſit vs. 3, ſe carmina Jehovae canturam, ſed in canendo etiam nunc ſit longe progreſſa? *Deinde* nexus etiam horum verborum cum ſeqq. haud parum videtur difficilis atque impeditus. Etenim vs. 13, quod deinceps docebitur, initium fit deſcribendi praelii ab Iſraëlitis cum hoſtibus commiſſi. At vero quis ordo, quis nexus, ſi dicatur: *euge Debora, cane carmen! Barac, captivos duc hoſtes!* Tunc *fuit ad praelia deſcenſum.* Talia quis nectat? et quo tandem reſpicere dixeris illud *tunc?* Neglexit illud ill. Michaelis in ver-

verſione germanica: hoc vero eſt ſecare nodum, non ſolvere. — Sed evaneſcent, ſpero, iſtae difficultates, ſi memineris, frequentiſſimum eſſe Hebraeis non minus atque Arabibus, in ſtylo praeſertim grandiore poëtico, ſi vel ſua vel aliorum verba referant, eadem absque ullo praefamine verbi אמרתי, אמר, attexere orationi reliquae. Atque idem etiam hoc loco factum videtur, ut ſubintelligendum ſit ab initio commatis verbum אמרתי. Clarum enim eſt, dictum Deborae שביך . . . . . קום non eo ſenſu accipi poſſe, ac ſi nunc demum, cum celebraretur jam victoria, excitare vellet Baracum ad hoſtes capiendos, qui jamjam eſſent profligati atque in praecipitem fugam conjecti. Sed potius intelligenda eſt de illo tempore, quo jam proxime inſtabat praelium cum hoſtibus: tunc ſe ait ſibi ipſi ac ſocio triumphi acclamaſſe, euge Debora, cane carmen: euge Barac, captivos duc hoſtes! non quod his ipſis loquendi formulis uſa tunc vere fuerit (nam contrarium adparet ex Cap. IV. 14): ſed innuit ſe adeo certam fuiſſe de victoria, ut non de praelio ſed de carmine ſtatim triumphali cogitaret, utque Baraco nihil amplius agendum putaret, quam hoſtiles copias, quaſi jamjam victas, redigere in poteſtatem. Eſtque is ipſe locus Cap. IV. 14. firmiſſimum interpretationis noſtrae praeſidium. Nam certe idem eſt utrobique ſenſus, nec verba קום כי זה היום aliud quicquam continent niſi illud ipſum, quod hoc quoque loco dictum eſt: hoc unico inter utrumque locum diſcrimine relicto, quod alter, qui hiſtorici eſt, dicendi genere utitur ſimplici, plano et facili, alter contra qui poëtae eſt, conciſo, ſublimi atque animoſo. Caeterum nobis quidem haud opus videtur, ut pro שְׁבְיְךָ) mutatis vocalibus ſubſtituatur שְׁבִיךָ, quod poſt verſionem Syr. et Arab. fecit ill. Michalis, verba ſic reddens: *Stehe auf Barak,*

rak, ſiege üb.r deine Sieger, du Sohn Abinoams! Hoc vero quaſi exprobrationis ſpeciem haberet priſtinae ignominiae, quae omnino abeſſe debet a ſermone nil niſi laudes laetitiamque ſpirante, et noſtrarum aurium judicio ſi quid tribuendum ſit, aptior eſt verſio haec: *auf Barak, und mache deine Gefangenen, Sohn Abinoams!*

Vs. 13.

יהוה) bis in 3 ſed altera vice ſine vocalibus.

Graviter dę obſcuritate hujus commatis queritur maxima pars interpretum. Neque id mirum. Conſuetam enim verborum diſtinctionem ſi ſequaris atque vocalium auctoritatem; omni etiam adhibita opera ſenſus non poteſt conſtitui niſi hiulcus et maxime impeditus. Scilicet communis vertendi ratio haec eſt: *tunc dominabitur reſiduus, in potentes* (dominabitur) *populus: Jehova dominabitur mihi in validos.* Sed ſunt variae ac juſtae cauſae, quae faciunt, ut parum accepta videri debeat haec interpretatio. Nam ut potiores tantum proponamus, verbum רדה, a quo יְרַד tanquam fut. apocop. Pih. ducitur, nunquam conſtruitur cum ל objecti: et quamvis Lettius hanc quidem objectionem, ex conſtanti linguae uſu ſumta, ea ratione tolli poſſe exiſtimet, ut dicatur, לְ hic non eſſe dativi notam ſed ל *emphaticum*, Arabicae praeſertim linguae uſitatum; quivis tamen intelligens facile perſpiciet, diſſimillimas eſſe huic loco formulas, quas ex Arabiſmo ille citavit. Deinde ejusmodi verbum, quod *futuri* vim habeat, admitti nulla ratione poteſt in hac orationis ſerie, qua, ut antea oſtendimus, non demum quid futurum ſit praedicitur, ſed quid factum ſit tum, cum ad pugnam ſignum datum eſſet, exponitur. Atque ab his quidem duabus exceptionibus quan-

quanquam libera eſt nova verſio ven. Tellfri, *tunc agmen exiguum occurrebat exercitui terribili, Jehova ipſe mandata dabat fortibus*, eadem tamen aliis iisque non levioribus laborat difficultatibus. Quis enim non videt, vim inferri regulis grammaticis, quum verba לאדירים עם redduntur, *exercitui terribili*: et quis facile ſibi perſuaſerit, idem verbum, in uno eodemque commate bis poſitum, duplici ratione adhibitum eſſe, ut modo *inceſſus*, *itineris*, modo *imperii* ſignificationem habeat? Verum enim vero omnis, uti diximus, loci hujus obſcuritas poſita eſt in vocalium accentuumque ratione, quae ſi nullo alio, hoc certe loco, fallax ſit neceſſe eſt et menti ſcriptoris contraria: ac plana erunt omnia et facilia, modo quod probe intellexit Greenius, et ill. Michaelis, verba ordinentur hac ratione,

אָז יְרַד שָׂרִיד לְאַדִּירִים
עִם יְהוָֹה יְרַד לִי בַּגִּבּוֹרִים׃

Vide mihi, quam egregie omnia conſpirent ad neceſſitatem mutationis factae demonſtrandam. *Primo* exactiſſimus nunc eſt membrorum parallelismus, quo mirifice delectari poëſin hebr. conſtat. Qui enim primo אדירים dicuntur, iidem mox audiunt גבורים, innuiturque utrobique hoſtilis Canaanaeorum exercitus, quem et numero valuiſſe et apparatu bellico intelligitur ex cap. IV. 13. Iſraëlitarum contra exiguum agmen vocatur שׂריד, quae vox proprie denotat hominem è communi clade elapſum, aeque ac شَرِيد at ſtatim honorifico nomine populi Jehovae inſignitur, ad ſignificandum, quod, quia Jehovae imperio ſubſit, in medias hoſtium copias audacter ſe conjicere poſſit. *Secundo* elegantia ſumma conſpicitur in vocibus שריד et אדירים ſibi invicem oppoſitis. *Tertio* nexus orationis

tionis ac ordo inde à vs. 12 tam eſt' perſpicuus et facilis ut nil ſupra eſſe poſſit. *Quarto* conſentit exactiſſime hiſtoria Cap. IV. 14, ubi de Thabore monte *deſcendiſſe* dicitur Baracus cum ſuis, ad impetum in hoſtes faciendum. *Quinto* accedit ſuffragium verſionum antiquiſſimarum. Nam et LXX in cod. Vatic. habent *τοτε κατεβη καταλειμμα τοις ισχυροις λαος κυριου κατεβη εν τοις κραταιοις*, et Chald. Syr. atque Ar. etſi locum univerſum non bene intelligerent, voces tamen אז ירד vertunt, *tunc deſcendit*. *Sexto* tandem hanc, magnam profecto, commoditatem habet ea, quam dedimus explicatio, ut lucem affundat commati proximo, a multis interpretibus miſerrime habito, ut mox videbimus.

Vs. 14.

בעממיך) omiſſ. in 23, ſed ſuppletum. in 30 eſt ſuper raſura. ירדו מני אפרים מחקקים) ירדו מחקקים 21, ſed voces intermediae ſine vocal. ירדו) omiſſ. in 6, ſed ſuppletum. 23 habet ירדתי ſed emendatum. ומזבולן) ולזבולן 6.
בשבט ספר) בספר בשבט סופר 35, ſed prima vox ſine vocal.

מני ... בעמלק) Operae pretium videtur, varias variorum opiniones recenſere hic breviter, ad monſtrandum, quam facile ſit, ut ſemel e manibus dimiſſo orationis filo in re etiam plana et facili fluctuare debeant doctiſſimi interpretes. Clericus verbis ſic redditis, *ex Ephraimo ſtirps eorum eſt, bellum gerent cum Amalekitis poſt te*, hunc ſenſum ineſſe putat, fortium illorum virorum, quorum antea mentio facta ſit, nonneminem ortum ductorum ex Ephraimi genere, viderique hoc vaticinium eſſe de Gideone ex Ma-

Manaſſe, fratre Ephraimi, oriundo, qui bellum geſſiſſe dicatur cum Amalekitis Jud. VI. 33, VII. 12: ſed ipſe tamen cauſae ſuae diffidens mendoſos hic eſſe codices ſuſpicatur, ex quibus ſenſum exſculpere fruſtra quis conetur. Sic Lettius quoque de rebus tum futuris verba haec intelligit, putatque intendi, fore ut ſingulae tribus per triumphum illum magnum caperent emolumentum, immo fere ut tribus Ephraimitica jam ipſam Amalekitarum terram occuparet, ibique radices ageret etc. Ven. Tellerus nomini שׁרשׁ novam atque inauditam notionem tribuens vertit, *ſeleϲtiſſimi Ephraimitarum adverſus Amalec aciem ſtruant.* Sed duo ſunt, quae hic abſque ratione ponuntur, primo vocabulum שרש denotare id, quod in re quadam eſt praeſtantiſſimum, ſecundo Amalekitas interfuiſſe huic praelio: quae poſterior res, quanquam ob nimium locorum intervallum ne ſpeciem quidem veritatis habet, placere tamen potuit ipſi quoque Lüderwaldio, nonniſi ſpicilegium ſcribenti, vertit enim, *ex Ephraim erat extremum agmen illorum contra Amalek.* Atque adeo ill. Michaelis, quanquam proxime aberat a vero, haud tamen et ipſe ſcopum feriiſſe cenſendus eſt. Nam quod שרש אפרים putat eſſe unum è majoribus, et nominatim Joſuam, Amalekitarum quondam victorem Exod. XVII. 13, illud nec linguae ratio permittere videtur, nec cauſa perſpicitur, quare Joſuae hoc loco mentio ſit injicienda. Sed, ut breviter dicamus quod res eſt, turbaſſe interpretes videtur abſentia verbi in priore parte verſus, quod vero nunc ex praecedentibus facillima ratione ſic ſuppletur, מני אפרים ירדו אשר שרשם בעמלק, *ex Ephraimitis deſcenderunt ii qui radices egerunt in Amalek.* Formula, radices agere, tropo aliis quoque linguis familiari, eſt ſtabilem firmumque habere locum Eſai. XXVII. 6, Ps. LXXX. 10, Job. V. 3. et Amalek nomen

nomen montis eſt in ea Palaeſtinae parte, quae forte obtigerat Ephraimitis, ut patet ex Judic. XII. 15. Planum itaque eſt, commemorari nunc a Debora ſingulas populi tribus illas, quae in ſocietatem praelii ac victoriae venerant, Ephraimitas, Benjaminitas, Manaſſitas, rel. Nec obverti debet, quod in narratione hiſtorica Cap. IV. duarum modo tribuum, Naphtaliticae ſcilicet Sebuloniticaeque mentio facta ſit. Nam credibile eſt, praeter harum tribuum homines nominatim a Baraco evocatos, ex aliis quoque populi partibus rumore belli accepto advolaſſe viros fortes cum manipulis a ſe collectis. Qui cum ſponte ſua hoc fecerint, unico patriae gloriaequae amore ducti atque incenſi, cauſa etiam intelligitur, cur vates, militum virtutes canens, primos his locos, absque illorum offenſione, potuerit tribuere.

אחריך בנימין בעממיך) *poſt te, Ephraim, venit Benjamin cum cohortibus tuis.* Tanquam praeſentem vates alloquitur Ephraimum, eſtque talis ſubita perſonarum mutatio admodum familiaris ſtylo Hebraeorum poëtico. Fortaſſe Ephraimitarum agmini poſteriori immiſti erant Benjaminitae, utpote non ſatis numeroſi ad juſtam atque diſtinctam ab aliis cohortem conſtituendam.

מני מכיר ירדו מחקקים) מכיר poſitum pro מנשה, cujus ille filius natu maximus: innuunturque ſine dubio illi Menaſſitae, quibus in Palaeſtina cisjordanenſi ſedes olim forte attributa eſt. מחקקים Michaelis vir celeb. transfert, *rechtſchaffene Männer*, non ſatis commode, ut nobis videtur. Nam et reliquarum tribuum homines erant viri fortes ſtrenuique, et linguae etiam ratio illam ſignificationem non admittit. Denotat quidem verbum حقّ in I conjug. cum qui

qui dignus, aptus eſt, ſed non ſatis tuto transfertur haec notio ad nomen, quod eſt formae Piheliticae. Alii vertunt *legiſlatores, judices:* ſed parum judicioſe, nam in praelio iſtis non eſt locus. Nos cum Symmacho qui habet *ϵνταϲϲοντϵς*, praefectos intelligimus eosque militares. Non quod putemus tam late olim patuiſſe uſum vocabuli, ut omnibus promiſcue praefectis militaribus commune fuerit. Sed ſubſiſtendum eſt in notione generali, cum peculiarem vim vocis definire velle in tam parvis linguae reliquiis, tantaque rerum ad artem Hebr. militarem ſpectantium inſcitia vanum foret et ſupervacaneum.

ומזבולן משכים בשבט ספר) Eſt hic iterum talis locus, in quo permagna cernitur ſententiarum varietas. Nempe cum intelligerent interpretum ſagaciores, vulgarem harum vocum ſignificationem, *trahentes virgam ſcribae*, talem ſenſum dare, qui nulla ratione admitti hoc loco poſſit (quis enim quaeſo Scribarum uſus eſſe poteſt in praelio?) alii alias easque diverſiſſimas inierunt vias ad meliorem ac verum ſenſum inveniendum. Et Greenio quidem adeo inſuperabiles viſae ſunt loci hujus difficultates, ut negaret absque emendatione lectionis ſani quid inde exſculpi poſſe. Itaque genuinam et priſtinam verborum faciem hanc eſſe pronuntiat, neque id dubitanter ſed magna cum fiducia, ut legendum ſit:

מני מכיר ירדו מחקקים
ומזבולן משכים בשבט:
סֹבְרֵי שׂרים בישׂשכר
עם דבורה וברק
כִּי ברק בעמק שלח ברגליו:

At mira profecto audacia, absque librorum mstorum, antiquarumque verſionum auctoritate (nam praeter-

 quam

quam quod Alexandrina pro וישׂשכר habet *καὶ Βαραχ.* in reliquis nulla cernitur diſcrepantia) tantam ſibi tam multa corrigendi licentiam permittere, eam ſolam ob cauſam, quod metrum ita exigere videtur, et quod lectionis receptae rite explicandae nulla cognoſcatur ratio. Et quid tandem proficitur iſta lectionis mutatione? Hoc ſcilicet, ut habeas nunc loquendi formulas tales, quae nec genio linguae conſentaneae ſint, nec ad ſenſum bonum efficiendum aptae. Quam enim durum ac inconcinnum eſt dicere, trahere ſceptro aliquem, pro, regere alios ſceptro? Et ſceptrum non tribuitur niſi regibus, nunquam vero perſonis militaribus, quando cum hoſte confligantur. Sed miſſo Greenio ad cel. Telleri novam explicationem progredimur, quae non minus infelix, quanquam in alio genere, nobis videtur, quam illa de qua nunc modo diximus. Nimirum haec eſt viri doctiſſ. ſententia, verbum משך eodem hic ſenſu venire, quo adhibitum ſit Joſ. VI. 5, quoniam ſit utrobique conſtructum cum ב inſtrumenti; שבט ספר eſſe *virgam fiſtulatoriam*, nam apud Arabes verbum صفر (צפר) habere ſignificationem fiſtulandi; per eos autem, qui inflant tibiam fiſtulatoriam, innui homines, qui *claſſico canendo* ſignum dederint militibus in acie conſtitutis ad conflictum. Enimvero quamvis haec interpretatio haud mediocriter placeat illius inventori, ut miretur etiam, acutiſſimos interpretes non jam dudum in eam incidiſſe; dicendum tamen, variis iisque manifeſtis eam naevis laborare, ut adeo indigna nobis videatur viri celeb. ingenio. Nam quis non intelligat, fiſtulis canere, ac claſſicum canere, res eſſe à ſe invicem diverſiſſimas? Neque enim ulla in gente ad claſſicum canendum adhibitas fuiſſe putaverim fiſtulas, ſed tubas buccinasque: et has quidem inflare, apud Iſraëlitas erat ſacerdotum, non vero omnium promiſcuè homi-

hominum. Deinde illud etiam reprehenſione non caret, quod verbo ספר tribuitur ſignificatio verbi arabici primam literam צ habentis. Et quamvis Alb. Schvltensivs, qui vero et ipſe juſto liberalior eſt in ejusmodi literarum mutationibus ſtatuendis, in Clav. diall. pag. 262 exemplis probare ſtudeat, literae ס nonnunquam reſpondere arab. צ; ſunt tamen illa oppido pauca et dubia: ac certe hac in quaeſtione probandi vim habere nequeunt, cum habeant Arabes ſuum سفر, quod exactiſſime reſpondet verbo hebr. ספר, ſive elementa ſpectes ſive ſignificationem ipſam. Itaque mallemus accedere vel Lüderwaldio, *ex Sebulon delineantes caſtra calamo ſcriptorum*, vel Michaëli, *von Sebulon wer vom Stabe des Zaehlenden getroffen ward*, niſi ſuppeteret quod utroque hoc planius videatur et ſimplicius. Nempe ex duobus locis II Reg. XXV. 19, et II Chron. XXVI. 11 clare intelligitur, vocabulum סופר denotare praefectum rei bellicae, cujus, ut videtur, in eo poſitum erat officium, ut numeraret milites atque in ſuos ordines et claſſes redigeret. Et credibile eſt, baculum geſtatum fuiſſe ab ejusmodi hominibus, tanquam notam atque inſigne dignitatis. Sunt itaque משכים בשבט ספר praefecti militares, *tenentes baculum numeratoris*: nam Arab. مسك cum Beth conſtructum, eſt prehendere aliquid, prehenſumque tenere, quae ipſa ſignificatio locum quoque habere videtur Cap. IV, 6.

Vs. 15.

(וישׂשכר) ישׂשכר 23, ſed add. praef. Vav.
(ברגליו) omiſſ. in 6, ſed ſuppl. (ברגליו בפלגות
בפלגות in 30 literae יו׳ בפלגות ſuper raſura.
(ראובן) deeſt in 20, ſed ſuppl. (בפלגות לפלגות

Regiomont. II. חקקי) חקרי 25, ſed mutat. in חקקי, cod. Stutgard. quoque habet חקרי.

וְשָׂרַי בישׂשכר (הָיוּ) עִם דבורה) Mallem, cum codice 36, pronunciare וְשָׂרֵי in regimine, non obſtante praef. Beth, vid. Ps. II. 12, Ps. LXXXIV. 7. Sic phraſin hanc reddiderunt veteres interpretes ad unum omnes, et ſic eam intelligendam eſſe haud obſcure docet R. Tanchum in comment. cujus verba haec ſunt: יריד רוסא יששכר וחקה שָׂרֵי בצרי לאנה מצאף ואלבא מזיד ורבמא כאן תקדירה שריכם בישׂשכר: Nam cauſa profecto nulla conſpicitur, cur hujus magis, quam reliquarum tribuum proceres, *Suos* appellare debuerit Debora.

וישׂשכר כן ברק) plerumque vertitur, Iſaſchar *aeque ac* Barac, ſed invito loquendi uſu, utpote qui hanc vocis כן ſignificationem prorſus ignorat. Nominis potius vim habere hic videtur כן, quod jam olim quibusdam placuiſſe intelligitur ex verbis Tanchumi: קיל אן מעני כן ברק סנדה ורדפה מן כיור וכנר *quidam putant* כן *ſignificare eos quibus nixus fuerit Baracus quosque ſequentes habuerit*, *ex illa ſignificatione vocis* כֵּן *quam habet* Exod. XXX. 18. Cumque כנן apud Arabes ſit *tegere*, *cuſtodire;* non dubitamus, כן ברק vertere *praeſidium* Baraci, quemadmodum germanice etiam diceres *Bedeckung des Baraks.*

ברגליו) Male refertur ab interpretibus plurimis ad Baracum, quod hic ſcilicet miſſus in vallem fuerit vel *pedibus*, vel cum *peditibus ſuis.* Utrumque nimis languidum. Senſus potius hic eſt, Iſaſcharitas, tanquam cuſtodes Baraci, in vallem deſcendiſſe *pone eum.* Hanc enim eſſe veram et certam ſignificationem vocis, adparet ex Cap. IV vs. 10 coll. vs. 14.

Vs. 16.

Vs. 16.

Integer hic vs. omiſſ. in 20, ſed ſuppl. (למה ישבת
למה גלעד ישבת 21, ſed media vox ſine vocal.
(בין) in 30 ſuper raſura. המתפשיכם (המשפתים
35 ſed correct. (לפלגות (בפלגות 28 et Regiom. II
בפלגות etiam 6, ſed ב mutat. in ל. ſic quoque
in Stutgard. (חקרי (חקקי 25 ſed emendatum.
Stutgard. habet חקקי

A laudibus ad vituperationes ſubito nunc tranſit Debora, reprehenditque illas tribus, quae privatam ſalutem anteponentes publicae, detrectaverant in ſocietatem periculi et meritorum in communem patriam venire. Vix opus eſt monere, inepte egiſſe, qui contextum ſacrum in verſiculos ſuos olim diſtinxere, quod verba בפלגות . . . . . חקקי לב cum antecedd. junxerint, cum ſint potius referenda ad ea, quae ſequuntur. Nam res ipſa loquitur.

(בפלגות ראובן *ad rivos ſeu canales Rubenis*, poëtice dictum pro בארץ ראובן. Conſtat quippe, Rubenitas aliosque transjordanenſes Iſraëlitas rei potiſſimum pecuariae operam navaſſe, ad quam feliciter exercendam opportuniſſima quoque erat regio illa, quam precibus ipſorum conceſſerat Moſes Numer. XXXII. 1. Et credibile eſt, praeter fluvios rivosque, multos etiam canales ibi fuiſſe hominum opera atque arte factos, quibus aqua ex Jordane derivata diſtribueretur per planitiem illam late patentem, ut et agris rigandis et potandis gregibus innumeris ſufficeret. Aptum itaque, immo elegans eſt, Rubenitidem paſtorum patriam denominari ab ea re, quae conjunctionem haberet cum vita paſtoritia, nec opus, vocabulum פלגות, quod etiam altero loco Job. XX. 17

canales

canales denotat, intelligere de diviſionibus ſeceſſionibusque, quod fecit ven. Tellervs aliique interpretes multi.

חִקְקֵי לֵב) LXX vertunt ἐξικνούμενοι καρδίαν, unde nata quibusdam ſuſpicio, illas hoc pariter et ſequenti loco legiſſe חִקְרֵי. Sed monet Schvltensivs in Animadverſ. ad varia loca vet. teſt. habere verbum חקק apud Arabes (حقّ) in II conjug. ſignificationem *inveſtigandi*, et reſpexiſſe interpretem graecum, ut ſaepe alias, ad Arabiſmum. Et Schvltensio quidem haec ipſa notio inveſtigandi tenenda hic videtur, ut ſit utriusque formulae ſenſus plane idem. Sed malumus nos חקקים eodem, quo Eſai. X. 1. extat, ſenſu accipere et *ſtatuta*, *decreta animi* intelligere. Noſtro quippe judicio Deborae in compellandis Rubenitis vera mens haec eſt: magna vos initio quidem et praeclara conſilia ceperatis de auxilio fratribus ſtrenue ferendo; quî itaque factum eſt, ut domi tamen manſeritis tranquilli ac otioſi? nempe quos (מִתְנַדְּבִים eſſe, id eſt) primum ſtatim animi impetum ſequi decebat, ii demum diu multumque deliberabant, num prudenter etiam ac provide factum ſit, ſi abrupto dulci otio ac re inſuper familiari neglecta bello ſeſe immiſceant incerto ac parum etiam, ob locorum diſtantiam, ſecum conjunctionis habenti.

מִשְׁפְּתַיִם) Difficile hoc vocabulum optime, noſtra quidem ſententia, illuſtraſſe videtur ill. Michaelis ad Lowthvm pag. 562 edit. Goetting. 2dae, qui canales ſeu alveos intelligit, unde pecora bibunt.

לִפְלַגּוֹת . . . . . לֵב) Scholion hoc eſſe videtur ven. Tellero, in margine primum a grammatico quodam, difficiliorem vocem חִקְקֵי alia faciliore חִקְרֵי illuſtraturo, poſitum, et poſtea contextui perperam illatum.

illarum. Sed vide quae prolixe diſputantur contra hanc conjecturam parum credibilem in ven. Ernesti biblioth. theolog. nov. Tom. VII. pag. 295.

Vs. 17.

גלעד) לגלעד 21, ſed ל caret voc. הירדן) omiſſ. in 3. ſed ſuppl. ודן) ודם 14 ſed emendat. למה) deeſt in 21, ſed ſuppl. omittit quoque Vulg. Chald. Syr. et Ar. יגור) תָגוּר 2, ſed emend. ישב) יָשׁוּב 5. ſic quoque habuiſſe videtur 30, nam ב eſt ſolito magis diductum et ſuper raſura· רעל) על cod. Erfurt. III. על quoque 3 et Erfurt. V, ſed additum eſt praefix.

גלעד . . . . שכן) vertit Michaelis, *Gilead wohnt jenſeits des Jordans*, ſenſu parum commodo. Hoc enim, quod trans Jordanem ſedes ſuas haberent Gileaditae, reprehenſioni neutiquam poterat eſſe obnoxium. Sed illud vituperat Debora, et recte quidem, quod tranquilli manſerint in ſuis ſedibus ac de ſalute communis patriae parum ſoliciti.

ודן . . . אניות) *Et Danitae quare verebantur naves* (hoſtiles)? Cum accuſativo nominis conſtruitur hoc verbum etiam Devt. XXXII. 27. Nempe ut praeclare monet Michaelis, hoc timere poterant Danitae, quorum ſedes haud longe aberat a mari mediterraneo, ne forte, ſi ipſi defectionem moliti eſſent, Canaanitae eſcenſione e navibus facta praedationibus atque incendiis patriam deinceps vaſtarent. Aliter haec verba qui vertunt, vel, Danitae *commorabantur in navibus*, vel, *timebant ſuis navibus*, cogitare debebant, maritimam haud fuiſſe hanc tribum, adeoque etiam naves non habuiſſe, quibus vel timere potuerint vel confidere.

לחוף ימים) חוף *litus* eſſe, non portum, probavit Schultensius in comment. ad Iob. XXXIII. 9. et Origin. hebr. pag. 590 ſq. ex ſignificatione *fricandi*, quam habet verbum in dialectis Chald. Syr. et Arab. unde litus חוף dictum, quaſi locus qui ab undis fricatur. Sic quoque R. Jonas in lexico ait ſe facere cum iis, quibus חוף ſit מחך אלבחר אי חית תחך אמואגהא יריד צפתהא ותאשיתהא וסאחלהא, *locus ubi fricat mare, aut ubi fricant undae ejus, i. e. litus maris et ora.* Conſentiunt in hac ſignificatione vocis veteres interpretes omnes, atque etiam verſio Arab. Ms. Pocock. habet עלי סאחל אלבחר.

ועל מפרציו) מפרצים ſunt portus ſtationes navium, et urbes maritimae. Nam فرض eſt incidere, unde فُرْضَةٌ locus eſt (crebra quaſi fluctuum alliſione inciſus) ubi naves ad anchoram conſiſtunt. Sic apud Abulpharagium Hiſtor. Dynaſt. pag. 91 urbs Ciliciae Ajâs, dicitur فُرْضَة البحر, *portus, urbs maritima.*

Vs. 18.

חרף) in 30 ף eſt ſuper raſura et valde diductum. videtur fuiſſe חרף את. נפשו) omiſſ. in 19 ſed ſuppl. ונפתלי) ſic. 30, ſed literae פתלי ſuper raſura.

Laudat nunc, uti par eſt, Sebulonitarum Naphtalitarumque, quorum praecipue opera uſus fuerat Baracus, animum generoſum atque intrepidum. Exquiſita formula, qua qui vitam ſuam praeſentiſſimo periculo objicit, *probro eam afficere*, i. e. parvi aeſtimare dicitur. Amant hoc loquendi genus Arabici quoque poëtae in laudandis viris fortibus et generoſis. Sic

Sic quidam in Hamaſa, edit. Schultens. pag. 452 edit. Goettingens. pag. 80. de ſe ſuisque:

انا لنرخص يوم الروع انفسنا
ولو نسام بها في الامن اغلينا

Nos levis pretii reputamus animas noſtras die praelii,
Sed ſi pretium earum rogemur tempore pacis, magnum illud ſtatuimus.

Atque alius ibidem:

نعرض للسيوف اذا التقينا نفوسا
لا تعرض للسباب

Tanquam rem vilis pretii gladiis objicimus animas noſtras, quum praelio concurrimus, quae alias non objiciuntur probro.

Conf. quoque Lettius in not. ad Amralkeiſi Carmen, pag. 213.

ונפתלי . . . . שדה) Senſum nonnihil turbare videtur abſentia verbi in altero hemiſtichio. Ac communis quidem hunc verſum interpretandi ratio haec eſt, ut repetantur verba עם חרף נפשו למות junganturque cum ſequentibus על מרומי שדה, hoc ſenſu: et *Naphtalitae quoque projiciebant vitam ſuam in locis editis*. Sed haec res eam dubitationem habere nobis videtur, quod, cum praelium commiſſum fuerit non in monte, ſed ad radicem montis (nam deſcendiſſe de monte dicuntur Iſraëlitae Cap. IV. 14), haud probabile ſit, verbis על מרומי שדה contineri deſignationem illius loci, in quo virtutem ſuam bellicam comprobaverint Naphtalitae. Noſtra igitur qualicunque ſententia recte quidem repetitur illud עם . . . . למות: ſed verba על מרומי שדה, ſubintellecto, quod plerum-

que omittitur אשר, cum ſubjecto ſunt proxime jungenda, continentque epitheton illius poëticum à natura ſoli, quod incolebant Naphtalitae, maximam partem montoſi, deſumtum. Senſus eſt, irruiſſe Sebulonitas in media hoſtium agmina, eorumque ſimiles fuiſſe Naphtalitas monticolas.

Vs. 19.

נלחמו אז) omiſſ. in 32 ſed ſuppletum.

בצע) *Lucrum* plerumque vertitur: ſed magis placet ſignificatio, quam habet hoc nomen apud Arabes, quibus بضعة *fruſtum* eſt. Sic R. Tanchum quoque illud accipit, cujus verba digna ſunt, quae notentur, בֶּצַע כֶּסֶף קטעה פצה תרגום פתות אתה פתים בצע יתה בצעין ופי אלערבי אלבצעה הי אלקטעה פתסאות פיה ארתלאת לגאת: i. e. בצע כסף *eſt fruſtum argenti; chaldaice quoque* בִּגְּתְעין *ſunt fruſta Levit II. 6. et Arab.* بضعة *quoque eſt fruſtum; conſentiunt itaque in hoc vocabulo tres iſtae dialecti.*

Vs. 20.

מן שמים) מן השמים 2, 10, 33, ſed ה ſine vocal. ממסלותם) deeſt in 6, ſed ſuppletum. ממצלתם 24, ſed emend. במסלותם 21, ſed emendatum.

מן שמים נלחמו) Praecipiunt interpretes, ſubintelligendam eſſe vocem אלהים: ſed malumus accipere verbum tanquam imperſonaliter poſitum. Atque hoc quidem planum eſt: illud vero plus habere difficultatis videtur, quonam ſenſu ſtellae de orbitis ſuis pugnaſſe dicantur. Communis fere opinio eſt, *Angelos* innui, qui alibi etiam (Job. XXXVIII. 7) ſtellarum nomine inſigniantur. At quanquam admodum credibile eſt, ut deinceps videbimus, procellam hoſtibus adver-

adverſam coelitus ſuccurriſſe, cum ad praelia ventum eſſet, Iſraëlitis; neſcio tamen, an in omni veterum hebraeorum poëſi vel unicus locus extet, in quo ejusmodi ſtupenda naturae ſpectacula relata ſint ad miniſteria angelorum: ſuadetque praeterea commemoratio *orbitarum*, quae minus bene convenire videntur angelis, ut ſtellas intelligamus non figurate ſed proprie ſic dictas. Nec tamen eorum ſententiam probamus, qui ſtellarum illam in Canaanitas iniquitatem in eo poſitam fuiſſe exiſtimant, quod noctem praelium proxime inſecutam illuſtraverint lumine ſuo, atque opportunitatem praebuerint victoribus, ulterius quam alias fieri poterat proſequendi hoſtes in fugam projectos, eorumque ſtragem propagandi latius. Nam et nimis commune atque ordinarium videtur illud ſtellarum, quo noctem illuſtrant, beneficium, et locus etiam hic nondum eſſe poteſt, fugam hoſtium et quae conjuncta cum ea erant deſcribendi. Neque illud nobis plane ſatisfacit, quod ad explicationem hujus dictionis propoſuit ill. Michaelis in notis ad h. l. Nimirum putat vir doctiſſ. ortam eſſe loquendi formulam ex opinione vulgi ea, qua ſideribus multum cum rebus humanis conjunctionis tribui ſolet, nec aliud quicquam eandem innuere, quam quod adverſa fortuna uſus fuerit Siſera (*das Schickſaal war ihm zuwieder*). At vero haec ſi fuerit dictionis hujus mens atque vis omnis, hoc tantummodo ſi innuerit Debora, adverſam fuiſſe quam expertus ſit Siſera fortunam, quam quaeſo, niſi noſter nos ſenſus fallat, vulgaris tunc et languida prodiret ſententia, quam diſſimilis ſublimitati ac magnitudini conceptuum, quae per reliquum carmen totum regnat? Certe alterius ſententiae, qua coelitus pugnatum fuiſſe dicitur, pondus et gravitas majus quid atque elatius aperte deſiderat. Noſtro itaque ſenſu ſi nobis uti liceat, quanquam id timidi faci-

facimus nec ita de opinione noſtra certi, quin aliam lubenter accepturi ſimus; putaverimus, ſimpliciſſimam verborum interpretationem eam eſſe, ut ſtellae dicantur poſitae pro coelo, et formula, ſtellae ex orbitis pugnarunt, idem valeat ac, *coelum ipſum deſuper pugnavit.* In qua explicatione ne cui forte illud vitioſum videatur, quod ſic utriusque hemiſtichii idem fere ſenſus prodeat, monendum eſt breviter; in ſermone hebraeorum poëtico nil magis fere ſpectari, quam membrorum, e quibus conſtat periodus, parallelismum, et praecipue eam parallelismi ſpeciem omnium frequentiſſimam eſſe, qua quae primum poſita eſt ſententia, denuo exprimitur aliis verbis idem fere ſignificantibus. — Sed de forma loquendi haec ſufficiant, jam quis verborum ſenſus ſit diſpiciendum. Et haec quidem quaeſtio haud admodum impedita videtur. Coelum enim pugnaſſe cum dicitur, quid quaeſo aliud ſignificare hoc poſſit, quam coeli mutationem aliquam talem, quae, faveret Iſraelitis, infeſtiſſima ſimul eſſet copiis hoſtilibus? Ac Josephus etiam Archaeol. Lib. V. cap. 5. pag. 291 edit. Haverc. narrat, ſtatim ſub initium praelii coortum eſſe imbrem ingentem multo cum grandine, ventumque, dum impelleret pluviam in ora Canaanitarum, tantam his caliginem objeciſſe, ut arcus fundaeque illis plane inutiles fierent, gravis etiam armaturae milites ob frigus gladiis uti non potuiſſe: Iſraëlitas contra, a tergo habentes procellam, cum intellexerint divinum auxilium, eo majorem adhibuiſſe audaciam. Nec erat cur hoc tanquam commentum ingenii Judaici rejiceret Clericus ad h. l. Adſunt enim variae et juſtae cauſae, quae ejusmodi quid factum eſſe perſuadere nobis debeant. Primo quod ex ipſius Dei juſſu nonniſi decem mille homines (cap. IV. 6. 13) evocari debebant ad rem adeo arduam perficiendam,

quod

quod hoc tam exiguum agmen adoriri adeo jubebatur hoſtilem exercitum, et numero et armorum genere multo ſuperiorem, et quidem tali in loco adoriri, qui ut videtur multo iniquiſſimus erat Iſraëlitis, hoſtibus contra commodiſſimus, haec ſane ita comparata ſunt, ut intelligatur, haud obſcure ſignificaſſe Jehovam, ſe ipſum ſingulari quodam modo vim hoſtium fracturum eſſe. Accedit, quod verbi המם quo utitur hiſtoricus ſacer cap. IV. 15, praecipuus ac fere perpetuus uſus hic eſt, ut de Deo uſurpetur, quando procellas excitaſſe dicitur hoſtibus infeſtas, vid. Exod. XIV. 24. Joſ. X. 10, 1 Sam. VII. 10, Pſ. XVIII. 15. Pſ. CXLIV. 6. Denique illud praecipue ſententiam noſtram firmare videtur, quod Kiſchon amnis devolviſſe dicitur Canaanitas. Shawium enim ſi audias, teſtem fide digniſſimum, (*Reiſen, oder Anmerkungen, verſchiedene Theile der Barbarey und der Levante betreffend*, *pag.* 238) profecto Kiſchon vehemens ille rapidusque fluvius non eſt, qui vel copias in acie poſitas deturbare, vel caeſorum hoſtium cadavera devolvere poſſit, niſi facta ſit copioſiſſima imbrium effuſio. Haec autem ſi acceſſerit, tunc creſcit ex multis aliis torrentibus ſubito, intumeſcit, inundat campos, rapidisque undis quaecunque objecta ſibi habet aufert. Itaque aut hyperbole admittenda eſt, quae non veritatem modo excedit, ſed adeo veritatis ſpeciem omnem, aut ſtatuendum cum Shawio, conjunctam fuiſſe eum praelio procellam divinitus excitatam, eamque talem fere, qualem deſcripſit Josephus.

Vs. 21.

נחל קישון prius) מן השמים נחל קישן 21, ſed
מן השמים caret vocal. (נחל קדומים נחל קישון
omiſſ. in 6 ſed ſuppl. נחל קישון poſt.) נחל איתן
4, in

4, in marg. eſt קישן. קרומים תנחל (קרומים נחל
32, ſed ת expunctum.

גרף) Praeter hunc locum non iterum occurrit in hebr. codice, ſed uſitatius eſt in dialectis reliquis, nam eodem et Syrus interpres et verſio Arab. ms. Pocock. hoc in loco utuntur. Apud Arabes verbum جرف uſurpatur praeſertim de fluviis quum aliquid auferunt et devolvunt, ut exemplis probat Lettius ad h. l.

נחל קדומים) Maxime nobis placet eorum opinio, qui קדומים vertunt *occurſus hoſtiles*, praelia, ſignificatione ducta ex illo verbi קָדַם uſu, quo denotat ex adverſo ſtare, occurrere. Idem fere ſentit R. Jonas in lexico, qui poſtquam monuit, verbum קָדַם habere ſenſum occurrendi, obvertendi ſe. (אלתלאקי
ואלאסתקבאל) haec ſtatim ſubjicit, ורבמא כאן נחל
קדומים משתק מן הדא אלמעני אי ואדי אלמתלאקין
יריד חית אלתקי אלגמאען: Senſus itaque loci hic eſt, Kiſchonem eſſe torrentem eum, qui inclutus factus ſit praeliis prope ipſum commiſſis. Transverſum eſſe verborum in hac ſententia ordinem, monendum eſt propterea, quod videmus, ob neglectam hanc obſervationem apud plurimos ortam eſſe hujus commatis verſionem parum concinnam.

תדרכי נפשי עז) Animam ſuam, id vero eſt more Hebraeorum ſolemni, ſe ipſam alloquitur Debora, ac idem eſt ac ſi dixiſſet אני אדרך עז, *ego ipſa, quanquam femina imbellis, conculcabam validiſſimos bellatores.* Mirum eſt, quod vertere potuerit ill. Michaelis hoc comma, *laſst mich auf die Starcken treten*, vel ven. Tellerus, *ſtrenge deine Kraft an meine Seele (den Sieg würdig zu beſingen).* Quam enim dura eſt, quam ingrata auribus ſermonis in medio curſu interpellatio!

At

At in futuro, inquies, poſitum eſt verbum תהדכי. Quaſi vero non conſtaret, in ſtylo hebraeorum, poëtico praeſertim, futurum ſexcenties habere vim praeteriti.

Vs. 22.

(אבירין) ſic in 30, ſed literae אביר ſuper raſura.

(אז) Tunc, ſcilicet cum ipſum coelum militare Iſraëlitis inciperet, orta eſt equitatus primum, in quo maxima vis hoſtium poſita erat, deinde reliqui etiam exercitus perturbatio ac confuſio ſumma.

(והלמו) ut paſſivum plerumque vertitur, et ſic jam olim praecepit R. Jonas in lexico, גיר מתעדי במעני נהדלמו, *intranſitive ſumendum eſſe ſenſu paſſivo*, et conſenſit etiam R. Tanchum, ſcribens: חריה. אן הואפר כילה אנבלעת מן שדה אלעדו ואלחצאר, *ſenſum eſſe quod ungulae equorum excuſſae fuerint ob vehementiam curſus.* Sed rectius videtur, verbum quod eſt formae activae, ſenſu quoque activo ſumere, et ſupplere *terram*, cum haud admodum infrequens ſit accuſativi ellipſis, quando is vel ex indole verbi, vel ex ſermonis contextu facile ſuppleri poteſt.

(דהרות) Difficile vocabulum, de quo ne verbulum quidem monuit Lettius, alias in vocum ſignificationibus indagandis perquam copioſus, quin ſaepe copioſior quam par erat. Moleſtum eſt deſiderari uſum verbi דהר in Chald. pariter ac Syr. lingua: moleſtius etiam, Arabiſmi ope nos hic deſtitui, nam verbi دهر, quod a nomine دَهْر, *tempus*, *fortuna*, formatum uſurpatur de quacunque re in aliquem incidente, ſignificatio locum hic habere non poteſt. Tellervs quidem verbo דהר apud Arabes *projiciendi ſe deorſum*, *terga*

terga vertendi notionem competere perhibet, ſed hic quoque ut ſaepe alibi parum accurate; nam iſta ſignificatio reſidet in verbo نوّهر, quod eſt a نهر plane diverſum. Conſulamus itaque nunc verſiones antiquas. Ac in altero quidem loco, Nahum III. 2, ubi audiri dicitur ſtrepitus equi דֹּהֵר, LXX habent *ιππȣ διωκοντος*, Vulg. *frementis*, Chald. equorum מְפַנְּבִין *ſaltantium*, Syr. utitur verbo ܢܚܡ quod male redditum eſt *anhelans*, nam Arabibus certe نفر eſt *fugere*, nec non, *antevertere curſu*, et Arabicae verſionis auctor, qui in prophetis Syrum ſequitur, adhibet vocabulum انكفص, quod itidem et *fugam* et *curſum* denotat. Hoc vero noſtro loco Vulgata ſic habet, *ungulae equorum ceciderunt, fugientibus impetu et per praeceps ruentibus fortiſſimis hoſtium*, LXX. *σπȣδη εσπευσαν ιχυροι αυτων*, Chald. tunc excuſſae ſunt ungulae equorum illorum מפירוכא *ob ſaltum.* Ex qua veterum interpretum collatione cum appareat, non omnes quidem, at plures tamen, voci דהרות tribuiſſe notionem curſus concitatioris: eandem et nos, donec certius quid eveniat, tenendam arbitramur. Hinc אבירים non putamus equites eſſe, ſed equos fortes et generoſos, quo ſenſu vocabulum occurrit Jerem. VIII. 16, XLVII. 3, L. 11. Obſtare quidem videtur affixum, quod ad vocem סוס referendum eſt, et ven. Tellervs vitioſam adeo tavtologiam induci verbis putat, niſi אבירים intelligatur de equitibus. Enimvero, cur non bene dictum ſit, אבירי סוס, validiſſimi equorum, cum tamen alias quoque tali loquendi genere uti ſoleant Hebraei ad exprimendum ſuperlativum, ex. gr. Eſai. LIII. 3, חדל אישים, flaccidus hominum, i. e. homo flaccidiſſimus, Ps. XXII. 7 בזוי עם contemtus hominum, i. e. contemtiſſimus? Noſtra itaque

ſenten-

ſententia commatis ſenſus hic eſt, orta tempeſtate cum rerum omnium ſumma perturbatio facta eſſet, attonitos atque in furorem actos equos noluiſſe amplius contineri in obſequio, ac fortiſſimos quidem et ferociſſimos quosque ſtatim perruptis agminibus concitato curſu in praeceps rapuiſſe invitos dominos, tunc reliquos etiam minus validos et generoſos, quod coacti eſſent diutius conſiſtere, verberaſſe terram ungulis, donec et ipſi, excuſſo omni imperio, in fugam ſe conjecerint.

Vs. 23.

מרוז) ז ſuper raſura in 30. יהוה ארו) יהוה צבאות ארו 2, ſed media vox caret vocali. ארור) ſerius additum in Regiom, I. in 30 ור ſuper raſura. לעזרת יהוה) ſemel tantum in 6, neque ſuppletum: ſemel quoque in Helmſtad. et Stutgard. ſed utrobique ſuppletum. Omittunt Ch. Syr. Arabs.

מרוז) Nihil quidem certi conſtat de hac civitate, ſed credibile tamen eſt pertinuiſſe eam ad alterutram tribuum, quas nominatim ad bellum evocari juſſerat Jehova. Nam quod tam graviter illa corripitur, id haud obſcure ſignificare videtur, fuiſſe et ipſam evocatam, ſed timuiſſe ſibi, ne Canaanaei poſt victum Iſraëlitarum exiguum agmen temeritatem defectionis ulciſcerentur crudelitate victoriae. Sed hic ipſe timor praepoſterus, haec de felici rerum eventu dubitatio, quid erat aliud quam diffidere Jehovae ipſi, cujus auſpiciis res omnis gerebatur, et qui ipſe dux et princeps agminis Iſraëlitici haberi voluit? Hinc eſt, quod Meroſitae dicuntur denegaſſe auxilium, non Baraco, non fratribus ſuis, ſed ipſi adeo Jehovae, non quod

ipſe illis opus habuerit, ſed ut innuatur magnitudo criminis, quod committebant, qui ſub tanto duce dubitare de victoria ac militiam detrectare audebant.

מלאך יהוה) *Angelus* plerumque intelligitur, nec tamen id certum eſt; nam *prophetae* etiam hoc nomine nonnunquam inſigniuntur, vid. Hagg. I. 13, Jud. II. 1. Utrum vero ſemet ipſam innuat Debora, utpote quae eſſet אשה נביאה Cap. IV. 4, an alium quendam prophetam divinitus miſſum, id vero nemo facile unquam definiet. Neque eſt haec res tanti momenti, ut admodum ſolicitos nos habere debeat.

Vs. 24.

חבר) omiſſ. in 3 et 35, ſed ſuppletum.

מנשים באהל) Sunt qui vocabulum אהל latiore hic ſenſu ſumentes, quo omnis generis habitationes complectitur, alluſionem eſſe putant ad illam orientis conſuetudinem, qua domi ſeſe continere nec facile in conſpectum publicum prodire ſolent feminae honeſtiores, ut ſenſus ſit, *prae aliis honeſtis feminis omnibus praedicandam eſſe Jaëlem.* Enimvero cum hic ſermo ſit de ejusmodi femina, quae ipſa degebat ſub tentorio, quod adparet ex Cap. IV, vs. 21, utpote uxor viri Kenitae, patrio more vitam paſtoritiam agentis, ſedesque ſuas ſubinde mutantis, ut facere ſolent Nomades, putamus nos vocem אהל ſtricte accipiendam eſſe de *tentorio*, ac ſenſum loci ſic conſtituendum, ut excellentior dicatur Jael omnibus aliis ſui ordinis feminis, omnibus nimirum, quae quaqua verſum degant in Scenitarum tentoriis.

Vs. 25.

Vs. 25.

שאל et נתנה) Super raſura in 30.

חמאה) Mirum videri poſſit, homini laſſo et ſitibundo, qui ad calorem refrigerandum ſitimque reſtinguendam aquae hauſtum petit, butyrum unacum lacte offerri. Verum חמאה non, ut vulgo creditur, illud ſignificat, quo nobis butyrum eſt, ſed lactis potius quandam ſpeciem, coagulatum nempe ſeu oxygalam, quod copioſe probavit Jo. Kneppelhövt in diſſ. poſt. de re cibaria vet. hebr. praeſide celeb. Seb. Ravio habita Traj. ad Rhen. 1769. Atque ſic Josepho etiam ſua conſtat fides atque auctoritas, narranti Archaeol. Lib. V. cap. 6, propoſitum fuiſſe Siſerae γαλα διεφθορος ηδη, lac corruptum, i. e. acidum factum, quod juſto copioſius hauſtum mox ebrietatem cum arctiore ſomno illi induxerit. Nimirum commode obſervat ill. Michaëlis in not. ad Jud. IV. 19, camelini lactis, cum acidum factum ſit, eam eſſe naturam, ut vino etiam citius ebrietatem arceſſat bibentibus, nec dubium videri poſſe, quin Heberus Kenita, ex Arabica gente oriundus, camelos aluerit, Arabibus omnium maxime adamatos. Suſpicatur itaque, Jaëlem cum lac daret animum habuiſſe inebriandi Siſerae: nec aliter concipi poſſe, qui factum ſit, ut imperator praelio victus atque in fugam praecipitem conjectus mox tam profundo ſomno ſopiri potuerit. Quae viri celeb. ſententia uti nobis vehementer placet, ita gaudemus etiam, novum nos illi robur conciliare nunc poſſe auctoritate Tanchvmi, Judaei Hieroſolymitani, cujus ad h. l. verba haec ſunt, קצדהא אן תסכרה לאן אללבן אלחאמץ יסכר וכציצא עקיב אלתעב ואלחר והו ירטב אלדמאג פיקוי אלנום ויסתגרק i. e. *propoſitum Jaëli erat inebriare Siſſeram, nam lac acidum inebriat et praecipue*

 cum

eum quem perſequitur laſſitudo atque aeſtus: humidum quippe reddit cerebrum, tunc invaleſcit ſomnus hominemque totum occupat.

Vs. 26.

מחקה) וַמְחָקָה 31 (praef. ſine vocali). וּמְחָקָה 11. Habet quoque praef. Syr. et Arabs. ראש) ראשו 21, ſed add. eſt ſuff. ומחצה) מחצה 2, 3, 6, 10, 20, 25, Erfurt. I. Omittunt praef. Vav quoque 4, 17, 19, 22, 23, 32, Erfurt. III, ſed in his ſuppl. Omittit copulam Chald. et Ar. רקתו) ברקתו 2, ſed ב ſine vocali.

תשלחנה) Negotium faceſſit grammaticis forma verbi annomala. Sed omnis difficultas in vocalibus ſolummodo poſita eſt, et recte monet Lud. de Dieu in Animadvers. ad h. loc. ſcriptum eſſe debere תְּשַׁלְּחֶנָּה. *manum ejus quod attinet, emittebat eam ad clavum.*

והלמה) Mirum quod ill. Michaeis reddere hoc potuerit, *inebriavit Siſeram*: ſed magis etiam mirum, quod tantopere ipſi placuerit haec nova verſio, ut etiam reprehenderet in not. ad C. IV. 19, reliquos interpretes, quod non ſatis acuti fuerint ad hunc aptiſſimum, ut putat, verbi ſenſum perſpiciendum. Bene erat ſi dixiſſet vates, inebriavit Siſeram, tunc prehendit etc. At hunc ſententiarum ordinem ac ſucceſſum quis ferat, *prehendit altera manu clavum, malleum altera, et inebriavit Siſeram.*

מחקה) Verbum *ἁπ. λεγ.* cujus ſignificationem ex Arabiſmo petendam eſſe docet R. Jonas in Lexico, dum formulam מחקה ראשׁן exponit hac ratione מחקת גרא, i. e. *valde perdidit, delevit.* Conſentit Tanchum in comment. מעני מחקה אלמחק ואלדהאב ובסר

ומעני מחצה והן וכסר, *verbum* מחק *idem eſt quod* محق *delevit*, et מחץ *ſignificat debile reddere et frangere.* Rectiſſime quod ad prius: ſed ad poſterius quod attinet, putamus verbo מחץ optime hic convenire notionem verbi محص, quod eſt *concutere aliquid pede.*

חלפה) plerumque vertitur *perforavit*, praeeuntibus LXX et Vulg. Sed veremur ut ex uſu linguae probari poſſit haec ſignificatio. Certe locus Job. XX. 24 nil probat. Nam quia arcus parum commode *perforare* dici poteſt, rectius ibi תחלפהו vertitur, *pone inſequitur.* Nec alter locus Eſai. XXIV. 5 quicquam pro iſta ſignificatione decernere videtur. Difficile eſt verbum, neque adhuc, quamvis prolixe de eo egerit ipſe etiam Schvltensivs in comment. ad Prov. XXXI. 8, ita explanatum, ut de multifario ejus uſu per omnia certo conſtet. Interim cum admodum credibile ſit ex variis ejus notionibus ſecundariis, competere illi ſignificationem *rem rei ſubſtituendi*, *per vices aliquid agendi*; formulam חלפה רקתו non inepte ſic vertendam exiſtimamus, *per vices*, *alternis pedibus calcavit tempus ejus.* Hac quidem ratione ſaltim gradatio verborum oritur, non quidem grata mollioribus auribus, ſunt enim imagines horroris plenae, ſed juſta tamen ac naturae loci accommodata.

Vs. 27.

שׁכב) omiſſ. in 32, ſed ſuppl. כרע נפל שכב
בין רגליה) deeſt in Helmſtad. ſed ſuppl.
שכב בין רגליה כרע נפל) deeſt in 2, 20, 29, ſed ſuppl. כרע med.) bis in 23, ſed alterum expunctum. נפל באשר) נפל שפכין באשר 32, ſed media vox ſine vocal. נפל שכב באשר 35, ſed med. vox ſine vocalibus באשר כרע)

באשר שכב כרע Stutgard. ſed med. vox ſine vocal. (שם) omiſſ. in 21 ſed ſuppl.

(בין רגליה) Non admodum placet illud *inter pedes ejus*, ſed videtur potius vertendum eſſe *ad pedes*. Sic fere Arabibus بين يديه inter manus ejus, idem eſt ac *coram eo*, in conſpectu ejus.

(כרע) de violentis ac convulſivis agitationibus intelligendum, cum erigere ſe vellet nec tamen poſſet. נפל parum commode a multis redditum eſt *cadebat*. Quaſi vero cadere poſſit homo, cujus caput humo eſt affixum. Eo hic potius ſenſu ſumendum verbum, quo de mortuis humi proſtratis uſurpatur, Jud. IV. 22, I Sam. XXXI, 8. שכב rigidum immotumque corporis exanimis ſitum innuit, opponiturque agitationibus quae praeceſſerant. Germanice verteres, *zu ihren Füſſen krümmte er ſich, lag todt, ohne Bewegung.*

(שדוד) Tellervs, *ibi cadebat occiſus.* Michaelis, *da lag er todt.* Sed majorem nos vim atque efficaciam ineſſe huic vocabulo crediderimus, quam uterque neglexit. Innuitur nempe horridus ac teterrimus cruenti cadaveris humo adfixi adſpectus. *Wo er ſich gekrümmt hatte, da lag er, grauenvoll.*

Vs. 28, 29, 30

vs. 28 (אם) עם 21 ſed emend. בְעד poſt.) deeſt in 22, ſed ſuppl. (מדוע ב׳ ר׳ לבוא) deeſt in Helmſtad. ſed ſuppl. (בשש) omiſſ. in 11 ſed ſuppl. מדוע poſt.) ומדוע 11 ſed praef. ſine voc. (פעמי) deeſt in 15 ſed ſuppl.

vs. 29 (תענכה) תעניכה cum Jod eoque non expuncto 4, 6, 7, 8, 9, 11, 13, 16, 19, 23, 24, 25, 26, 27, 29, 30, 31, 33, 36. תעניכה cum Jod

Jod expuncto 1, 3, 22, Regiomont. II. et Stutgard. תענגה habet 5, ſed Jod eſt additum. תשׁיב) יושר 23, ſed ſine voc. et in marg. eſt תשיב.

vs. 30 שׁלל רחם) רחם צבעים שלל 2, media vox ſine vocali. לראש) deeſt in 18 ſed ſuppl. צבעים לסיסרא שלל) omiſſ. in 26 et 55, neque ſuppl. omittitur quoque in 11, ſed ſuppl. לסיסרא שלל צבעים) deeſt in 24, ſed ſuppl. omittit quoque Stutgard. לסיסרא) סיסרא 22, ſed add. ל רקמה) לרקמה 25. לרקמת quoque 3, Regiom. II et Stutgard. ſed ל expunct. צבע poſt.) deeſt in 30 ſed ſuppl. לצוארי) in 10 ſcriptio prima fuiſſe videtur לצואר.

Sequitur nunc his verſibus proſopopoeia, qua mater Siſerae loquens inducitur, tam venuſta atque elegans, ut neget adeo perfectius usquam inveniri poſſe exemplum Lowthus in libro de Poëſ. ſ. Hebr. pag. 258. Qui cum ſit in omnium, qui literas hebr. amant, manibus, certe debeat eſſe; non opus eſt, quae ſunt ibi de pulchritudine loci tradita, huc tranſcribere. Sed de formula לה . . . . . אף vs. 29 monenda quaedam ſunt breviter. Putat nempe celeb. Michaelis, loc. citato, verti debere, *et ipſa mater Siſerae reſpondebat illi*, feminae ſapienti, ſe ſolanti, contineri que vs. 30 colloquii muliebris imitationem, matre Siſerae amplius aliquid ſemper ſperante, quam virgines ejus promiſerant, earumque voces tanquam nimis timidas corrigente. Sed nos admodum veremur, ne regulis linguae contraria ſit haec opinio quantumvis ingenioſa. Nam primo verbum השיב, ſi *reſpondere* ſignificat, habere ſolet accuſativum perſonae, cui reſpondetur,

*detur, (vid. Numer. XXII. 8, Joſ. XIV. 7, II Sam. III. 11, cap. XXIV. 13, I Reg. XII. 16, alibi) neque vel unicus locus nobis conſtat, in quo conſtructum ſit cum dativo. Obſtat praeterea pronomen in אמריה, quia non dicitur השיב אותו אמרך ſed אמר א ה. Denique לה non recte refertur ad plures feminas ſapientes, חכמות, ſed absque omni dubio pertinere debet ad perſonam illam, quae loquens inducitur. Noſtro igitur judicio certus ac unice verus verborum ſenſus ille eſt, ipſam matrem Siſerae ſermones ſuos querulos *ſibi revocaſſe*, retractaſſe, et quae ſequuntur vs. 30 verba eſſe ſolius matris, ſolatia comitum admittentis, atque nunc, quia facile creditur quod optatur, in laetiſſimam ſpem ac immodica fere gaudia effuſae.

לצוארי שלל) Diſſentiunt interpretes in hac dictione explicanda. Sunt qui eam hypallagen eſſe ſtatuunt pro לשלל הצואריםם, ſunt qui formam conſtructam hic poſitam eſſe putant pro abſoluta. Sed utrumque nimis profecto durum. Alia eſt opinio ven. Telleri, qui, quod parum credibile ſit, ita abſtinentem fuiſſe matrem Siſerae, ut ſibi ſoli nullam partem praedae ſperaret, pronuntiandum eſſe vult לצוארי, *praedam coloratam utrinque acu pictam collo meo*: eſtque de mutationis hujus neceſſitate tam firmiter perſuaſus, ut neget alia ratione locum commode explicari poſſe. Enimvero, quod pace viri doctiſſ. dictum ſit, neque haec ratio nobis perquam commoda videtur, duplici de cauſa, tum quod ſic nomen שלל ultimo loco poſitum plane redundet, quis enim facile dixerit, *praedam attulit collo meo praedam*: tum quod veſtes tinctae et acu pictae non poſſint dici ornamenta *collo* hominis apta, niſi admodum coacte. Quod poſterius aeque valet contra Greenii ſententiam, qui

qui legendum putat לצואר שׁוֹלֵל, pro collo ſpolia facientis, ipſius nempe Siſerae. Nobis vero illud ſimpliciſſimum videtur, ut שָׁלָל denotet jumenta bello ab hoſtibus capta (coll. 1 Sam. XV. 19) quae pretioſis ſtragulis aliisque ſpoliis ornata ad oſtentationem, in triumpho ante currum filii ductum iri ſperabat infelix mater Siſerae.

Vs. 31.

יהוה) deeſt in 32 ſed ſuppl. ואהביך (ואהביו
35, ſed emend. השמש) bis in 19, ſed altera vice caret punctis.

Sol prodiens in robore ſuo, eſt ſol oriens quando diſſipatis nebularum obſtaculis ſerena luce fulgere incipit. Elegantiſſima imago populi ex durae ſervitutis adverſitatibus emergentis ac novas vires priſtinumque ſplendorem recuperantis.

VERSIO LATINA.

2 Quod imperio fungi voluerint duces in Iſraële,
Quod promtum ſe praeſtiterit populus,
Laudate Jehovam.

3 Audite reges, auſcultate proceres,
Ego, Jehovae ego canam,
Pſallam Jehovae, Deo Iſraëlis.

4 Jehova, cum exires e Seir,
Cum gradereris ex agro Edom;
Terra tremuit, etiam coeli ſtillarunt,
Etiam nubes ſtillarunt aquam.

5 Montes diffluxerunt coram Jehova,
Hic Sinai coram Jehova, Deo Iſraëlis.

6 Tempore Schamgar, filii Anath,
Tempore Jaël, ceſſabant viae:
Incedentes antea viis regiis, incedebant viis
tortuoſis.

7 Ceſſabant duces in Iſraële, ceſſabant,
Donec ſurrexi ego Debora,
Surrexi mater in Iſraële.

8 (Iſraël) elegerat Deos novos,
Tunc facta oppugnatio urbium:
Clypeus nequaquam videbatur aut haſta
In quadraginta millibus Iſraelitarum.

9 Animus meus fertur in imperatores Iſraëlis,
In eos de plebe, qui promtos ſe praeſtiterunt.
Laudate Jehovam.

10 Qui vehimini aſinabus candidis,
Qui ſedetis ſuper ſtragulis,
Qui ambulatis in via, meditamini carmen!

11 (Meditamini) ob jubila ſortientium praedam,
Inter loca ubi aqua hauritur, ibi celebrent ſtre-
nua facta Jehovae,
Strenua facta ducum illius in Iſraële,
Tunc deſcendat ad oppida ſua populus Jehovae;

12 (Dixi:) Euge, euge Debora,
Euge, euge, dic carmen!
Age Barak, et potire captivis tuis fili Abinoam!

13 Tunc deſcendit reſiduus contra potentes,
Populus Jehovae deſcendit mihi medios inter
bellatores validos.

14 De

14 De Ephraim deſcenderunt quorum ſedes im Amalek (monte),
Poſt te (o Ephraim!) venit Benjamin cum cohortibus tuis,
De Machir deſcenderunt praefecti militares,
Et de Sebulon tenentes baculum numeratoris.

15 Primarii de Iſaſchar erant circa Deboram,
Et plebs Iſaſcharitica, praeſidium Baraci,
In vallem miſſa pone eum.

16 Juxta rivos Rubenis magna erant conſilia animi —
Quare vero manſiſti (Ruben!) inter canales,
Ad audiendum ſibilum gregum?
Juxta rivos Rubenis magnae erant haeſitationes.

17 Gilead trans Jordanem conquieſcebat,
Et Dan, quare hic timebat naves?
Aſcher manebat in litore maris
Et in urbibus ſuis maritimis conquieſcebat.

18 Sebulon eſt populus qui probro affecit vitam ſuam ad moriendum,
Nec non Naphtali habitans in locis montanis.

19 Venerant reges, ut pugnarent.
Tunc pugnarunt reges Canaanitae,
In Thaanach ad aquas Megiddo,
Fruſtum argenti non abſtulerunt.

20 De coelo pugnatum eſt,
Stellae ex orbitis ſuis pugnarunt cum Siſera.

21 Torrens Kiſchon devolvit eos,
Torrens praeliorum eſt torrens Kiſchon,
Calcabas, o Debora, robuſtos.

22 Tunc calces equorum tundebant (terram),
Ob praecipitem curſum nobiliorum de illis

23 Maledicite Meros, dicit nuntius Jehovae,
Maledicite incolis ejus,
Quod non venerunt ad auxilium Jehovae,
Auxilium Jehovae, inter reliquos fortes.

24 Laudetur prae mulieribus Jaël
Uxor Cheberi Kenitae,
Prae mulieribus in tentoriis laudetur,

25 Aquam petiit, lac dedit,
In phiala pretioſa obtulit lac acidum.

26 Siniſtram ad clavum extendit,
Et dextram ad malleum operariorum.
Et contudit Siſeram, perdidit caput ejus,
Concuſſit et alternis pedibus calcavit tempus ejus.

27 Ad pedes ejus curvabat ſe, mortuus jacebat, immotus,
Ad pedes ejus curvabat ſe, mortuus jacebat,
Ubi ſe curvabat, ibi mortuus jacebat, horridus.

28 Per feneſtram proſpexit et ejulavit
Mater Siſerae per frigidarium,
(Dixit:) quare tardat currus ejus venire,
Quare morantur inceſſus curruum ejus?

29 Sapientiores primariarum ejus feminarum reſpondebant,
Tunc ipſa quoque revocabat dicta ſua (anxia, dicens:)

30 Nonne inventam divident praedam,
Puellam, immo duas puellas unicuique,
Praedam veſtium tinctarum Siſerae,

Prae-

Praedam veſtium tinctarum, acu pictarum,
Tincta ac utrinque acu picta tegmina pro collis
jumentorum?

31 Ita pereunt omnes hoſtes tui, Jehova!
Sed qui amant illum, ſunt veluti quum prodit ſol
In robore ſuo.

Verſionem hanc cum dignam exiſtimaverit clariſſ. Joh. Uri, quam Pharo artis grammaticae hebraeae Oxonii MDCCLXXXIV à ſe edito, in quo ſunt etiam nonnulla carminis loca breviter ab ipſo expoſita, adjungeret, ſed immutatis, quae a Pharo longius diſceſſiſſe viſa eſſent; placet viciſſim huc tranſcribere, qualem Urivs concinnavit, ab ea, quae praeceſſit, haud mediocriter diſcrepantem, et fere aliam novamque. Eſt vero haec:

2 Cum libertatem reſtituiſtis Liberatores in Israele,
Cum ſtrenuiſſime vos geſſiſtis viri gregarii,
Laudate Jehovam.

3 Audite Reges, attendite Principes,
Ego ipſa, Jehovae ego ipſa canam,
Pſallam Jehovae, Deo Iſraelis.

4 Jehova, cum exires e Seir,
Cum gradereris ex agro Edom,
Terra commota eſt, etiam coeli ſtillarunt,
Etiam nubes ſtillarunt aquam.

5 Montes diffluxerunt coram Jehova,
Iſte Sinai coram Jehova, Deo Iſraelis.

6 In diebus Shamgar, filii Anath,
In diebus Jael, ceſſabant viae:
Incedentes viis regiis, incedebant viis tortuoſis.

7 Ceſſa-

7 Ceſſabant Gubernatores in Iſraele, ceſſabant,
Usque dum ſurrexi Debora,
Surrexi mater in Iſraele.

8 Quae, delectis Praeſidibus novis,
Tunc alimentis complevi urbes:
Clypeus ſiquidem conſpiciebatur, et haſta,
In quadraginta millibus Iſraelitarum.

9 Cordatiſſimi Imperatores Iſraelis,
Viri ſtrenuiſſimi de plebe,
Laudate Jehovam,

10 Qui vehimini aſinabus candidis,
Qui ſedetis ſuper ſtragulis,
Qui ambulatis in via, meditamini carmen.

11 Tela qui ſpargebatis mediis in pugnae locis,
Ibi celebrate ſtrenua facta Jehovae
Strenua facta Satrapum ejus in Iſraele:
Tum deſcendite ad oppida populus Jehovae.

12 *Cum dixiſſem*: expergiſcere, expergiſcere Debora,
Expergiſcere, expergiſcere, dic carmen!
Surge Barak, et abduc captivos tuos fili Abinoam!

13 Tunc deſcendiſti exiguus, contra Potentes populus;
Jehova deſcendiſti mihi adverſus Heroes.

14 De ipſo Ephraim deſcendiſtis, qui ſedem habe-
tis in Amalek;
Poſtea tu Benjamin cum cohortibus tuis;
De ipſo Machir deſcendiſtis vexillarii;
Et de Sebulon, qui eligebatis in tribu ducem.

15 Nobiles quidem ipſi de Iſaſchar eratis cum Debora,
Et plebs Iſaſcharitica firmabat Barakum,

In

In vallem quae miſſa pone ipſum eſt.
Juxta rivos, Ruben! magnae erant deliberationes animi?

16 Cur manſiſti inter mapalia ad audiendum balatus gregum?
Ad rivos, Ruben! magnae erant conſultationes animi.

17 Gilead trans Jordanem conquieſcebas;
Et Dan, quamobrem timebas naves?
Aſher manebas in litore maris,
Et circum portus tuos requieſcebas.

18 Sebulon eſt populus, cujus contempſerat magnanimitas mori,
Itemque Naphtali, habitans in editis campis.

19 Venerant Reges pugnaturi,
Tunc pugnarunt Reges Canaanitae,
In Thaanach ad aquas Megiddo:
Fruſtum argenti non abſtulere.

20 De coelo pugnatum eſt,
Stellae ex orbitis ſuis pugnarunt cum Siſera.

21 Torrens Kiſhon devolvit eos,
Torrens victoriarum eſt torrens Kiſhon:
Calcabas, o anima mea, Robuſtos.

22 Tunc contuderunt calces equorum,
Ob caeſorum cadavera, cadavera, Domini ipſorum.

23. Maledicite Merozo, dicit angelus Jehovae,
Maledicite, maledicite incolis ejus;
Namque non venerunt ad auxilium Jehovae,
Ad auxilium Jehovae, adverſus Heroes.

24 Be-

24 Benedicta ſit prae mulieribus Jael,
Uxor Cheberi Kenitae,
Prae mulieribus in tentoriis benedicta ſit.

25 Aquam ille petierat, lac illa dedit,
In phiala magnifica obtulit lac pingue.

26 Manum illa ſuam ad clavum extendit,
Dextram quidem ſuam ad malleum operariorum:
Et contudit Siſeram, perdidit caput ejus,
Et concuſſit, ac transverberavit tempus ejus.

27 Ad pedes ejus curvabat ſe, mortuus jacebat, immotus,
Ad pedes ejus curvabat ſe, mortuus jacebat,
Ubi ſe curvabat, ibi mortuus jacebat, horridus.

28 Per feneſtram proſpectavit, ac vociferata eſt
Mater Siſerae per ſpeculare, *inquiens:*
Quare cunctatur currus ejus venire?
Quare morantur rotae quadrigarum ejus?

29 Sapientiores primariarium ejus ancillarum reſpondebant illi:
Quin tu tibi revoca dicta tua, dicens:

30 Nonne, quam nacti ſunt, dividunt praedam,
Puellam, imo duas puellas, in virum quemque;
Praedam veſtium tinctarum Siſerae,
Praedam veſtium tinctarum, acu pictarum;
Veſtes tinctas, utrinque acu pictas, pro procuratoribus praedae?

31 Ita pereunt omnes hoſtes tui, Jehova!
At qui amant te, ſunt velut cum prodit ſol in robore ſuo.

AD

III.

AD QUAEDAM LOCA PROVERBIORUM SALOMONIS.

Prodiit ſuperiore anno *) Oxonii e prelo Clarendoniano liber anglica lingua ſcriptus, qui continet obſervationes ad varia loca Proverbiorum, auctore b. Thoma Huntio, Aedis Chriſti Canonico, linguaeque Hebr. et Arab. profeſſore Oxonienſi. Et quidem cum plauſu haud vulgari exceptus eſt hic liber in Anglia, tum quod inſignem praeclarae eruditionis famam conſecutus eſſet auctor, tum quod conſtaret, eum in concinnando hoc opere ſingularem prorſus curam adhibuiſſe atque diligentiam. Erat enim, praeter ſaeculi ſui conſuetudinem, mirum in modum timidus, ſibique adeo diffidens, ut quamvis eſſet in litteris orientalibus atque interpretatione ſcripturae ſacrae multorum annorum uſu longe exercitatiſſimus, tamen nonniſi aegre perſuaderi ſibi pateretur ab amicis, ingenii ſui monimentum aliquod publicae luci exponere. Cumque tandem victus amicorum precibus recepiſſet in ſe, ſuas ad Proverbiorum loca quaedam difficiliora obſervationes in lucem emittere; tam verecunde atque modeſte in hoc opere verſatus eſt vir aliis omnibus, quam ſibi facilius ſatisfaciens, ut quae in chartas a ſe relata eſſent denuo diligentiſſime pertractaret, nec quidquam prelo committeret, niſi quod eſſet ex omni parte expenſum examinatumque quam ſtudioſiſſime. In qua tanta ſua modeſtia cum admodum lente procederet Huntius jam grandaevus, protrahe-

*) [MDCCLXXV.]

traheretque opus ſuum per annos complures; ſuccubuit tandem ſenectuti, et operis vix ultra dimidiam partem typis deſcripti curam obiens commiſit celeb. Kennicotto, qui facillime etiam perficere illud potuit, cum eſſent omnia ad illud pertinentia a b. auctore in chartas relata. Hic itaque liber, cujus notitiam ſolus, quantum nobis quidem conſtat, dedit perill. Michaelis, in Biblioth. Or. et Exeg. P. IX, cum ſit in paucorum extra Britanniam manus perventurus, viſum eſt, Huntianarum interpretationum quasdam, ſpeciminis loco, in medium proferre, atque ea, quae viri amabiliſſimi humaniſſimique nobisque etiam amiciſſimi memoriae debetur, cum modeſtia ſub examen revocare. Deinde vero etiam alia quaedam loca, ab Huntio non tacta, quibus aliquid lucis affundere nos poſſe nobis videmur, breviter tractare conabimur.

§. I.

Proverb. I. 17. Diſcrepant interpretes in conſtituendo ſenſu formulae, *fruſtra* ſpargitur rete in oculis avium, ſtatuentibus Patricio aliisque, illud חִנָּם referendum eſſe ad aves, quibus rete tum *fruſtra* ponatur, quando ignarae ac negligentes periculi irruant in illud, poenamque imprudentiae luant: aliis contra cum Hammondo putantibus, tum demum rete *fruſtra* poſitum dici poſſe, quando, avibus rete evitantibus, fruſtra laborem ſuſceperit auceps. Et Huntius quidem priorem ſententiam ſequitur, duplicem ob cauſam, primo quod avibus nulla inſit prudentia cavendi ſibi a laqueorum inſidiis, deinde, quod avis incauta hic propoſita ſit tanquam imago latronum, qui ſpe praedae ac rapinarum capti in graviſſima ſemet pericula temere immittant. Sed haec nobis non ita comparata videntur, ut in eandem

nos

nos ſententiam pertrahere debeant. Etenim illud quod attinet, quis eſt, cui non in mentem veniat vulgatum Ovidii dictum, quod etiam in proverbium abiit,

Quae nimis adparent retia, vitat avis.

Hoc vero, ut mox videbimus, univerſi ſermonis nexui tantum abeſt ut conveniat, ut eundem potius haud parum turbet atque impediat. Alteram contra ſententiam ſuadent duae potiſſimum rationes. Primo enim haud facile quisquam dixerit retia eſſe fruſtra poſita, hoc ſenſu, ut innuat, noluiſſe ſe aves à reti abſterreri: ad capiendas enim, non vero ad abſtinendas, aves retia ut plurimum uſurpantur. Deinde, univerſae orationi ſi ſuus conſtare debeat nexus ac finis, neceſſe omnino videtur, ut ſermo ſit de avibus, rete ſibi nimis palam poſitum defugientibus. Etenim Salomo, dum in eo eſt, ut diſcipulum deterreat a ſocietate pravorum iſtorum hominum, qui ex caedibus atque rapinis victum quaererent, duobus argumentis utitur, quorum alterum ductum eſt a rei improbitate, alterum à periculorum cum iſto vitae genere conjunctorum magnitudine, hoc fere modo: Noli quaeſo committere, ut cum iſtiusmodi hominibus ſocietatem ineas, nam primo facile intelligis, quam prave agant ac ſceleſte, deinde, cum ne aves quidem ſint tam ſtupidae, ut in rete irruant, quod eſt palam ipſisque ſpectantibus poſitum, ſcito, eosdem, dum aliis inſidiantur, in praeſentiſſimo ſuae ipſorum vitae diſcrimine verſari; quodſi itaque, monitus de certitudine periculi, irretiri tamen te paſſus deinde fueris, ſane oporteat te avicula eſſe multo ſtupidiorem. — Reſtat, ut de verbo זרה dicamus breviter. Nempe quod notio *expandendi*, quae hoc loco illi plerumque tribuitur, praeeuntibus antiquiſſimis interpretibus Alexandrino, Chaldaeo, Syroque, neque ex etymologia

probari poteſt, neque ex loquendi uſu, putat Hvntivs, formulam מזורה הרשת vertendam potius eſſe ſic, *conſpergitur granis rete*, quod arabicum ذرا, reſpondens verbo hebraico, teſte Schindlero in lexico Pentaglotto, de ſparſione praeſertim egranorum uſurpetur. At vero quanquam certiſſimum eſt, illud ذرا cum verbo noſtro conferri rectiſſime; nihil tamen facere illud poteſt ad probandam novam illam, ab Hvntio propoſitam, verſionem. Nam *ſpargendi* quidem notionem habet verbum arabicum, *conſpergendi* vero nequaquam: et de conſperſione retis ſi ſermo foret, dicendum omnino fuerat ſic, חִנָּם יְזָרֶה עַל־הָרָשֶׁת, coll. Job. XVIII, 15. Malumus itaque exiſtimare, rete *ſparſum* disjectumque poëtice hic dici pro reti expanſo, quam ſignificationem verbo tribuere talem, quae juſtis argumentis demonſtrari nequeat.

§. II.

Cap. XXIV, 27. Rejecta hujus commatis interpunctione ac verſione recepta, tanquam dura atque inconcinna, novam eamque, ut putat, faciliorem proponit Hvntivs hoc modo:

inſtrue foris negotium tuum,
et para illud in agro:
i poſtea, et aedifica domum tuam.

Sed tantum abeſt, ut vulgatam illam verborum diviſionem duri quid habere exiſtimemus, ut potius indoli linguae hebraicae longe convenientior nobis videatur nova hac Huntiana, adeoque firmiter tenenda. Modo notandum, vocem אחר, quae perinde ac reliquae particulae ſeparatae fere omnes origine et proprietate ſua nomen eſt, ſignificans tempus ſubſequens,

quens, poſitum hic eſſe in nominativo abſoluto, cui particula Vau recte ſubjungitur (vid. 2 Sam. IV, 10. Jerem. VI, 19. 1 Sam. XXV, 27. Exod. XII, 15. 19.), adeoque latine exponi debere hoc fere modo: *quod attinet tempus ſubſequens; aedifices etc.* i. e. poſtmodum aedificare poteris et amplificare domum tuam. Altera vero ſententia hoc habet incommodi, quod formula לְךָ אַחַר וּבָנִיתָ contraria eſſe videatur conſtanti ſermonis hebraici conſuetudini, quae in talibus locis, quibus primum hoc, deinde illud agendum praecipitur, vocem אחר in ipſo ſtatim initio ſententiae poſitam eſſe vult, veluti Genes. XXIV, 55. Numer. XXXI, 2. Levit. XIV, 8. 19 etc. — Senſum tandem loci quod attinet; probamus eorum ſententiam, qui putant, commendari hic agriculturam ac rem pecuariam ſtrenue exercendam, unde juſtae prius facultates comparari debeant, quam ſit de domus exaedificatione ſumtuoſa cogitandum.

§. III.

Cap. XXV, 13. Formulam צנת שלג, in qua declaranda admodum variant interpretes, ita exponit Hvntivs, ut dicat eſſe vas nive repletum: utiturque ad probandam ſuam ſententiam hoc triplici argumento, 1) quod צִנְצֶנֶת Exod. XVI, 33. ſit urna ad Mannam aſſervandam uſurpata, 2) quod arabicum nomen صنن denotet fiſcellam plicatilem, itemque nomen arab. صنّة Hagg. II, 16. reſpondent graecae voci κυψελη, et aliud, صنان, Exod. XXVII, 3. cap. XXXVIII, 3 poſitum ſit pro hebraico סִירוֹת, 3) quod verbum cognatum צָפַן in lingua arab. habeat notionem recondendi. Sed videntur huic argumentationi quaedam ineſſe, quae non plane probari poſſint. Nam primo illud צנן trahendum huc non erat,

 cum

cum vas nivi ſervandae aptum nimis diverſum ſit à fiſcella plicatili: deinde verbum צנן nihil facere poteſt ad declarandam vocem, quae ex radice צנן ſuam trahit originem, quapropter illorum etiam ſententiae parum tribuimus, qui hoc ipſo, at nimis lubrico, fundamento nixi, phraſin צנת שלג vertunt, *aſſervatio nivis*, h. e. nix aſſervata. Tutiſſimum autem videtur, Vulgatum hic ſequi, quem Lvtherus etiam feliciter hic ſecutus eſt, Chaldaicumque interpretem, qui uterque vocabulo צִנָּה *frigoris* ſignificationem tribuit. Nec erat cur hoc rejiceret Hvntius ea ſola de cauſa, quod nullo in loco iſtam vocis ſignificationem deprehenderit. Sufficit enim, Chaldaeorum צִנְתָא hoc ipſo ſenſu uſurpari Job. VI, 16 et in Targum Hieroſolymitano Gen. VIII, 22, atque etiam in Samaritana verſione idem vocabulum poſitum eſſe ad exprimendum hebr. קֶרַח Genes. XXXI, 40. Adeoque ſenſus loci hic eſt: *quemadmodum potus nive refrigeratus hominem aeſtivo calore feſſum reficit, ſic legatus fidelis recreat atque oblectat eum, à quo cum mandatis miſſus eſt.* Nimirum quod apud recentiores Libani accolas uſitatum eſſe commemorant teſtes fide digni complures, adhiberi nivem ex Libano deſumtam ad potum tempore aeſtivo refrigerandum, idem antiquiſſimis etiam temporibus in iſtis regionibus in uſu fuiſſe admodum eſt credibile. Extat in *Geſtis Dei per Francos*, *Hannov.* 1611, pag. 1098, locus inſignis, atque dignus qui cognoſcatur. „Nives niſi circa montes altitudine nimia praeminentes, cujusmodi eſt Libanus, in terra rariſſime reperiuntur. In toto autem aeſtivo tempore, et maxime in diebus canicularibus ferventiſſimis, et in menſe Auguſti, nix frigidiſſima a monte Libano per duas vel plures dietas defertur, ut vino commixta, tanquam glaciem ipſum frigidum reddat. Conſervantur autem praedictae nives ſub palea, ne fervore

vore ſolis ſeu calore aëris, diſſolvantur.„ Producitur hic locus in libro cui titulus eſt, *Obſervations on divers Paſſages of Scripture* etc. (by THOMAS HARMER), et quidem pag. 393 vol. I. editionis novae, quae hoc ipſo anno prodiit Londini 2 voll. 8°, eſtque priore, quam in vernaculam linguam tranſtulit b. Jo. ERN. FABER, ſub titulo, *Beobachtungen über den Orient aus Reiſebeſchreibungen* 1772, multo auctior. Addatur teſtimonium LEONH. RAVWOLFII in *Reisbeſchreibung*, pag. 282 edit. an. 1582. 4. „Das Gebürge Libanus iſt ſehr hoch — zudem ſo findet man auch den ganzen Sommer durch Schnee, ſo von dem Berg herab gebracht wird, in ihren Batzaren oder Kauffhäuſern zu verkauffen, um ihre Getränk, ſonderlich in Hundstägen, darmit zu kühlen, welchen ſie knollenweis darein werfen.„

§. IV.

Cap. XXVI, 23. Quamquam variae proſtant loci non admodum obſcuri expoſitiones; nos tamen, miſſis reliquis, eam tantum examinabimus, quam propoſuit b. HVNTIVS. Sunt vero tria potiſſimum, quae hic obſervanda veniunt, primo, quod שפתים דלקים aſſerit eſſe *labia flagrantia amore dictorumque blanditiis*, deinde, quod duce ABENESRA כסף סיגים exponit, *argentum bene purgatum ſcoriisque vacuum*, tandem, quod ex auctoritate verſionis Chald, Syrae et vulgatae poſteriori hemiſtichio addendam vult particulam comparativam כֵּן, unde demum haec verſio oritur,

puriſſimum argentum, obductum vaſi teſtaceo;
ſic ſunt labia ardentia, et cor malignum.

Et noſtra quidem ſententia illud magnopere laudandum, quod labia intelligit *amoris* ardore flagrantia,

 ſecus

ſecus ac aliorum fert opinio, qui, cum animadverterint, verbum דלק in locis aliis omnibus inimico ſenſu uſurpari, hic quoque de labiis odio ac inimicitia ardentibus ſermonem eſſe contendunt. Quapropter Schvltensivs, ut hancce difficultatem removeret, in comment. ad h. l. ex uſu linguae arabicae, in qua verbum ذلق de lingua dictum, linguae volubilitatem atque promtitudinem deſcribit, probare inſtituit, שפתים דלקים labia eſſe promta et expedita ad declarandam benevolentiam. Sed hoc ipſum haud ſatis firmum nobis videtur, ut conſiſtere in eo poſſimus. Nam primo illud facile intelligitur, linguam, cum volubilis atque expedita dicitur, non ſimul deſcribi tanquam blanditiis ac amore flagrantem: deinde verbum ذلق univerſim eſt *acuere*, et quando de lingua uſurpatur, proprie denotat talem, quae non obtuſa ſit atque hebes, ſed acuminata et mobilis, id vero eſt, diſerta atque ad dicendum expedita: *acuminis* autem notio, quamquam de lingua recte uſurpari poteſt, ad *labia* tamen commode transferri nequit, nec erit facile quisquam qui, hominem diſertum praedicaturus, *acuminatis* eum *labiis* praeditum eſſe dixerit. Quae cum ita ſe habeant; rectius quidem abſtinendum putamus iſta Schultenſiana probatione, ſed ipſum tamen, quem ſupra laudavimus, formulae דלקים שפתים ſenſum, ut verum ac legitimum defendimus. Etſi enim ex uſu loquendi demonſtrari nequeat; ipſius tamen loci, de quo agitur, natura et ſcopus eundem neceſſario, ut nobis quidem videtur, exigit atque poſtulat. Etenim ut cor malignum cum teſta comparatur tanquam re vili, cui pretii nihil ineſt: ita labia, דלקים dicta, cum argento: quod ſi genuinum ſit et purum, magni profecto pretii eſt, ſin minus, pretii tamen ſpeciem aliquam habet. Huic itaque imagini niſi venuſtatem atque veritatem plane omnem adimere velis; ſtatuas opor-

oportet, de ejusmodi labiis ſermonem hic eſſe, quae amicitiae ſaltem ſpeciem aliquam prae ſe ferant. Eſtque hoc adeo clarum et evidens, ut qui vocem דלקים de labiis odio ac inimicitiis flagrantibus exponunt, neceſſe habeant confugere ad hypallagen, quo argentum *ſcorioſum* convertitur in *meras ſcorias.* Sed iſta hypallage nobis aeque precaria videtur ac Abenesrae illa interpretatio, Huntio etiam, quod miramur, probata, qua כסף סיגים ſumitur pro argento diligentiſſime purgato: quod non modo regulis grammaticis repugnat, ſed ipſius etiam ſententiae pulchritudinem perquam minuit ac fere deſtruit. Ecquid enim veri pretii ineſt ſermonibus adulatoriis atque ad fucum faciendum compoſitis, ut cum argento ſtudioſe purgato, ſi vel in tenuiſſimam laminam diductum ſit, comparari mereantur? Emendationem denique textus propoſitam quod attinet; haud tanta nobis hoc in loco videtur veterum interpretum auctoritas, ut particulam illam כן obtrudamus contextui, qui illa egregie carere poteſt. Non enim hic eſt oratio, ex duobus membris, quibus ad conjunctionem particula opus ſit, compoſita, ſed eſt propoſitio ſimplex, una, quae more Hebraeis haud inconſueto praedicatum tanquam id, in quo major emphaſis poſita eſt, ſubjecto ſuo habet praemiſſum, et latine ſic verti debet, *argentum ſpurium teſtae obductum eſt os blandiloquum cum animi malevolentia conjunctum.* Egregia omnino ſententia, in qua rerum inter ſe comparatarum exactiſſima eſt ſimilitudo. Prouti enim teſta argento ſpurio obducta magnam quidem pretii ſpeciem habere videtur, at propius ac intus examinata ſi fuerit, parvi aeſtimatur: ſic verborum blanditiae, ſi ſint cum malevolentia animi conjunctae, praeter fucum ac fraudem habent — nihil.

§. V.

Cap. XXVIII, 16. In vulgata hujus loci interpretatione hoc vel maxime deſiderans Huntius, quod membrorum inter ſe contrapoſitio non ſit clara atque perſpicua, novam eamque duplicem proponit ejusdem expoſitionem, alteram hanc, ut, voce מעשקות paſſivo ſenſu ſumta, vertatur,

princeps deſtitutus prudentiâ multis obnoxius eſt oppreſſionibus,
ſed avaritiam qui odit, prolongabit dies ſuos

alteram, qua *prolongare dies* idem ſit ac, multa patientia uti,

hoc ſenſu:

princeps deſtitutus prudentia multus eſt in oppreſſionibus,
ſed avaritiam qui odit, dies aliquot exſpectabit.

Enimvero, ut de eo nihil dicamus, utrique expoſitioni ineſſe aliquid incertum atque arbitrarium, ac praecipue formulam, יאריך ימים, ſenſum, qui ipſi tribuitur, admittere non poſſe; evidens eſt, ne ſic quidem effectum eſſe, ut juſta atque diſtincta appareat inter duo hemiſtichia antitheſis. Neque effici id ullo modo probabili poterit, niſi obſervetur, utrumque orationis membrum ellipticum eſſe atque ex altero ſupplendum, id quod in ejusmodi ſententiis, quarum character praecipuus in brevitate poſitus eſt, ſaepiſſime accidit. Veluti quum cap. X, 8 dicitur, ſapiens corde recipit praecepta, at ſtultus labiis corruit; facile adparet, neque ſubjecta orationis neque praedicata perfecte ſibi invicem eſſe oppoſita. At utrumque membrum communicat alteri quicquam de ſuo, ac viciſſim

ſim accipit ab altero, quod ipſi deeſt, ut plena oratio haec ſit: qui ſapiens eſt corde *et labiis*, admittit praecepta *atque a lapſu immunis manet*, at qui ſtultus eſt *corde et* labiis, *praecepta recuſat admittere et* corruit. Similiter ejusd. cap. v. 13 ſenſus hoc modo eſt conſtituendus: homo intelligens ſapienter loquitur, *adeoque cum neminem dictis offendit, amatur ac honoratur*, imprudens contra, *imprudenter dictis alios ſaepe laedens*, odia hominum patitur et verbera. Itaque hunc etiam, de quo nunc agimus, locum hac ratione declarandum putamus: Principem quod attinet, qui caret prudentia; pronus eſt ad injuriam aliis faciendam, *adeoque, dum multorum in ſe odia concitat, moleſtam ſibi reddit vitam atque incertam:* quaeſtum contra injuſtum quicunque odit, *is prudenter agit*, vitamque ducet tranquillam et longaevam.

§. VI.

Cap. XXIX, 5. Ellipſis, quae in vulgata hujus loci expoſitione ſtatuitur, ut evitetur, ſuadet Huntius, conjungere vocem רשת cum participio מחליק, huicque ſignificationem tribuere eam, quae conjuncta eſſe ſolet cum hoc verbo in lingua arabica, qua حلق eſt ambire, cingere; خلق autem parare et formare; ut jam ſenſus ſermonis hic prodeat: *qui parat rete alteri, objicit illud ſuis ipſius greſſibus*, h. e. alteri qui nocere ſtudet, ſibi ipſi nocet. Sed malumus nos perſiſtere in vulgari illa interpretatione. Nam primo quod ellipſin attinet vocis לְשׁוֹנוֹ vel אֲמָרָיו, quae ſolet alias conjuncta eſſe cum verbo החליק, velut Pſalm V, 10. Prov. II, 16 et XXVIII, 23; eo minus illa reformidanda eſt, quod eadem recurrit in altero loco, Pſalm. XXXVI, 3, adeoque pro ficta aut arbitraria, quales ſunt aliae multae, haberi haud facile poteſt.

Deinde

Deinde ſi רשת conſtruendum ſit cum verbo מחליק, tunc a פורש vix abeſſe poſſe videtur pronomen אותה, ſuppletum quoque ab Alexandrino interprete, qui ſic verba reddit, *ὅς παρασκευαζεται επι προσωπον τȣ ἑαυτȣ Φιλȣ δικτυον, περιβαλλει αυτο τοις ἑαυτȣ ποσιν.* Denique, ſi noſtro quidem ſenſui tribuere quicquam liceat, ſententia haec, *alteri qui blanditur, rete ponit ad illum capiendum*, concinnior videtur atque elegantior altera illa, qua is, qui alteri nocere ſtudet, ſibi ipſi nocere dicitur.

§. VII.

Cap. XXX, 27. In definienda ſignificatione vocabuli חֹצֵץ mire diſcrepant interpretes. Et Schultensius quidem in Animadvers. ad varia loca Vet. Teſt. quae an. 1709. primum prodiere, praeeunte Bocharto Hieroz. P. II. lib. 4.cap. 2, in ſubſidium vocans arabicam notionem verbi حَصَّ, quod in conjugatione 3 et 6 eſt *portiones partiri*, ſic declarandam eſſe formulam ויצא חצץ כלו exiſtimat, *exeunt et unaquaeque ſpolium diſtribuit ſibique propriam ſortem aſſignat:* eandemque interpretationem in Commentario quoque ſuo ad Proverbia, anno demum 1748 in lucem emiſſo, probat atque repetit, quamquam alias ſaepiſſime recedit à laboribus ſuis, ut ipſe vocat, juvenilibus. Neque tamen magni hujus ac de litteratura orientali immortaliter meriti viri auctoritas movere nos poteſt, ut in iſta ſententia acquieſcendum putemus. Nam ut de eo non dicamus, parum apte dici locuſtas egredi *ſortientes praedam*, utpote quae non ſtatim ſub egreſſum diſpertitur; evidens omnino eſt, talem aliquam rem laudari tanquam admiratione dignam in locuſtis, quae alioquin in nulla multitudine niſi per imperatoris, cui omnia ſubſint, ſummam auctorita-

ctoritatem effici atque obtineri poſſit. Jam vero praedae diviſio non eſt ex earum rerum genere, quae perfici absque imperatore nullo modo poſſint. Aequabilis ac juſta ſi quidem eſſe debeat praedae inter multos diſtributio; tunc omnino opus eſt, ut adſit, qui rem univerſam moderari ſua auctoritate, atque omnes ac ſingulos continere in officio poſſit. De iſta vero diſtributionis *aequabilitate* cum nihil ſit in orationis contextu dictum, quod tamen ad ſenſum conſtituendum videtur plane neceſſarium; ſequitur aliam eamque aptiorem exquirendam eſſe verbi חצץ ſignificationem. Huntius itaque, Schultensianam caeterum interpretationem haud improbans, conjecturae in modum, ut ipſe modeſtiſſime ait, notionem verbi arabici حضّ, quae in *inſtigando*, *incitando* poſita eſt, commendat, putatque verſiculum commode ſic transferri poſſe:

> *Locuſtae regem non habent,*
>
> *At egrediuntur tamen in aciem, ad bellicum univerſi ſui exercitus.*

Sed hic iterum variae difficultates obverſari videntur. Etenim primo haud admodum clarum eſt, quomodo locuſtae, quae ipſae exercitum conſtituunt, dici poſſint egredi ad totius *ſui* exercitus impulſum. Deinde etiam hoc non bene intelligitur, quod, poſita ſignificatione *excitandi*, formula חֹצֵץ כֻּלּוֹ verti queat, *ad motum* omnium, cum vocabulum חֹצֵץ neque nominis formam habeat neque particulam ſibi praefixam. Et quamquam haec quidem difficultas evitari facillime potuerat ſubſtituendo in locum formae receptae participio paſſivo חָצוּץ ſ. חָצֵץ; illud tamen praecipue obſtat univerſae huic interpretationi, quod arabicum verbum حضّ hac in quaeſtione locum habere nequit.

Dicitur

Dicitur enim, monente Golio, pro verbo arabico حث, quod ipſum cum reſpondeat hebraico חוּשׁ, illud quoque eidem, non autem verbo חצץ, reſpondere cenſendum eſt. Noſtram itaque ſententiam ſi dicere nobis liceat, putamus nos eam verbi arabici חצץ ſignificationem hic eſſe uſurpandam, quae eſt in *feſtinando* poſita, et locum ipſum ſic vertendum:

Locuſtae regem quidem non habent, ſed egrediuntur tamen feſtinanter omnes.

Atque hac demum ratione ſenſus obtineri videtur, qui ſit menti ac conſilio auctoris hujus ſententiae accommodatiſſimus. Poteſt enim profecto hoc tanquam ſingulare quid et admiratione dignum commemorari de locuſtis, quod immenſae multitudinis agmen, utut nemini ſubſit, cujus imperio atque auctoritate regatur, ſponte tamen ita coaleſcit atque cohaeret, ut quando procedendum ſit in aciem, omnino *omnes*, nulla vel reniteme vel cunctante, promtiſſimas ſeſe exhibeant paratiſſimasque. Digna eſt, quae cum hac Aguri ſententia conferatur de locuſtis narratio, quam dedit Thomas Shaw *in Reiſen, oder Anmerkungen, verſchiedene Theile der Barbarey und der Levante betreffend*, pag. 165 ſq.

§. VIII.

Sed ne videamur illis tantum oblectari, quae habent, quod emendari vel reprehendi poſſit, age ejusmodi quoque interpretationem adducamus, quae noſtro quidem judicio non modo ingenioſa eſt, ſed vera etiam ac prorſus laudabilis. Illam intelligimus, quae verſatur circa locum difficilem atque obſcurum cap. XXIX, 21. Haerent hic interpretes in vocabulo dubio מָנוֹן, ſed conſentiunt tamen fere omnes, *filii* ſigni-

ſignificationem recte illi tribui poſſe, ob formulam יִנּוֹן שְׁמוֹ, Pſalm. LXXII, 17, quae verti ſolet, nomen ejus *ſoboleſcet*, ſeu, per filios propagabitur. Communis itaque loci noſtri expoſitio haec fere eſſe ſolet: *Si quis delicate habet inde a pueritia ſervum ſuum*; *in poſtremo ſuo* ſervus ille *erit* quaſi *filius*, h. e filii potius quam ſervi conditionem habere apud herum ſuum cupiet Sed qui diligentius eam examinaverit, haud quicquam firmum et ſtabile in ea deprehendet. Primo enim quo jure illud, *filius erit*, eo trahatur, ut idem ſit ac, filii conditionem affectabit, non perſpicitur. Deinde nihil incertius eſſe poteſt illa ipſa ſignificatione *filii*, cum verbi יִנּוֹן, quo illa unice nititur, et origo obſcura ſit, et lectio ipſa plane incerta. Veteres certe interpretes ſi audias, nullus eſt, qui ſuo eam teſtimonio confirmet: nam Syrus eam prorſus negligit; Chaldaeus habet מזמן, hebraice נָכוֹן; et Alexandrinus cum Vulgato, quorum ille habet *διαμενει*, hic, *permanet*, haud obſcure innuit lectionem יִכּוֹן, ex qua ינון aut ינין leviſſima permutatione litterarum ſimillimarum fieri potuit. Denique verſio illa univerſa nimis arbitraria eſt, et longiſſime recedit ab ordine verborum contextus hebraici. Eſt vero hic מפנק nominativus abſolute poſitus, cui particula Vau ſubjungitur (conf. §. II.), adeoque ſecundum regulas grammaticas verſio commatis erat inſtituenda haec, *cum quod attinet, qui inde a juventute delicate habet ſervum ſuum, is poſtea erit filius:* quod quam ſit abſonum et ſenſu omni vacuum, quilibet, nobis etiam non monentibus, facillime intelligit. — Jam contra videbimus, quamnam rationem in hoc dicto exponendo ſecutus ſit doctiſſ. Huntius. Et primo quidem obſervat, ſuffixum nominis עבדו ortum videri ex errore librarii, decepti fortaſſe vicinitate ejusdem litterae proxime inſequentis, adeoque tanquam ſpurium e loco

loco ſuo eſſe eliminandum. Neque vana eſt haec conjectura, ſed graviſſimis nixa auctoritatibus. Nam praeter ſolum Vulgatum, qui locum hunc liberrima ratione ſic vertit, *qui delicate a pueritia nutrit ſervum, poſtea ſentiet eum eſſe contumacem*, nullus veterum interpretum illud ſuffixum habuiſſe in ſuo codice videtur, Alexandrinus enim vertit, *ος κατασπαταλα εκ παιδος, οικετης εςαι*, et Chaldaeus Syrusque ſimiliter, qui deliciis indulget a pueritia ſua, *ſervus erit*: unde admodum credibile ſit, lectionem veram et genuinam eſſe, non עבדו, ſed עֶבֶד, qua poſita et verbum יהיה ex ſequenti hemiſtichio ſupplendum et pro מְפַנֵּק ſubſtituendum eſt partic. paſſ. מְפֻנָּק. Deinde מנון derivat a rad. אנן *gemuit*, *doluit*, cujus prima radicalis eo probabilius dici poteſt excidiſſe, quo plura extant ejusmodi exempla alia, veluti מַכֹּלֶת 1 Reg. V, 11 (25), מַלְּפֵנוּ Job. XXXV, 11, מָסֹרֶת Ezech. XX, 37 caet. qua in re, quamquam auctoritatibus non eſt opus, conſentientem habet Syrum interpretem, qui vertit, *et in noviſſimo ſuo ſuſpirabit*, ac forte etiam Alexandrinum, qui ſic habet, *εσχατον δε οδυνηθησεται εφ᾽ ἑαυτω*. Senſus itaque ſententiae, isque eo, qui alias plerumque ſtatuitur, haud parum aptior atque elegantior hic eſt: *qui inde a pueritia molliter nimis ac delicate habetur, ſervus erit, et adultam aetatem habebit miſeram ac deplorabilem.* — Sed haec ſufficiant de interpretationibus HUNTIANIS.

§. IX.

Supereſt ut alia quaedam loca tractemus breviter. Et primo quidem dicemus de capitis XII verſu 21. Prius hemiſtichium ſic vertit Alexandrinus, *ουκ αρεσει τω δικαιω ουδεν αδικον*, Chaldaeus pariter Syrusque habet, *non pulchrum eſt juſto quicquam iniquitatis.*

Varie-

Varietatem hanc commemorans in notis ſuis uberioribus ad Proverbia CHRIST. BENED. MICHAELIS fatetur, incertum eſſe, quo fundamento nitatur haec veterum interpretum ab hebraico ſermone diſceſſio. At nos videmur nobis ejus rei cauſam non improbabilem in eo deprehendiſſe, quod veteres illi habuerint lectionem יְאַוֶּה, a noſtra יְאֻנֶּה *obveniet*, litterarum figuram ſi ſpectes, nonniſi leviſſime diſſidentem. Hac enim poſita, cum verbum אִוָּה denotet *expetere*, *deſiderare*, ſermonis hebraici ſenſus planiſſime hic prodit, *non deſideratur juſto quicquam iniqui*, qui ab eo, quem a veteribus expreſſum videmus, nullo modo diſcrepat: Arabs certe Proverbiorum interpres, qui ſuam verſionem confecit ex Alexandrina, graecam illam formulam *ουκ αρεσει* ita reddidit, ut ipſius verſio, *non cupit juſtus iniquitatem*, hebraicae locutioni ſit quam ſimillima. Jam de pretio lectionis ſi judicandum ſit, non multum nos haeſitamus, eam, quae veterum teſtimoniis confirmatur, anteponere vulgatae, utpote quae ita comparata videtur, ut ſenſum commodum ac certum admittere vix poſſit. Sunt quidem, qui vertunt, *juſto non obveniet ulla moleſtia.* Sed praeterquam quod parum caute Salomoni tribuitur tale effatum, quod innumeris ex quavis aetate virorum optimorum iniqua plurima perpeſſorum exemplis refellitur, obſtat quoque illud, quod, monente ad h. l. MICHAELIS, vox אָוֶן quae novies in hoc libro occurrit, nusquam niſi *iniquitatis* vel *poenae* cum ea conjunctae ſignificationem habet. Hanc vero ſi cum eodem tenendam, locumque ſic accipiendum eſſe dixeris, ut ſenſus ſit, *a juſto non perpetratur iniquitas*; verendum eſt, ne jure hoc reprehendatur tanquam incertum nimis ac prorſus arbitrarium. Neque SCHVLTENSII nova interpretatio admodum probabilis nobis videtur. Putat nimirum, rem intricatiſſimam,

ut ipſe dicit, ſic demum facillime expediri poſſe, ſi ſumta verbi אנה ſignificatione arabica, locus hac ratione vertatur, *non matureſcet juſto ulla omnino moleſtia*, quod, cum per ſe non ſit valde perſpicuum, ulterius declarat his verbis: „dubium nemini relictum, quin Salomonis genuina mens ſit, *non matureſcere ſinetur juſto ulla moleſtia*, non permittet juſtorum vindex, *ut ad ſummum gradum et fervorem maturitatis perveniat*: ſi און pro *crimine* et *iniquitate*, quis vellet, ne ſic quidem abhorrens foret, *non matureſcere ſinetur juſto ulla iniquitas*, enimvero *tanget juſtum*, ſed *maturitatem non attinget*; nec *mortis* eum *laqueis* denuo implicabit„ Sed noſtro quidem judicio nimis longe quaeſita eſt ſingularis illa, quam in notione *matureſcendi* deprehendiſſe ſibi viſus eſt vir doctiſſimus, emphaſis, huicque ſententiae eo minus conveniens, quod ex univerſo illius habitu et forma ſatis adparet, nihil hic ingenioſi vel aenigmatici ſubeſſe verbis planiſſimis. Contra vero altera lectio, יְאַוֶּה, qua poſita hic ſenſus prodit, *viro probo nihil deſiderabile eſt, quod non ſit juſtum, improbi contra inhiant iniquitatibus, iisque ſemet quaſi exſatiant ingurgitantque*, magnam omnino in ſe habet ſui commendationem. Nam primo ſenſum dat facilem, perſpicuum, egregium, in quo membrorum perfecta oppoſitio perſpicitur. Deinde cum vocabulum יְאַוֶּה ſit ex genere eorum, quae habent aliquid inſolentius atque exquiſitius, et tamen tribus interpretibus diverſis communiter uſurpetur; profecto parum credibile eſt, illud vel ex errore, vel ex pruritu emendandi ſuam habere originem.

§. X.

Cap. XVIII, 1. In ſenſu hujus loci, quem haud mediocriter obſcurum videri ipſa ſententiarum de

de eo mira diverſitas arguit, inveſtigando ante omnia diſpiciendum eſt de *ſubjecto* orationis, quod voce נִפְרָד deſcribitur. Schultensius, poſtquam in Animadvers. ſuis philolog. ſtatuerat, נִפְרָד eſſe hominem *ſolitarium*, digreſſum ab hominum profanorum conſortio, coll. arab. فرز quod in II conjug. ſignificat, *ſegregavit ſe a ceteris*, peculiariter *religionis ergo*, in Commentario deinde ſuo Coccejı ſententiam ſecutus, hominem intelligit ἰδιογνώμονα, ſuis unice opinionibus delectatum. Ven. contra Tellerus, in Auctario ad commentarii Schultensiani editionem Halenſem, talem innui putat; qui ſit perditus atque *diſſolutus*, voluptatibusque omnibus deditus. Sed cum nihil horum ex loquendi uſu probari poſſit; malumus nos cum Alexandr. Ar. et Vulgato eum intelligere, *qui vult recedere ab amico*, i. e. qui nuncium amico vult mittere. Nam hoc ipſo ſenſu verbum יִפָּרֵד uſurpari evidens eſt ex cap. XIX, 4: et *participium* recte poteſt ad futurum tempus referri, ut הַיֹּשֵׁב *ſeſſurus* Exod. XI, 12. מֵת *moriturus*, Jerem. XXVIII, 16. עַם נוֹלָד populus *naſcendus* Pſ. XXII, 32. Jam quod attinet ad *praedicatum*, לְתַאֲוָה יְבַקֵּשׁ; facile intelligitur, neque cum Schultensio verti illud poſſe, *pro libidine quaeſtiones agitat*, neque cum ven. Tellero, *inhiat voluptatibus*: neutrum enim ita comparatum videtur, ut poſſit cum ſubjecto ſuo probabili quadam ratione conjungi. Nec illud admodum placet, quod habet b. Chr. Ben. Michaelis, praeſtantiſſimus caeteroquin Proverbiorum enarrator, qui putat, formulam, *cupidinem* vel *cupidini quaerit*, idem eſſe ac, ea tantum ſequitur, quae moroſo ac ſtulto placeant ingenio. At contra Alexandrinum interpretem ſi audias; plana omnia habebis ac mire perſpicua. Vertit nimirum prius hemiſtichion hac ratione, προφασεις ζητει ανηρ βουλομενος χωριζεσθαι απο φιλων, ex quo adparet, uſum

eum fuiſſe vocabulo תַּאֲנָה, qua in re, praeter Arabem, Vulgatum etiam habet ſecum conſentientem, qui ſimiliter ita: *occaſiones quaerit, qui vult recedere ab amico.* Et profecto negari nequit, hanc ipſam lectionem pluribus de cauſis videri quam maxime deſiderabilem. Nam nonniſi leviſſime diſcrepat à lectione recepta, ut haec ex illa derivari facillima mutatione potuerit, et ſenſum dat egregium atque perſpicuum, et firmatur praeterea ipſo loquendi uſu, coll. loco Jud. XIV, 4, in quo formula בקש תאנה cernitur. Neque tamen nos eandem praeferendam ac pro vera et genuina habendam facile dixerimus. Nam in altera illa, תאוה, praeter Chaldaeum Syrumqae interpretem conſentiunt quoque Aquila et Symmachus, qui uterque habet εις επιθυμιαν, et Alexandrinae contra verſionis auctoritas nihil omnino praeſidii accipere poteſt ex conſenſu Arabicae Vulgataeque, cum maniſeſtiſſimum eſſe debeat, hanc non minus ac illam, hoc certe in loco, ex ipſa verſione graeca, non vero ex hebraico contextu, fuiſſe confectam. Sed quanquam lectionem תאנה, utpote minus confirmatam teſtium auctoritatibus, defendi non poſſe concedimus; egregie tamen eadem uti nos poſſe nobis videmur ad ſenſum loci verum inveniendum. Nempe vocem תאוה jam non accipimus de cupiditatibus quibuscunque, ſed definite de illo *deſiderio*, quod habet qui rumpere amicitiam vel ſocietatem cum alio contractam cupit, et quod in hoc ipſo poſitum eſt, ut abdicandi ſemet ſubtrahendique opportunitatem aliquam nanciſcatur. Ad ſyntaxin vero quod attinet; extat locus ſimillimus Jobi X, 6, ubi pariter בִּקֵּשׁ conſtruitur cum ל praefixo, et objectum, quod quaeritur, reticetur; qui locus cum, noſtra quidem ſententia, reddi alio modo quam hoc nequeat, *quod exquiris* ALIQVID *quod mihi tanquam crimen imputare poſſis*; noſtrum quoque

pari

pari ratione vertendum exiſtimamus, *qui deſiderat rumpere ſocietatem quaerit* ALIQVID *pro hoc ſuo deſiderio*, ſeu, aliquid quod hoc deſiderium juvare poſſit. Hoc vero quid quaeſo aliud eſt, quam illud ipſum quod, breviore modo atque ad intelligendum faciliore formula, expreſſit Alexandrinus: ut adeo jure dubitari poſſit, an revera lectione is uſus fuerit tali, quae a recepta illa ſit diverſa. — De *altero* hemiſtichio non attinet multa dicere. Rectiſſime enim docuit SCHVLTENSIVS in Origin. hebr. pag. 337 coll. pag. 348, verbum התגלע, Proverbiorum libro privum, non ut multis antea viſum fuit, declarandum eſſe ex cognato גלל, ſed ex uſu potius linguae arabicae, in qua جلع, quando de ore uſurpatur, tale *os* denotat, *cujus labia reſtricta ſunt et dentes apparent*, quod vel *ridendo* fit, vel etiam *rixando*. Et priorem quidem, *ridendi*, notionem Syrus interpres adhibuit tum hoc loco, tum altero cap. XX, 3: poſteriorem vero, docente SCHVLTENSIO loc. cit. pag. 339, tribus in locis Chaldaeus, cui nos quoque accedimus, quamquam et prius illud locum habere hic commodiſſime poteſt.

§. XI.

Cap. XV, 20. In ſingulis vocibus nulla hic difficultas: ſed de lectione tamen breviter aliquid monendum. Cel. KENNICOTTVS, in diſſ. II ſuper ratione textus hebr. V. T. impreſſi, pag. 188 edit. Oxon. vulgatae lectioni, כְּסִיל אָדָם, eam quam non Alexandr. modo, ſed Chald. etiam Syrusque interpres refert, quamque ipſe in codice aliquo Cantabrig. deprehendit, בֵּן כְּסִיל, praeferendam eſſe ſtatuit, eam praecipue, niſi nos omnia fallunt, ob cauſam, quod haec videatur ad membrorum inter ſe contrapoſitionem neceſſaria. Enimvero, quod pace viri doctiſſimi

dictum ſit, parum nos huic criſi tribuendum eſſe exiſtimamus. Nam recepta lectio aptiſſima eſt ad antitheſin membrorum efficiendam, ſi recte illa convenienterque regulis grammaticis intelligatur. Scilicet בחה אמר orationis *ſubjectum* eſt, ad quod בן non minus pertinet quam ad חכם, in formula autem כסיל אדם, qua *praedicatum* continetur, periphraſis eſt ſuperlativi, velut in חדל אישים Es. LIII, 3 et בזוי עם Pſ. XXII, 7. deberque ſenſus loci nonniſi hac ratione exponi: *filius ſapiens laetificat patrem, at* filius *ſpernens matrem ſtultiſſimus eſt.* Praeterea, ſi ambae lectiones inter ſe comparentur, probabiliter oſtendi vix poteſt, qui factum ſit, ut lectio בן כסיל, utpote ad intelligendum faciliima, degenerarit in alteram, כסיל אדם, paullo difficilorem: hac vero poſita mirum videri non poteſt ad illam deflexiſſe interpretes librarioſque, vel quod neceſſariam eam putaverint ad oppoſitionem, vel quod ſimilem locum cap. X, 1 habuerint in animo ſibi obverſantem. Eſt autem certiſſima atque ad recte judicandum de variis lectionibus utiliſſima obſervatio, duarum lectionum illam eſſe antiquiorem, ex qua alterius origo probabiliter poteſt demonſtrari. Conf. liber eximius, qui inſcriptus eſt: *Elemens de Critique, par M. l' Abbé Morel, à Paris* 1766. 8. pag. 25 ſq.

TANTVM.

IV.

IV.

ANIMADVERS. AD QVAEDAM LOCA PSALMORVM. FASCIC. I.

Pſ. XVI. 2. 3. 4

Eximium hunc Pſalmum, in quo Meſſiam ipſum loquentem introduci a Davide illius auctore dudum demonſtratum fuit argumentis certis atque indubiis, totum enarrare ac illuſtrare, nobis quidem animus nunc non eſt: ſed iis tribus tantummodo verſibus operam nos dabimus, quorum ſenſus videtur quam maxime dubius ac incertus, ut recentiores interpretes recedere a vulgari lectione, aliamque probabiliorem exquirere neceſſe habuerint.

Vers. 2.

אָמַרְתְּ Qui receptam lectionem tuentur, ellipticum loquendi genus eſſe perhibent pro אמרת נפשי, *dixiſti o anima mea*, h. e. ego dico, provocantque ad loca ſimilia Pſ. XLII. 6. Pſ. XLIII. 5. Jerem IV. 19. Thren. III. 24 et praecipue 2 Sam. XIII. 39 et Pſ. CXXXVII. 5. Sed recentiſſimi interpretes fere omnes, MICHAELIS, 1) LOWTHVS, 2) SCHVLZIVS, 3) TEL-

1) Critiſches Collegium über die 3 wichtigſten Pſalmen von Chriſto, den 16, 40 und 110ten. Götting. 1759.

2) Praelection. de ſ. poëſi hebr. pag. 521 edit. II. Götting. 1768.

3) Die Pſalmen Davids überſezt und mit Kommentarien erläutert. Pars I. 1772.

Tellervs, 4) quibus neſcio num accenſendus ſit b. Zachariae, 5) in eo conſentiunt, ut ſtatuant, abjiciendam eſſe iſtam lectionem, utpote nimis inconcinnam atque ab uſu linguae alienam, inque ejus locum ſubſtituendam vocem אמרתי, quae ſua ſemet facilitate ac concinnitate quam maxime commendet. Et habet quidem haec lectio auctoritates haud contemnendas. Nam veteres verſiones praeter Chaldaicam omnes eandem exprimunt, et ſunt quoque nonnulli, qui eam exhibent, codices hebraei msti. Vnum, eumque Britannicum à Livelaeo Profeſſ. Cantabrig. inſpectum, commemorat Drvsivs, 6) tres, quorum ſecundus, Cantabrigienſis, idem forte eſt cum illo Livelaeano, ven. Kennicottvs, 7) Argentinenſes duos clariſſ. Brunsius, 8) quibus ſeptimum, Regiomontanum, adjunxit clar. Schvlzivs, 9) ſed parum accurate, habet enim hic, teſte vener. Lilienthalio, 10) non אמרתי, ſed אָמַרְתְּ. Accedunt editiones antiquae tres, Soncinenſis hebr. librorum omnium an. 1488, Pſalmorum Baſileenſis an. 1516, et quam cum hac per omnia fere conſentire ex ipſo uſu cognovimus, Potkeniana, Colon. 1518. Nec tamen haec argumenta tantam nobis vim habere videntur, ut recedendum eſſe a lectione recepta putemus. Nam quod

4) Praeterita in quatuor hymnos Davideos II. XVI. CIV. CXXI. 1773.

5) Freye und erklärende Ueberſezung der Pſalmen, 1773.

6) vid. ejus Quaeſita per Epiſtolam quae extant in Criticorum Sacrorum Tom. VIII. Epiſt. 79.

7) vid. Lowth Praelect. loc. cit.

8) Benj. Kennicott Not. crit. etc. Lipſ. 1772. pag. 80.

9) in verſione ſua Pſalmorum, ad h. l.

10) Commentat. crit. de duobus codd. mstis hebr. pag. 374.

quod attinet antiquos interpretes, quanquam illi habent *dixi Domino*, exinde tamen non ſatis tuto conficitur lectionis in ipſorum codicibus diverſitas: ſed ſenſum potius expreſſiſſe videntur ejusdem, quae in vulgatis exemplis extat, locutionis, quam in ſua verſione preſſe imitari non poterant ſine ſumma obſcuritate, prouti nec LVTHERVS facere ſe poſſe putavit, quem in ſuo codice, Brixiae an. 1494, 8. edito, nonniſi conſuetam lectionem habuiſſe ex ſilentio celeb. SCHVLZII 11) jure colligimus. Librorum autem, et ſcriptorum et editorum, qui vocem אמרתי habent, auctoritas parum valet in hac cauſa, *) cum ex utriusque lectionis natura et indole haud obſcure intelligi queat, utra ſit antiquior altera et praeferenda. Eſt enim lex critica, raro fallens, è duabus lectionibus praeferendam eſſe eam, ex qua alterius origo probabiliter poſſit cognoſci. Jam vero quî factum ſit, ut dictio אמרתי degenerarit in alteram, אמרת, multo ſane duriorem et difficiliorem, vix ulla probabilis cauſa afferri poteſt: quis enim haeſiſſet in voce tam facili atque perſpicua? contra vero, hac poſita, non poterat non illa faciliime ſe offerre et quaſi obtrudere librariorum ingenio. Vnde conſequitur, praeferendam hic eſſe lectionem duriorem atque inuſitatam, cujus tamen, niſi nos omnia fallant, ſimillimum exemplum deprehenditur Pſ. CXXXVII. 5.

אֲדֹנָי אָתָּה Statuit perill. MICHAELIS, cum Alexandrino Syroque interprete pronuntiandum eſſe אֲדֹנָי, duplici de cauſa, primo quod, cum אֲדֹנָי

11) Vollſtändigere Kritik über die gewöhnlichen Ausgaben der Lehr. Bibel etc. Berl. 1766.

*) [*nec nunc quidem, poſtquam alii etiam, qui lectionem* אמרתי *referant, libri, atque inter hos quoque Brixienſis, reperti fuerint.*]

aequipolleat τῷ יְהֹוָה, fere identica ſit propoſitio, *dico Jehovae, tu es Jehova*, deinde quod perſpicuitatis cauſa dicendum potius fuerat אמרתי ליהוה. יהוה אתה. Sed liceat nobis iterum recedere ab opinatione viri ſummi. Etiamſi enim demus, majorem perſpicuitatem ineſſe locutioni יהוה אתה, quod tamen vix putaverimus; ſciendum, a Rich. Simonio 12) commemorari codicem eumque bonum Hiſpanicum, qui loco אֲדֹנָי habet vocem יְהֹוָה; quam ipſam lectionem pluribus poſtea libris confirmatum iri admodum credibile eſt, *) cum, monente ipſo Michaelis alio ejusdem libri loco, 13) demonſtratum ſit a Kennicotto 14) atque etiam Lilienthalio, 15) quam plurimis locis ſcriptos libros ſervaſſe nomen יהוה, quibus editi vocem אדני exhibeant. Identicum vero profecto non eſt, ſi dicatur: Jehovae dico, tu es Jehova: idem enim hoc valet, ac ſi dixeris, o Jehova, te Jehovam, h. e. Deum a me colendum profiteor: quapropter veterum quoque interpretum nonnulli hoc modo, et recte quidem, ſenſum expreſſerunt. Vt de eo non dicamus, supereſſe aliam verborum jungendorum rationem, qua ſumta omnis illa ſuſpicio penitus evaneſcit.

טוֹבָתִי בַּל־עָלֶיךָ Interpretamur nos haec verba ſic, *felicitas mea nihil quidquam eſt praeter te.* Eſt hic

12) Hiſtoire crit. du V. T. Rotterdam 1685. pag. 128.

*) [*Reperti ſunt nonniſi codices ſex, qui lectionem* יהוה *exhibent.*]

13) Colleg. Crit. pag. 593.

14) Diſſ. II ſuper ratione textus hebr. V. T. impreſſi pag. 3?4 edit. Oxon. an. 1753.

15) Comment. crit. pag. 28 et 96.

hic על, quod CocceJvs 16) vocat *acceſſionis* et *adjunctionis*, cujus uſus cognoſcitur ex locis ſequentibus, Gen. XXXII. 12. Exod XXXV. 22. Jud. XII. 1. c. XV. 8. Ezech. XVI. 37. Amos. III. 15 al. Quemadmodum enim de tali homine, qui praeter Jehovam alium quempiam, fictitium, Deum ex. gr. Baalem ſalutis ſuae auctorem coleret, bene hebraice dici poſſit טובתו הבעל על יהוה: ita viciſſim qui Jehovam ſolum veneratur omnisque ſuae felicitatis verum ac unicum fontem et auctorem putat, recte dicere poteſt יהוה טובתי בל עליך. Nos itaque haud neceſſe putamus ſolicitare lectionem vulgatam, inque ejus locum ſubſtituere, cum Hovbigantio, Michaelis, Zachariae, בל בלעדיך. Quae lectio, noſtro quidem judicio, multum abeſt ut tantum apud veteres interpretes praeſidium habeat, quantum alii ſibi videntur deprehendiſſe. Nominat quidem perill. Michaelis tanquam teſtes hujus lectionis Chaldaeum, *bonum meum non eſt datum niſi a te*, Syrum, *bonum meum eſt a te*, et quem Hieronymus ſequitur, in verſione ſua, Symmachum, *αγαθον μοι ȣκ εϛιν ανευ σȣ*. At quid impedit, quominus harum interpretationum cauſam potius in eo ponamus, quod earum auctores particulam על eo ſenſu acceperint, quo illam accipi et poſſe et debere probavimus? Quomodocunque ſit, illud certum videtur, firmari receptam lectionem ſuffragiis non modo Alexandrini interpretis, quem Arabs ſequitur, et Vulgati, ſed praecipue etiam Aquilae, quem his accenſere neglexit Michaelis. Habet enim *αγαθοσυνη μȣ ȣ μη επι σε*, in qua formula vox *επι* planiſſime reſpondet τῷ על ut Gen. XXXII. 12. Jud. XII. 1. cap. XV. 8. Amos. III. 15 apud LXX.

Vers. 3.

16) in Lexico ad hanc vocem.

Vers. 3.

In tractando hoc loco difficili, qui multum exercuit criticorum noſtri aevi ingenia, ita verſabimur, ut primo diverſos virorum doctorum conatus modeſte examinemus, deinde noſtram qualemcunque opinionem proponamus.

I. Perill. MICHAELIS, Alexandrinum interpretem potiſſimum ſecutus, qui habet *αγιοις τοις εν γη αυτε εθαυμαςωσε*, 17) verba hoc modo conſtituenda eſſe cenſet לקדשים אשר בארצה מהאדיר כל חפציו בם, *in ſanctis ſuis qui ſunt in terra ejus* ſepulti *miracula edit* eos reſuſcitaturus, nam *maxime illis delectatur*. Jam vero, etiamſi nos neque ignoramus neque negamus, antiquitus hebraeos ſcripſiſſe continenter, absque intervallis vocum, et poſſe interpretem, ſi ſenſus id requirat, recedere a vulgata literarum diſtinctione; etiamſi nulla adſit antiquorum teſtium auctoritas 18); illud tamen parum nobis videtur credibile, in uno eodemque loco adhibitas fuiſſe ab auctore Pſalmi duarum

17) Poſt *εθαυμαςωσε* addunt *ο κυριος* non modo editt. Aldina et Complut. atque Theodoretus (vid. HOVBIGANT apud MICHAELIS loc. cit. pag. 84.) ſed et duo codices Pariſini a STARCKIO commemorati (Davidis aliorumque poëtarum hebr. carminum libri V. vol. I. Pag. 30.) nec non exemplum mſtum verſionis Pſalmorum Alexandrinae ſatis vetuſtum, quo nos utimur, cujusque juſtam recenſionem alio quodam tempore dabimus. Et HOVBIGANTIVS quidem defendit lectionem יהוה tanquam veram et genuinam: ſed rectius ſtatuiſſe nobis videtur ill. MICHAELIS, qui gloſſam ſive additamentum eſſe putat, loc. cit. Arabicae certe verſionis auctor in exemplo graeco, quo ipſe ad vertendum uſus eſt, vocem Κυριος hoc loco non habuiſſe videtur.

18) vid. clariſſ HASSENCAMP in Erinnerung gegen Kennicotts Anmerk. über 1 Sam. 6, 19. 1770. pag. 67 ſq.

rum vocum formas inſolitas inuſitatasque בַּאַרְצָה et מַהַאַדִּיר, quas ſolitis בְּאַרְצוֹ et מַאֲדִיר majorem vel vim vel elegantiam habere, ne per ſomnium quidem cogitari poſſit. Neque vox חפצין multum probabilitatis habere videtur: nam חֵפֶץ, ſenſu voluntatis, delectationis, adhibitum, haud unquam in numero multitudinis poni ſolet, adeoque ſcribendum erat, ex conſtanti linguae uſu, חֶפְצוֹ. Porro verbum האדיר minus recte conjungi cum praef. ל, ex altero loco Eſai. XLII. 21 facile cognoſcitur. Rurſus et illud verendum, ne, quae verbis לקדשים בארץ parum dubitanter tribuitur, ſignificatio mere arbitraria ſit, atque ex noſtra tantum loquendi conſuetudine ducta: etenim bene quidem hebraice dixeris, defunctos eſſe בְּאֶרֶץ חֹשֶׁךְ Job. X. 21 בְּאֶרֶץ תַּחְתִּית Ezech. XXXI. 18 בְּאֶרֶץ תַּחְתִּיּוֹת ibid. cap. XXXII. 18, vel בְּתַחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ Pſ. LXIII. 10: ſed illam formulam, qua dicerentur eſſe בָּאָרֶץ ſ. בְּאֶרֶץ יְהוָֹה, apud Hebraeos in uſu fuiſſe, id vero ne unico quidem exemplo demonſtrari poſſe exiſtimaverim. Denique, quod praecipuum eſt, ipſe etiam ſenſus haud admodum magnam videtur habere commendationem. Quid enim? num ſancti tantum homines a Deo in vitam reducendi, nonne impii pariter ac profani omnes? Ego vero putaverim, ſanctorum ſi ſit praedicanda felicitas, commemorari debere non quae communia his cum reliquis hominibus omnibus, ſed quae priva ipſis ſint et ſic comparata, ut cum iis, qui ſanctorum nomine non veniunt, communicari nulla ratione poſſint.

II. B. Zachariae, pro וְאַדִּירֵי ſubſtituens יַאְדִּיר, et pro חֶפְצִי, חֶפְצוֹ, qua in re praeeuntem habuit Hovbigantivm, niſi quod hic maluerit הֶחֱצִיר, verba ſic exponit: *An ſeinen heiligen Dienern thut Jehova noch in der Erde herrliche Wunder, ſie liebt er noch* im

im Grabe. Facile intelligitur, plurima quae ſunt modo dicta a nobis contra priorem interpretationem, non minus contra hanc valere, quae proinde non opus eſt repetere. Sed hoc videtur praecipue monendum, vocem חֶפְצוֹ, cum tertiae perſonae ſuffixo, locum hic obtinere non poſſe. Nam praeter LXX, παντα τα θεληματα αὐτȣ εν αυτοις, quos Arabs ſequitur, in tuenda lectione חֶפְצִי mirifice conſentiunt Vulg. Syr. Chald. Symm. Theodot. atque Hieronymus, quibus omnibus auctoritatem ſolius Alexandrini opponere velle, ne ſpeciem quidem haberet probabilitatis. Quanquam et de Alexandrini interpretis lectione ambigi quodammodo poteſt: Montfavconivs enim et Clericvs 19) eam hoc modo referunt, παντα τα θεληματα ΜΟΥ εν αυτοις, quod utrum per errorem factum ſit an ex auctoritate librorum, fateor me adhuc ignorare. Quodſi igitur lectio חֶפְצוֹ repudianda ſit ob cauſas graviſſimas; evidens eſt, neque alteram illam אַדִּיר locum hic commode habere poſſe, utpote alienam ab univerſae orationis nexu atque ordine, qui ſane vix permittit, ut qui delectari ſeſe ait ſanctis, diverſus ſit ab eo, qui ſanctos magnificare dicitur. Vnde porro haud levis ſuſpicio oritur, illud ἐθαυμαςωσε non tam ex vera codicis hebraei lectione ortum ſuum duxiſſe, quam potius ex ingenio interpretis, qui difficilioris loci ſenſum qualemcunque conjectando aſſequi tentaverit.

III. Plane diverſa eſt ab his, quas vidimus, ſententia ven. Lilienthalii. 20) Hic nimirum vir doctiſſimus, cum in codice hebraeo regiae bibliothecae, quae Regiomonti Boruſſorum eſt, ſcriptum deprehenderet

19) in Commentar. ad hunc locum.

20) vid. Commentat. Critic. pag. 373.

deret בַּל־חֶפְצִי־בָם, lectionem hanc, captus ut videtur novitate illius, dignam pronuntiavit, quae vulgatae praeferatur, utpote apta ad conſtituendum ſenſum facilem atque perſpicuum, modo ſumta poſt vocem ואדירי ellipſi vocabuli proxime praecedentis הארץ, a quo forma regiminis in אדירי pendeat, totum comma reddatur hoc modo, quantum enim *ad ſanctos qui in terra ſunt* attinet, *et magnificos* terrae, *nulla in iis oblectamenta* veri nominis ſunt. Aſſentientem ſibi maxima ex parte habuit auctorem Caſtigationum in I. D. Michaelis verſionem Bibliorum, 21) qui, probe perſpiciens, verbis prout a Lilienthalio poſita eſſent, *in ſanctis nulla eſt delectatio*, ſanum ſenſum ineſſe non poſſe, monuit vocabulum קדושים hoc loco intelligendum eſſe ex prima et propria verbi ſui notione ſecernendi ſegregandique, ut homines ſignificet opum amplitudine multaque potentia inſignes. Verum enim vero praeterquam quod haec ipſa ſignificatio, quae tribuitur voci קדושים, nimis incerta ſit atque ab uſu loquendi aliena, quis quaeſo niſi admodum cupidus induci ſemet facile paſſus fuerit ad credendum, lectioni בַּל, quae nonniſi unius cujusdam codicis, cujus et aetas incerta eſt et auctoritas, teſtimonio nititur, locum cedere debere lectionem eam quae communibus quotquot ſuperſunt vetuſtiſſimarum verſionum ſuffragiis confirmatur? Deinde cum in criſi legitima non teſtium modo, ſed ſenſus etiam ratio haberi debeat, hanc quoque ob cauſam lectio illa בַּל merito repudiatur, quod ſumta ea commodus ſenſus non exiſtit. Durum enim eſt, noſtro quidem ſenſu, Meſſiae ejusmodi orationem tribuere, qua ipſe ſimpliciter, nulla interpretatione adjecta, nullo facto diſcri-

21) Kritiken über die Michaeliſche Bibel-Ueberſezung. Francf. 1773. 8.

diſcrimine, neget ſe poſſe eximiis illuſtribusque viris ullo modo delectari. Progredimur itaque

IV. ad ſententiam ven. Telleri, qui tunc planiſſime omnia cohaerere putat, ſi verba diſtinguantur hac nova ratione

אמרתי ליהוה אדני אתה טובתי
בל עליך לקדושים אשר בארץ המה:
ואדירו כל חֲפֵצִי בם
ירבו עצבותם אחר מהרו:

Semper ſoleo dicere ad Jovam: Domine tu, (ſummum) *meum es bonum; nihil ſupra te optimatibus, qui in terra ſunt. Magnificent, qui iis delectantur, multiplicent idola ſua; alium remunerentur!* Et ingenii quidem atque acuminis laudem nemo facile recuſaverit huic interpretationi. Sed tamen eidem iterum videntur ineſſe nonnulla quae obſtent, quo minus acquieſcere in ea poſſimus. Primo enim quanquam certiſſimum eſt, quod ſtudioſe probavit Tellervs, verbum חפץ ſeq. ב ſignificare *delectari aliqua re*; illud tamen aeque certum, ne unicum quidem locum in univerſo ambitu hebr. linguae exiſtere, ubi חָפֵץ, ſi adjectivum ſit, conjunctum veniat cum ב praef. objecti. Deinde durum eſt, ſuffixum in בָּם referre ad עצבות, tum quod genus diſcrepat, tum quod abhorret a more loquendi hebraico, pronomen prius ponere quam ſit nomen ipſum expreſſum. Denique illud praecipue notandum, nullo jure tribui poſſe vocabulo עצבות ſignificationem *idolorum*, etiamſi communi fere omnium interpretum conſenſu recepta ſit in hunc locum ſingularem. Praeclare ipſe Tellervs: „cum alibi ſemper idola עצבים genere maſculino appellentur, adeoque hic eſſe deberet עצביהם per conſtantiorem uſum

uſum (1 Sam. XXXI. 9. etc.) nunquain ſatis mirari poſſum, magnos etiam interpretes ſine haeſitatione ſumere ejusmodi ſignificationis nominum in ות et ים exeuntium conſonantiam, quam in nulla alia lingua vel puero fingere liceret, et a qua certiſſime abfuit Hebraeorum etiam in fingendis verbis ſollertia.„ Sed quando idem mox addit: „Itaque עצבות forte ipſa idolorum ſtudia, cultum idolorum, in vetere lingua ſignificavit; ut tunc ſenſus foret: extollant, augeant *cultum ſuum idololatricum*, qui eo delectantur"; fatemur nos perſpicere non poſſe, quae cauſa ſit, cur vox עצבות, quam qui cum כבם conſtruit, pro nomine multitudinis habere cenſendus eſt, non quidem idola ipſa, ſed cultum tamen idolorum poſſit ſignificare. Certus atque conſtans uſus vocabuli עצבות in eo conſiſtit, ut ſignificationem dolorum habeat: hac vero ſumta planum eſt, formulam עצבותם . . . . יאדירו *magnificent, qui illis delectantur, dolores ſuos*, ſanum ſenſum admittere non poſſe, adeoque lectionem ipſam merito eſſe repudiandam.

Ex his, quae dicta a nobis ſunt, cum adpareat, poſſe et debere interpretem de nova graviſſimi hujus loci explicatione ſolicitum eſſe; tentabimus nunc, an quid a nobis dici queat, quod ſi non certum ac perfectum, tamen probabile videri poſſit aequis harum rerum judicibus. Et primo quidem ל in voce לקדושים, quod video multis viris doctis fraudi fuiſſe, commode hic ſumi poteſt eo ſenſu, quem habet aliis quibusdam locis, velut Eſai. XXXII. 1. Eccleſ. IX. 4. ut nimirum denotet nominativum abſolute poſitum. Cumque ejusmodi nominativo abſoluto ſaepiuſcule ſubjungi ſoleat particula Vav, Exod. XII. 15. 19. 1 Sam. XXV. 27. 2 Sam. IV. 10. Jerem. VI. 17. Proverb. XXIII. 24. al. poſſis deinde, praeeunte Aquila, υπερμεγεθεσι μȣ

παν θελημα εν αυτοις, ואדירי efferre cum ſuffixo, וְאַדִּירַי, et totam ſententiam latine convertere hoc modo, *ſanctos* qui *in terra ſunt* quod attinet, *magnifici mei* illi ſunt, *unice illis delector.* Sed ſentio quod unusquisque vel mediocriter hebraice doctus non poteſt non ſentire, in illo וְאַדִּירַי, ſi integrae propoſitionis locum explere debeat, eſſe aliquid nimis conciſum atque durum: debebat enim ex genio linguae addi pronomen perſonale ſeparatum, ſuſtinens vicem verbi ſubſtantivi, hoc modo, וְאַדִּירַי הֵמָּה. Nec putaverim recte dici poſſe אַדִּירַי hoc ſenſu, ut idem ſic ac נֶאְדָּרַי *illi qui abs me magnificantur.* Videtur itaque omnino locus ita comparatus eſſe, ut lectio ipſa vitio laborare cenſenda ſit. Atque, ut ſtatim exhibeamus noſtram qualemcunque opinionem, putamus nos antiquitus ſcriptum fuiſſe hoc modo

לקדושים אשר בארץ הֵמָּה אָדִיר וְכָל־חֶפְצִי בָכֶם׃

ubi notandum, אָדִיר eſſe primam perſonam fut. Hiph. pro אאדיר ex אַאְדִיר, plane ut Job. XXXII. 11 אָזִין dictum eſt pro אַאְזִין. In qua forma vocis obſcura atque inſolita mirum profecto eſſe non poteſt, haeſiſſe ac fluctuaſſe veteres interpretes, utpote, quod conſtat ex infinitis locis, a ſubtili legum grammaticarum ſcientia non admodum inſtructos. Itaque Alexandrinus vocem אדיר, quam non bene intelligebat, mutavit in האדיר *εθαυμαςωσε*: aliis eandem habentibus pro adjectivo אַדִּיר collective poſito. Hinc Syrus ܘܡܫܒ̈ܚܐ ܕܟܠܗ ܨܒܝܢܝ ܒܗܘܢ *et glorioſi in quibus omnis delectatio mea eſt*; Chaldaeus וְגֵוְתְנִין בְּעוֹבָדֵיהוֹן טָבַיָּא כָּל רְעוּתִי טָבָא בְּהוֹן *et excelſi in operibus bonis, omnis voluntas mea bona in ipſis eſt*; Symmachus, *εις τȣς μεγαλȣς παν το θελημα μȣ εν αυτοις.* Aquila

Aquila vero et Theodotion, quorum ille habet *υπερμεγεθεσι μȣ κ. τ. λ.* hic *και θαυμαϛον μοι, τα θεληματα μȣ εν αυτοις*, videntur ſimilitudine litterarum Vav et Jod decepti fuiſſe, ut pro אדיר וכל legerent אדירי כל, quod idem facillime etiam librariis in deſcribendo accidere potuit. Quum vero litteram voci אדירי praefixam abeſſe volumus, utimur nos auctoritate non ſolum Aquilae Symmachique, ſed Alexandrini etiam Vulgatique interpretis, quorum utrumque, ſi Vav adfuiſſet, verbo potius futuri temporis quam praeteriti in vertendo uſurum fuiſſe credibile eſt. Et quanquam in Syriaca verſione exiſtit illud Vav, vidimus tamen Pſalmorum tranſlationem Arabicam ex Syriaca factam, in qua copula ante אדירי pariter omiſſa eſt, voci autem כל rectiſſime praefixa 22). Hanc certe commendationem habere videtur lectio a nobis propoſita, ut non modo nihil peregrini ſuperſit in ſermone, ſed ſponte etiam nunc fluat oratio, ſenſusque cum illis, quae ſtatim ſequuntur, cohaereat aptiſſime.

Vers. 4.

יִרְבּוּ עַצְּבוֹתָם אַחֵר מָהָרוּ Plurimi, inter quos Michaelis et Zachariae, formulam אחר מהרו reddunt, *qui alium* Deum *feſtinanter ſequuntur.* Sed rectiſſime objicit Tellervs, primo, אחר abſolute poſitum nullo in loco deſignare *Deum alium*, niſi quo Jehova ipſe verba faciens illum alium ſibimet ex adverſo ponat, velut Eſ. XLII. 8. XLVIII. 11: deinde,

22) Extat hic liber mstus Londini in Muſaeo Britannico, inſignitus numero 5469. Integrum comma ſic habet,

وللاظهار ايضا الذين في ارضه الممجدون وكل
مرادي فيهم

מהר ſi *feſtinandi* ſenſum habeat, non eſſe verbum tranſitivum, quod cum accuſativo nominis jungi poſſit, dicendumque potius fuiſſe מהרו אחרי אלהים אחרים, ut Deut. VI. 14. At non minus certo repudiandum nobis videtur Tellerianum illud, *alium remunerentur*. Certiſſimum enim eſt, מהר non de quovis munere vel ſtipendio dici, ſed de dote ſola qua ſponſa comparari et quaſi emi ex more orientalium ſolebat: eſtque ille ipſe locus, quem Tellervs citat, 1 Sam. XVIII. 25. tam clarus et definitus, ut mirum adeo videri debeat, uti eo voluiſſe virum doctiſſ. ad probandam illam ſignificationem generaliorem. Tenenda itaque eſt notio verbi מהר uſitatior, *feſtinare*, et אחר cum Symmacho, εις τα οπισω εταχυναν, pronuntiandum אָחֹר coll. ſimili locutione Eſ. I. 4 et XLII. 17. Opponuntur *qui retrorſum feſtinant* τοις קדושים, hoc eſt ejusmodi hominibus, qui toti ſunt Meſſiae addicti conſecratique: ex quo facile intelligitur, *retrorſum feſtinare* nihil hic aliud eſſe quam, nolle ſequi Meſſiam, omnemque cum ipſo conjunctionem reſpuere ac repudiare. Atque de hujuscemodi protervis Meſſiae contemtoribus dicitur,

ירבו עצבותם Significationem *idolorum*, quam, praeter ven. Tellervm, Michaelis aliique multi tribuunt voci עצבות, fictam eſſe nulloque exemplo demonſtrabilem, ſupra monuimus: ſed eſt eadem quoque quam maxime aliena ab hoc loco. Quid enim? num omnes, qui Meſſiae auctoritatem ſequi detrectant, ex eorum genere ſunt, qui fictis falſisque numinibus divinum cultum tribuunt? Nonne vero Judaeorum etiam pars maxima Meſſiam repudiavit, quorum gens univerſa ab iſta veſania fuit et adhuc eſt longiſſime remota? Nihil contra aptius cogitari poteſt notione *doloris*. Nimirum יִרְבּוּ mutandum in יִרְבֶּה, eſtque oratio

oratio talis, quae praedicatum, tanquam id in quo major emphaſis poſita, praemiſſum habet ſubjecto ſuo. Vertas itaque, ***multiplicabunt dolores ſuos qui retrorſum feſtinant***, et ſenſus planiſſime hic eſt, feliciſſimos futuros Meſſiae amicos et cultores, utpote maximi ab Ipſo faciendos, propenſiſſimamque Ipſius erga ſe voluntatem experturos: contemtores vero ſibi ipſis infenſos eſſe, quod ſuam ſibi miſeriam cumulent, maximisque bonis ex conjunctione cum Meſſia redundantibus ſemet privent.

בַּל־אַסִּיךְ . . . . . שְׂפָתָי ***non libabo libamina eorum cruenta, nec proferam eorum nomina ore meo.*** Illorum, qui retrorſum feſtinant, libamina intelligi clarum eſt. Quae quum *cruenta* dicuntur, nihil aliud ſignificare hoc nobis videtur, quam quod aeque ſint deteſtabilia Deoque ingrata, ac ſi vini loco, quod erat lege divina ſancitum, ſanguis ad ea eſſet adhibitus. Caeterum libamina libare nonniſi ſacerdotis erat, Numer. VI. 17. Igitur cum eorum, qui ſequi Ipſum nolint, libationes libaturum ſe eſſe neget Meſſias; evidens eſt, quod ab aliis etiam obſervatum fuit, ſacerdotis illum perſonam ſibi impoſitam hic habere, qui et alio loco, Pſ. CX, ſacerdotis nomine expreſſo inſignitur. In altera ſententia ובל אשא . . . שפתי nollem a viris doctiſſ. Michaelis, Tellero, Zachariae, vocabulum שְׁמוֹתָם relatum fuiſſe ad Deos fictitios. Etenim, ex noſtro quidem ſenſu, parum digna eſt perſona Meſſiae ejusmodi oratio, qua neget a ſe ullum unquam honorem habitum iri falſis Numinibus. Et praeterea univerſus ſermonis habitus oppido requirit, ut utrumque ſuffixum redeat ad idem ſubjectum, illud nempe quod continetur verbis אשר אחר מהרו. Notandum porro, libamina hoc loco per ſynecdochen dici pro univerſo genere ſacrificiorum, et

formulam, *nomen alicujus ore ſuo proferre*, junctam cum mentione ſacrificiorum, nihil aliud ſignificare poſſe, quam, *apud Deum pro aliquo deprecari.* Itaque quod breviter ante dixit, ירבו עצבותם, mox ita declarat Meſſias, ut ſignificet, miſeros iſtos, qui Ipſum averſentur, ſibimet ipſis graviſſimam injuriam inferre, quod divina, quae ex Ipſius ſacerdotali munere conſecutura ſint, beneficia proterve negligant repudientque.

Ps. XXXII, 6.

Verba לְעֵת מְצֹא plerumque vertuntur, *tempore inveniendi*: quod cum per ſe intelligi nequeat, variis modis explere ſtuduerunt interpretes orationem mancam, ut videtur, atque imperfectam. Apud veteres interpretes nihil invenias, quod vel dubiam lectionem reddere poſſit, vel verbis lucem aliquam affundere. Alexandrinus, quem preſſe hic imitatur Vulgatus, integrum comma ſic vertit, *υπερ ταυτης προσευξεται προς σε πας οσιος εν καιρω ευθετω· πλην εν κατακλυσμω υδατων πολλων προς αυτον ουκ εγγιουσι.* Et quoque Syrus habet ܒܙܒܢ ܡܩܒܠ *tempore accepto*, et Chaldaeus, לְעִדָּן רְעוּתֵיה *tempore beneplaciti:* ubi clarum eſt, hos omnes ſenſum magis captaſſe, quam proprietatem verborum preſſe ſecutos eſſe. Aliter quidem ſe habet Symmachi verſio, *περι τουτου προσευξεται πας οσιος σοι καιρον ευρων, ωστε επικλυζοντα υδατα πολλα προς αυτον μη εγγισαι*, nec non Hieronymi, ex hac potiſſimum facta, *pro hac orabit omnis miſericors ad te tempus inveniens, ut cum inundarint aquae multae, ad illum non accedant:* ſed hebraicam locutionem לעת מצא eo ſenſu ſumi poſſe ac ſi dictum eſſet

מצא עת, nemo facile affirmaverit. Inter recentiores Geiervs, praeſtantiſſimus Pſalmorum enarrator, ita formulam illam περιφραζει, *tempore dum adhuc inveniendum te praebes quaerentibus*, indicatque locum Es. LV. 6. Verum ex hoc ipſo loco intelligitur, hebraice tum dicendum fuiſſe ſive לעת המצאך, ſive לעת מצאו אותך. Perill. Michaelis ſupplet vocem חֵן, vertit enim, propterea omnes tui cultores preces ad te fundant *tempore inveniendae gratiae, tunc enim profecto diluvium illos non attinget.* Quanquam ipſe de veritate interpretationis ſuae dubitat, neque id ſine cauſa. Etenim haud adeo frequens eſt verbi מצא cum nomine חן conjunctio, ut idem, etiam abſolute poſitum, hoc ſenſu definito adhibitum fuiſſe credibile ſit: exempla certe, quibus firmari illud poſſit, plane deficiunt. Prorſus ſingularis eſt Herm. Venema ratio, qua is illud רק לשטף pro parentheſi habendum eſſe exiſtimans, ſic vertit, *propterea ardenter te orabit omnis pius, tempore penetrandi (tantum ad inundationem) aquarum multarum*: in qua verſione quid ſit illud *tantum ad inundationem* nos perſpicere plane non poſſe haud aegre fatemur. Clar. Schvlzivs vocem רק vel prorſus alienam ab hoc loco, vel ex alia quadam lectione ortam per errorem librarii pronuntiat, paulo ut videtur confidentius quam par erat, cum neque eliminandae vocis cauſam afferat, neque modum indicet, quo poſſit ex alia lectione fuiſſe orta. Et quamvis b. Zachariae, et ipſe de recta facilique interpretatione deſperans, ſuſpicatus ſit, pro רק ſcriptum primitus fuiſſe רַע, ut in illa formula כִּי מָצָאוֹ רָע Iob. XXXI. 29; omni tamen auctoritate deſtituta eſt haec conjectura quantumvis ingenioſa. Supereſt ut ven. Telleri 23) de hoc loco noſtro ſententiam

 videa-

23) Notae criticae et exegeticae etc. Halae 1766. 8. p. 125.

videamus breviter. Nimirum obſervat, vocem רק vim atque uſum hic habere nominis ſubſtantivi, ſignificantis *agonem mortis*, a radice arabica quadrilitera رمق, *agonizavit, mori incepit*; itaque jungendam illam eſſe cum מְצֹא, vertendamque orationem hoc modo: tempore quo mortem invenerit, h. e. *quum in ultimum mortis articulum inciderit.* Sed ſi vera ſit haec verbi arabici ſignificatio, ignorant vero eam lexica Castelli Goliique, tamen nec dictio illa, invenire agonem, ſatis elegans videtur, nec ſenſus ipſe ſatis aptus. Interim tamen proxime ad verum acceſſit vir doctiſſimus. Eſt enim profecto vocabulum רק nomen ſubſtantivum, ejusque uſus rectiſſime cognoſcitur ex dialecto arabica. Nempe verbum رقّ, רָקַק, quod proprie dicitur de re tenui ac ſubtili, transfertur ad teneritudinem animi, et nomen رقّة, רַקָּה, *miſericordiam* denotat, animique clementiam. Vides nunc, מצא רק eodem prorſus ſenſu hic dictum eſſe quo alias adhiberi ſolet uſitatior formula מצא חן, nec quicquam amplius requiri poſſe ad perſpicuitatem locutionis hebraicae, ſi vertatur hoc modo: *propterea orabunt cultores tui omnes ad te tempore impetrandae gratiae.* In altero hemiſtichio praef. ל putamus eodem ſenſu accipiendum eſſe, quo adfuit ſupra Ps. XVI. 3. *inundationem quod attinet* etc. hoc eſt, ſi maxima immineant pericula, ſalvus ex iis evadet. Caeterum lubenter fatemur, non noſtro ingenio deberi feliciſſimam illam vocis רק expoſitionem, ſed Nic. Guil. Schroedero, Grammatico ſubtiliſſimo, qui Inſtitutt. ad fundam. ling. hebr. pag. 402. ſic habet: רַק vulgo *tantum, tantummodo*, proprie ſignificans *tenuitatem*, ſervat vim Nominis in לְעֵת מְצֹא רַק *ad tempus inveniendi*

niendi tenuitatem, i. e. teneritudinem, ſeu teneram clementiam.

Pſ. XXXII. 9.

Difficilem eſſe hunc locum, ipſa ſententiarum de eo diverſitas haud obſcure arguit. Et rectiſſime quidem ſignificationem *oris*, quae vocabulo עדי communi fere conſenſu tribui antea conſueverat, repudiant recentiſſimi interpretes, utpote fictam omnique fundamento deſtitutam: neque tamen ipſi, ſi quid judicamus, rem perfeciſſe, orationisque obſcuritatem interpretando explanaſſe cenſendi ſunt. Quis enim, ut exemplis utamur, ferat Herm. Venema aut potius Alb. Schultensii 24) interpretationem hanc, *ne ſitis inſtar equi vel muli, quem docere nihil eſt, cujus in freno vel capiſtro eſt inſtrumentum, ob ferociam indomitam: Non! adpropinque ad te!* Etenim non modo aſpera eſt atque admodum obſcura, ſed habet etiam multa arbitraria et incerta, de quibus demonſtrandis ne cogitaſſe quidem videas auctorem. Veluti quum עדי vertitur, inſtrumentum, בלום ferocia indomita, et קרוב אליך declaratur hac ratione, intra modulum tuum, intra limites rationis et intelligentiae tuae te teneas, ne ſuperbias teque tumidum praeſtes etc. quae omnia videntur a recto loquendi uſu hebraico longiſſime abeſſe. At tamen poſtrema verba eodem ſenſu, *nequaquam, redite ad vos*, accipit Schulzius, vir clariſſ. qui vero hoc quoque loco de vitio lectionis conqueritur, a ſe abſque librorum vetuſtorum ſubſidio non facile reſtituendae. Perill. Michaelis hoc habet ſingulare, quod *juventutis* ſignificationem tribuit vocabulo

24) vid. Commentar. ad Proverbia pag. 346.

bulo עדי in verſione ſua, *ne ſitis ut equi mulique ratione carentes qui in juventute ſua freno lupatoque coërcendi, ut nemo ad vos accedere audeat:* qua in re ſecutus eſſe videtur Syrum interpretem, qui pariter vertit, quos freno domant *a juventute ſua.* Verum, quanquam nos iſtam ſignificationem negare nolumus, poteſt enim vir perſpicaciſſimus argumentis ad eam probandam uti, quae nos prorſus latent; illud ipſum tamen loquendi genus, quo dicitur עדי סוס לבלום *juventus* equi freno *coërcenda*, noſtro quidem ſenſu parum elegans eſt et congruum: ſi vero עדיו dictum eſſe debeat pro בְּעֶדְיוֹ ſive מִן־עדיו, veremur, ne durior ſit ejusmodi ellipſis, quam ut facile admitti poſſit. Verſionem b. Zachariae quod attinet, *ne ſitis ut equi indomiti mulique rationis expertes, quibus lorum frenumque injiciendum ſi obtemperare nolint*, ita quidem comparata eſt, ut quo ſenſu ſumta ſit vox עדיו, haud adpareat: ſed illud faciliime intelligitur, parum commode dici, equis frenum injiciendum, ſi obtemperare nolint. Etenim non tum demum equo frenum injicitur, ſi absque freno obtemperare nolit: neque id requiri ſolet in equis, ut ſponte, nulloque freno adhibito, accedant ad hominem, ſed ut conſiſtant admittantque frenum, quo deinde regi ducique ſe patiantur. Praeterea pro בל ſtatuitur lectio בְּלֹא, quae tamen omni prorſus deſtituta eſt auctoritate critica. — Nobis autem cauſa obſcuritatis poſita eſſe videtur in diſtinctionibus Maſorethicis, quae ſaepiſſime fallunt, et, quod mirum videri debet, etiam ejusmodi interpretes haud raro fallunt, qui non praeceptis modo ſed exemplis etiam, quam parum tuto fides illis haberi poſſit, declarant. Velut proxime ante hunc, de quo agitur, locum verba איעצה עליך עיני vertit Michaelis, *conſulam ſuper te oculum meum*, invita grammatica, quae verbi יעץ in prima conjugatione talem

talem uſum, adhibere aliquem in conſilium, ignorat: Schulzius vero ſumta pro איעצה lectione איעצה (radicem ipſe ſtatuit עצה, ex qua quomodo futurum איעצה formari poſſit, ipſe videat) interpretatur, *firmabo ſuper te oculum meum.* Nos vero putamus, poſito poſt vocem איעצה intervallo, vertendum eſſe, *ego conſulam*, ſ. proſpiciam, *obſervabunt te oculi mei.* Similiter hoc loco non dubitamus recedere ab accentibus Judaicis, atque orationem ordinare hoc modo,

אל תהיו כסוס כפרד
(אשר) אין הבין במתג
ורסן עדיו לבלום
בל קרוב אליך:

ne ſitis inſtar equi mulique
qui freno nunquam eruditus
aut capiſtro ornatus ad conſtringendum,
haud cuiquam appropinquare audet.

Hoc ſenſu ſi verba accipiantur, facile adparet, ſermonem non eſſe de univerſo equorum genere, ſed tales praecipue innui, qui cum in agris ſint, feroces, nondum domiti manſuefactique, reformident homines, eorumque conſpectui ſeſe ſubducant. Atque ſic demum elucet elegantia ac ſumma proprietas imaginis a ſacro poëta adhibitae. Dixerat enim ſe peccatorum conſcientia perterritum extimuiſſe Deum atque ab eo refugiſſe, non ſine incredibili animi angore cruciatuque: poſtea vero cum ad eum acceſſiſſet humiliter culpam confeſſurus veniamque petiturus, clementiſſime ab eo habitum moxque in priſtinam gratiam receptum fuiſſe. Hujus igitur tanti beneficii gratiſſimo ſenſu perfuſus monere inſtituit homines, nolint Deum cum maximo ſuo damno refugere et reformidare; utiturque

que hac in re ſimilitudine equorum mulorumque, quorum vetat imitari mores atque indolem. Ejusmodi itaque equos intelligat neceſſe eſt, quales diximus, alienos nempe ab hominum conſuetudine, et frenum nunquam expertos, quibus profecto nihil cogitari poteſt ad hanc rem accommodatius. — In poſtrema ſententia אליך dictum eſſe imperſonaliter, vix eſt quod moneamus.

Ps. LV. 16.

כִּי־רָעוֹת בִּמְגוּרָם בְּקִרְבָּם׃

Aſyndeton plerumque ſtatuitur hoc loco, diciturque בקרבם vel idem ſignificare quod במגורם, vel intelligendum eſſe de animi cogitationibus. Et poſteriore quidem ſenſu beatus etiam Zachariae ſententiam reddidit, *ubicunque enim ſunt, mala conſilia animo agitant ab ipſis mox exſequenda.* Sed utrumque profecto nimis languidum, nec cauſa perſpicitur, cur additum ſit illud בקרבם, cum, qui verbis כי רעות במגורם continetur, ſenſus non modo perſpicuus ſit, ſed etiam plenus atque ex omni parte perfectus. Perſentiſcens incommoda vulgaris interpretationis doctiſſ. Michaelis vitium in ſcriptione inveniſſe ſibi viſus eſt, ſumtaque pro בקרבם, lectione בְּקִבְרָם, verba ſic vertit, *vivi deſcendunt in orcum, calamitas in hoſpitio illorum atque ſepulchro.* In Notis huic loco ſubjectis fatetur, ex ſolo quidem ingenio ortam eſſe hanc lectionem, ſed eandem, licet omni veterum tam verſionum quam codicum auctoritate deſtitutam, tam vehementer ſibi placuiſſe, ut quo minus illam tanquam genuinam mentique ſacri auctoris prorſus conſentaneam in ſuam verſionem reciperet, temperare ſibi

ſibi non potuerit. — Nobis autem, quod pace viri celeberrimi dictum ſit, plane aliter videtur, nec nos in illa lectione בקברם quicquam deprehendimus, quod commendare eam poſſit. Nam primo obſtat particula כי, quae innuit, in ſequentibus verbis cauſam contineri, cur interitum iſtorum hominum vel optet vel praedicat Davides. Deinde ſi מגור *ſepulchrum* ſit, ut putat Michaelis, quid opus erat additamento alterius vocis בקברם ejusdem plane rei ſignificationem habentis? Putasne ad declarandum ſenſum prioris vocabuli adjectam eſſe ab auctore carminis? Enim vero grammatici eſt ſcholia ſcribentis, inſolentiorem vocem declarare alia magis communi, poëticam proſaica, figuratam propria, non vero poëtae, ſi hoc praeclaro nomine dignus ſit. Immo ſi plures adeo codices eſſent, qui lectionem iſtam בקברם exhiberent, *) haud dubitanter pronuntiaverim, gloſſam eſſe in margine primum poſitam, atque in contextum poſtea ut fere fieri ſolet, illatam. Quid itaque demum ſtatuendum de illo vocabulo בקרבם? Scilicet putamus nos ad ſequentia illud referendum eſſe, quibuscum aptiſſime cohaereret. Queritur enim Davides, ſe in urbe ſcelerum ac tumultus plena cinctum undiquaque eſſe hominibus turbulentis ſeditioſisque, nec ullam elabendi opportunitatem ſibi relictam habere. Hos itaque *medios inter hoſtes ſuos* ait ſe precibus ſuis ad Deum confugere, et quod antea ſaepe expertus eſſet divinum auxilium forti ac conſtanti animo expectare.

*) [*Nullus adhuc codex repertus, qui lectionem* בקברם *exhibeat.*]

Pſ.

Pſ. LXIV, 7.

יַחְפְּשׂוּ־עוֹלֹת תַּמְנוּ חֵפֶשׂ מְחֻפָּשׂ וְקֶרֶב אִישׁ וְלֵב עָמֹק׃

Verba haec, prout ſunt, quomodocunque vertantur, ſemper habere nobis videntur aſperum quid, obſcurum atque impeditum, ut putemus, novam aliquam explicationem, quae planior ſit et facilior, non ſine cauſa eſſe expetendam. Simpliciſſimam quidem verſionem illam dixerimus, quam, poſt alios, propoſuit Joh. Henr. Michaelis, 25) *ſcrutantur iniquitates, perimus*, nam *ſcrutinium exquiſitiſſime factum eſt: ac intimum uniuscujusque illorum et cor* eſt *profundum*. Sed plura tamen hic ſunt, quae probari nobis non poſſunt. Primo enim quam parum compoſita et coagmentata eſt univerſa oratio! Deinde ut *ſcrutinium* illud *exquiſitiſſime factum* rationem quodammodo continere poſſit deſperandae ſalutis, ſumitur, vocem עולות intelligendam eſſe de ſceleribus atque injuriis, quibus afficere Davidem velint adverſarii, cum tamen ex univerſo habitu carminis evidens ſit, de iſtiusmodi potius perverſa malignorum hominum induſtria ſermonem eſſe, qua ſtudeant Davidem criminum, ab ipſo nunquam commiſſorum, accuſare ac reum agere, quae profecto adverſariorum ſolertia in fingendis criminibus per ſe non poteſt cauſa eſſe deſperandae ſalutis apud hominem, in quo ſcelerum conſcientia nulla eſt. Sed porro haec ipſa deſperatio, quam Davidi tribuunt, qui verbum תמנו reddendum putant, *pereundum eſt nobis*, parum profecto congruit cum illa animi fortitudine atque conſtantia, qua mox tam gravia tamque funeſta ſupplicia adverſariis ſuis eventura eſſe praedicit,

25) vid. Uberiores adnotatt. in hagiographos V. T. libros III Vol, Halae 1720, 4. editas.

cit, ut boni probique omnes laetandi ac Deum celebrandi materiam ſint habituri. Rectius itaque illi ſtatuere videntur, qui ſubintellecto לאמר verba תמנו חפש מחפש putant referri in perſona deliberantium impiorum, ut ſenſus ſit, *crimina ſcrutantur* adverſarii mei, *abſolvimus*, inquiunt, *ſcrutinium accuratum.* Sed neque hoc modo exſurgit ſenſus facilis et perſpicuus. Etenim haud intelligitur, cur *abſolviſſe ſe* dicant ſcrutinium ſuum malevoli iſti homines: et erat praeterea dicendum ex uſu linguae תַּמְנוּ לַחְפֹּשׂ, coll. Jos. III. 17 et IV. 1. 11. Sed accedamus nunc ad recentiſſimos Pſalmorum interpretes. Et primo quod attinet verſionem, quam dedit celeb. Michaelis, *ſcrutantur crimina, nos culpa caremus, ſcrutator petit ſcrutando intimum hominis ac cor profundum;* ſciendum ante omnia, hac nova ratione uſum eſſe virum doctiſſimum, ut non modo voces חפש מחפש aliis vocalibus inſtrueret, חֹפֵשׂ מְחֻפָּשׂ, plane ut Symmachus habet *εξερευνων εξερευνησει*, jungeretque cum ſequentibus, ſed et particulam Vau praefixam voci קרב e textu eliminaret. Quod utrumque quamvis haud difficulter ferri poſſit, nam Vav praefixum vocabulo קרב nonniſi a Theodotione exprimitur atque Hieronymo; illud tamen diſplicet, primo, quod ſic multitudinis numero loquens inducitur Davides, quo tamen nunquam utitur per totum hoc carmen, deinde quod verbo תמם tribuitur ſignificatio innocentiae, quae neſcio an ullo alio exemplo comprobari poſſit, locus certe Pſ. XIX. 14. ad probationem adhiberi nequit, cum איתם rectius faciliusque derivari poſſit ex radice יתם, arab. وتم, *ſolitarius fuit* quam ad verbum תמם referri. Herm. Venema ſi audias, ſumta lectione טָמְנוּ pro תַּמְנוּ, verba intelligenda ſunt hoc modo: *perſcrutabuntur iniquitates*, quas *occultarunt* adverſarii mei, *perſcrutatione exactiſſima, et* perſcruta-

ſcrutabuntur *intimum viri et cor profundum.* Putat nimirum, יחפשו referendum eſſe non ad homines malevolos, quorum veſanam nocendi libidinem depingit Davides, ſed ad Deum, אלהים, qui ſit occulta illorum molimina brevi exquiſiturus. Verum hoc ipſum adeo durum eſt et coactum, ut ferri nullo modo poſſit. Nam praeterquam quod אלהים non niſi rariſſime, habita ratione formae, conſtruitur cum verbo plurali, illud praecipue obſtat, quod in univerſa oratione praecedente vox אלהים nunquam occurrit in caſu recto poſita, ſed proximo demum commate ſubſequitur: quod idem etiam tum valet, ſi, ſuadente eodem Venema, pro יַחְפְּשׂוּ עולת ſubſtituatur יַחְפֵּשׂ וְעוֹלֹת perſcrutabitur Deus *et* iniquitates — —— *et* intimum viri ac cor profundum. Multo rectius faciliusque b. Zachariae, qui et ipſe utitur lectione תָּמְנוּ, at vocem מחפש jungit cum ſequentibus, priusque Vav praefixum exponit per *adeo*, locum ſic interpretatur, *ſcrutantur crimina, quam occultiſſime ſcrutantur, perveſtigantur adeo intima hominis abditique cordis receſſus.* Atque in hac quidem interpretatione, etiamſi jure de illo uſu particulae Vav hoc loco dubitari poſſit, tamen acquieſcendum eſſe diximus, niſi videremur nobis aliam quandam rationem deprehendiſſe, qua planior atque facilior effici queat univerſa oratio. Statuimus itaque lectionem תָּמְנוּ, tum quod תמנו tanquam verbum primae pers. plur. prorſus abhorrere videtur a ſerie ac nexu ſermonis, tum quod illa lectio non modo aptiſſima eſt ad ſenſum, ſed teſtium quoque confirmata ſuffragiis haud contemnendis. Et praecipue quidem hac in re utimur auctoritate ipſius Maſorae, quae vocem תמנו nonniſi ter extare in contextu hebraico perhibet. Itaque cum tribus aliis locis, Num. XVII. 28, Jer. XLIV. 18. Thren. III. 22 cauſa nulla ſit de certitudine lectionis

תמנו

חמנר dubitandi, ſequitur, eandem hoc noſtro loco in antiquioribus exemplis non extitiſſe 26). Nec deſunt ejusmodi libri, tam editi quam ſcripti, qui vel in ipſa ſerie contextus ſui lectionem טמנר exhibent, vel ejusdem indicia haud obſcura alio modo afferunt. Veluti, editos quod attinet, textui inſertam illam lectionem habent Pſalterium Porken. Rom. 1513, Colon. 1518. et Baſileenſe ex officina Froben. 1516. margini vero adſcriptam notam, in aliis libris extare טמנר, habent primae editiones Venetae in fol. et 4. teſte BUXTORFIO 27), atque MUNSTERI etiam editio, anno 1536. facta, inter varias ſuas lectiones exhibet notam hanc, ואחרים טָמְנוּ, teſte TYCHSENIO, viro celeberrimo. 28) Scripti vero codices notandi ſunt tres, unus, isque Hiſpanicus, quem in textu habuiſſe טמנר refert R. NORZI, in editione Bibl. hebr. Mantuana 1742 29), et duo, in quibus חמנר mutatum in טמנר, Caſſellanus 30), et Regiomontanus 31). Hac igitur lectione aſſumta *) porro nunc litteras חפש מחפש

26) vid. TYCHSENII beſrcytes Tentamen, p. 112. ſq.

27) Anticrit. p. 984.

28) loco citato.

29) iterum loco citato.

30) vid. MICHAELIS Bibliothec. Orient et Exeget. P. I, p. 181.

31) vid. LILIENTHALII Comment. crit. p. 387.

*) [*Longum agmen codicum, lectionem* טמנר *confirmantium, videas nunc apud celeberr.* DE ROSSIUM, *qui monet, exiguae vel nullius auctoritatis eſſe illam* notam maſorethicam de voce חמנר nonniſi ter obvia, quia loca ipſa recenſens numeret inter illa noſtrum hunc Pſalmi, omiſſo altero Jeremiae; et profligandum eſſe e teſtium numero pſalterium Porken. Rom. 1513. quod Aethiopicam verſionem contineat, non textum hebr.]

מחפש וקרב, olim continenter ſcriptas, ita divellimus, ut Mem referamus ad primam vocem, quod LXX. etiam feciſſe videntur, *ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσει*, ſeu ut liber noſter habet *ἐξερευνήσεις*, et deinde Vav ad mediam, hac ratione,

יַחְפְּשׂוּ עוֹלֹת מֵמֻנּוּ חֵפֶשׂ
חִפֵּשׂוּ קֶרֶב אִישׁ וְלֵב עָמֹק׃

Atque ſic demum oratio pura eſt et limpida, ſenſusque verborum facilis atque perſpicuus. Nimirum tantam eſſe ait Davides adverſariorum ſuorum malitiam, ut, quum adhibitis omnibus, etiam occultiſſimis, dolis nihil quicquam in univerſis ipſius dictis factisque deprehendere poſſint, quod in vitium verti cum quadam veri ſpecie poſſit, animum tandem clandeſtinorum ſcelerum accuſent, adeoque jus quaſi poteſtatemque ſibi arrogent, de intimis adeo abditiſſimisque animi cogitatis decernendi. — In verſu proxime ſequenti ſi Maſoretharum diſtinctionem ſequaris, languidum profecto atque obſcurum videri debet illud היו מכותם, *ſunt vulnera eorum:* contra vero elegantiſſime procedit oratio, ſi poſito poſt vocem חֵץ intervallo ſic vertas,

petet illos viciſſim Deus ſagittis,
ſubitanea erunt vulnera eorum.

Rurſus v. 9. non bene intelligitur, quid ſit, *corruere facient illos ſuper ſemet ipſos linguae eorum:* vix enim concipitur, qui fieri poſſit, ut quis ſuper ſemetipſum concidat corruatque. Neque tamen opus eſt cum b. Zachariae ויכשילהו mutare in ויכשלו: ſed videtur potius pronuntiandum eſſe וַיַּכְשִׁילֵהוּ, et ſuffixo diſtributive ſumto ſic exponendum, *facietque Deus corruere unumquemque illorum, contra ipſos erit eorum lingua.* h. e.

h. e. quam mihi criminationibus ſuis parare ſtudebant perniciem, mox ipſi experientur. Complura ſunt ejusmodi loca, quorum ſenſum planum facilemque mirifice turbant et pervertunt accentus judaici, velut Pſ. LXVI. 15. ubi formula קְטֹרֶת אֵילִים multum negotii faceſſit interpretibus, nec fuit quisquam, quantum nobis quidem conſtat, qui intelligeret, dirimendum eſſe vocabulum אילים a praecedente ſerie, jungendumque ſequenti verbo אֶעֱשֶׂה, hoc modo,

holocauſta pinguiſſimarum ovium offeram tibi et ſuffimentum,
arietes ſacrificabo, boves hircosque.

Pſ. LXXXVII. 1. et 7.
יְסוּדָתוֹ בְּהַרְרֵי־קֹדֶשׁ

Abruptum atque haud parum difficile eſſe hoc carminis, caeteroquin elegantiſſimi, exordium, obſcuriorem vero etiam exitum, quilibet non poteſt non ſentire. Atque illud quidem dupliciter exponi poſſe plerumque putatur, vel *o fundata ab eo in montibus ſanctis*, vel *fundatio ejus eſt in montibus ſanctis:* ſed in utraque hac ratione neceſſe eſt nomen, ad quod ſuffixum referri poſſit, quaerere in ſubſequenti oratione, quod durum eſt atque a conſuetudine hebraicae linguae alienum. Rabbinorum vero quorundam opinionem quod attinet, pronomen referendum eſſe ad vocem מִזְמוֹר, et יְסוּדַת מִזְמוֹר ſignificare Pſalmi *argumentum*, ortam ut videtur ex uſu verſionis Chaldaicae, reddentis verba noſtra, tanquam ad inſcriptionem pertinentia hoc modo, *per filios Korachi dictum eſt canticum, fundatum in ore patrum priſcorum;* adeo illa inepta eſt, ut cui placere poſſit putaverim fore nemi-

nem. ZACHARIAE quidem pariter viſum fuit, voces יסודתו בהררי קדש referre ad titulum pſalmi, ita tamen, ut יסודתו in יסודות mutato ſeriem verborum conſtitueret hanc, שיר יסודות בהררי קדש i. e. *carmen dictum cum fundamenta ponerentur in montibus ſanctis.* Sed nonniſi conjectura eſt, eaque hoc loco eo minus admittenda, quo facilior ſupereſt ratio tollendi difficultates omnes, ſalva atque intacta lectione recepta, quae veterum interpretum omnium conſenſu atque auctoritate confirmatur. Proxime contra ad verum acceſſiſſe dicendus MICHAELIS, qui verba, de quibus agitur, ad ſequentia propius admovendo, verſum trimembrem effecit, ab ipſo ſic redditum,

Vrbem ſuam fundatam in montibus ſanctis,
portas Zionis, diligit Jehova,
praefertque habitationibus Jacobi omnibus.

Videant tamen aequi harum rerum peritique judices, nonne limpidius fluat oratio, ſitque convenientior genio linguae hebraicae, ſi duobus hemiſtichiis conſtet verſiculus, hoc modo:

יְסוּדָתוֹ בְּהַרְרֵי קֹדֶשׁ אֹהֵב יְהוָֹה
שַׁעֲרֵי צִיּוֹן (אֹהֵב) מִכֹּל מִשְׁכְּנוֹת יַעֲקֹב׃

De poſtremis autem carminis hujus verbis

וְשָׁרִים כְּחֹלְלִים כָּל־מַעְיָנַי בָּךְ׃

difficilius eſt ſententiam dicere. Communis fere interpretatio haec eſt, dici de hominibus illis extraneis, a Jehova olim in ſuam civitatem recipiendis, quod ſint prae gaudio *cantaturi ſicut tripudiantes*, dicturique, *omnes fontes*, quibus nos ſitim noſtram reſtinguere poſſimus, *in te ſunt*, o civitas Dei. Quod quam durum ſit et coactum, vix opus eſt oſtendere. Rectiſſime quidem dici poterat, והם יהיו שרים וחללים, at qui

qui laetitiam animi cantando produnt, parum commode dici poſſunt canere modo tripudiantium: tripudiantis enim eſt, non tam canere, quam aliorum potius cantum ſaltando quaſi imitari et exprimere. Sed multo tamen durior atque ineptior eſt VENEMA ſuper hoc loco diſputatio, putantis, civitatem ipſam loquentem hic introduci, et ſermone ad Jehovam converſo, haec verba facientem, *et canori*, *inſtar fiſtulantium*, *omnes fontes mei in Te* ſunt; fontes autem dictos eſſe pro *filiis*, innuique vel incolas Zionis univerſos, vel ſpeciatim carminum ſacrorum auctores, "qui recte cum fontibus comparari poſſint, cum, vena poetica abundantes, aquas doctrinae et conſolationis et multiplicis utilitatis ex ſe emittant in uſum Zionitarum.„ Talia autem quis ferat, et quis non ſatius duxerit, rem omnem potius dubiam relinquere atque a ſententia dicenda abſtinere, quam coactam ejusmodi contortamque interpretationem parturire? Non modo enim non turpe eſt interpreti vetuſtiſſimorum ſcriptorum, ſed honorificum adeo atque ad auctoritatem conciliandam aptum, ſi quando inciderit in locum difficiliorem, quem adhibita omni ſolertia recte probabiliterque exponere nequeat, ingenue fateri difficultates, remque aliis, forte felicioribus, expediendam relinquere. Quapropter laudamus nos modeſtiam atque probitatem perill. MICHAELIS, qui hebraica verba vertit quidem, ſimpliciſſima hac ratione,

canentes et ſaltantes ejusdem erunt conditionis,
omnes mei fontes in te ſunt,

ſed poſtea in notis de obſcuritate ſenſus monuit lectores, negavitque ſibi quicquam probabile de illo conſtare. Interim tentabimus tamen, quanquam timide, quid nobis de hoc loco videatur, in medium propo-

 nere.

nere. Nimirum ſubiit animum cogitatio, num debeant verba ordinari hoc modo,

וְשָׂרִים כַּחוֹל לָיָּם
כָּל־מְעִינֵי בָּךְ:

eruntque viri principes innumeri,

qui omnies apud te commorabuntur.

Nulla nunc certe in dictione obſcuritas, nihil infrequens et peregrinum. Recte enim מְעִינִים derivari poteſt ex radice עון, unde מָעוֹן habitatio, ut ſit participium Hiphil, prouti haec vox ſumenda videtur etiam 1 Chron. IV. 41.; atque ſenſus etiam eſt ad naturam reliqui carminis accommodatiſſimus. Etenim, cum perſpicuum ſit talia tempora depingi, quibus permagna hominum multitudo ex barbaris gentibus undique ventura ſit, Hieroſolymas religionis cauſa, neſcio ſane num ad perficiendam hanc laetiſſimam imaginem aptius quicquam addi poſſit, quam hoc ipſum, primarios adeo eminentiſſimosque viros, eosque admodum multos, frequentaturos eſſe urbem Jehovae ſacram atque illuſtraturos. Caeterum

Si quid noviſti rectius iſtis,

Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

TANTVM.

Y.

V.

ANIMADVERS. AD QVAEDAM LOCA PSALMORVM. FASCIC. II.

Pſ. XVII, 10.
חֶלְבָּמוֹ סָּגְרוּ
Pſ. LXXIII, 7.
יָצָא מֵחֵלֶב עֵינֵמוֹ

Ad priorem locum quod attinet, communis fere interpretatio ea eſſe ſolet, qua formula, *adipem ſuum clauſerunt*, hoc ſenſu accipienda dicitur, ut intelligantur homines pingues ac obeſi facti; id vero eſt, divitiis ac deliciis diffluentes. In qua ſententia cum ſit durum quid atque incertum, mirum profecto videri non debet, recentiorum interpretum quosdam tentaſſe aliquid, quo planior atque aptior iſta locutio efficeretur. Houbigantivs, pro maxima, quae in ipſo conſpicitur, mutandae lectionis cupiditate, legendum eſſe ſtatuit חבלמו, *rete ſuum clauſerunt*, conjecturam, etiamſi nullius veteris verſionis teſtimonio confirmatam, non improbante reverendiſſimo Lowthio, 1) Londinenſium epiſcopo celeberrimo. Beato Seckero 2), archiepiſcopo quondam Cantuarienſi, viſum eſt mutatis vocalibus efferre vo-

1) vid. Annotations on the Pſalms, by James Merrick. Reading 1768. 4. quo eodem auctore pſalmi Anglico carmine redditi prodierunt 1765. 4.

2) vid. ibid.

cem סגרו hoc modo, סֻגְּרוּ in Pyhal: quod placuit etiam Schulzio, viro clariſſimo. Perill. Michaelis. poſthabitis diſtinctionibus Maſorethicis, vocabulum פִימוֹ jungit cum praecedentibus, vertitque, *os ſuum claudunt*, i. e. implent, *cibis exquiſitiſſimis*. Nos autem putaverimus, vocem חלב ſumendam hoc loco eſſe ea ſignificatione, quae obtinet in lingua arabica, in qua nomen خِلْبٌ eſt *pericardium*, verbumque خلب, ex hoc nomine ortum, *affecit in pericardio*. Sic enim Teblebius ſcholiaſtes ad Haririum 3) الخلب هو غشا القلب يقال خلبني حبّ فلان اي وصل حبّة الي خلبي *nomen* חלב *eſt tegumentum cordis, diciturque* חלבני *amor alicujus, id eſt, penetravit in cor meum.* Et Haririus ipſe 4), conſeſſu XXXV. فلما خلب كل خلب وقلب اليه كل قلب *quum affeciſſet omne pericardium, atque attraxiſſet ad ſe omne cor.* Ex quibus quidem locis conficitur, haud dubiam atque incertam eſſe, quam arabico nomini tribuimus, *praecordiorum* ſignificationem. Eandem vero huic loco noſtro longe aptiorem eſſe vulgari illa *adipis*, haud difficulter intelligitur. Quemadmodum enim hebraeis מקשה את לבו *indurans cor ſuum*, Prov. XXVIII, 14. Pſ. XCV, 8. Ezech. III, 7. al. et חזק לב *firmus corde* Ezech. II, 4 ille dicitur, qui contumax eſt atque intractabilis, nec animum ſuum moveri patitur conſiliis, beneficiis, minis etc. ita credibile eſt, quando רשעים et

3) vid. Haririi tres priores Conſeſſus editi ab Alb. Schultens, Franequerae 1731. p 55.

4) vid. Haririi conſeſſus IV, V et VI editi ab Alb. Schultens, Lugd. Bat. 1740. p. 88, in not.

et איבים *occluſiſſe cor ſuum* dicuntur, homines innui, quorum animus ad nocendum ita obfirmatus ſit obſtinatusque, ut ſenſus recti probique penetrare in eum non poſſit.

Sed altero illo loco, Pſ. LXXIII, 7. evidentius etiam eſt, maxime opportunam eſſe vocis חלב ſignificationem arabicam. Verba enim יצא מחלב עינמו ſive ſic accipias, *prodit ex*, ſeu *prae pinguedine oculus eorum*, ſive cum J. Henr. Michaelis 5), ſubintellecto ex vs. 6 nomine חמס, vertas, *prodit violentia è pinguedine oculorum eorum;* utrobique ſane eſt quod valde diſplicere poſſit. Nam prius quod attinet, primo abſonum eſt, prominentiam oculorum in homine tribuere ejusdem pinguedini, cum quo magis pinguedine tument ora, eo minor plerumque cernatur oculorum prominentia. Deinde etiam grammaticae repugnat, referre verbum יצא ad nomen עינמו, quod feminino plerumque genere adhiberi ſolet. Poſterius autem ita comparatum eſt, ut vix quemquam fore putaverim, qui, quid adeps oculorum ſit, quid violentia ex adipe oculorum prodiens, intelligere ſe vere affirmare poſſit. Nec valde nobis arridet vel celeb. J D. Michaelis verſio hujus loci, vel, quae ex hac orta eſſe videtur, b. Zachariae expoſitio. Ille, ſumta lectione ערכמו, verba ſic reddit, *ex adipe prodit iniquitas*, quae ſententia, num ſenſum aliquem probabilem habere poſſit, judicent alii: auctori certe ſuo tantum abeſt ut ſe prorſus probaverit, ut de alia quadam ſubſtituenda ſe nunc cogitare ipſe ſignificet 6). Hic alia inſuper mutatione lectionis facta, ut ſit יצא כחלב עונמו, ſic habet, *malitia eorum ex ipſis ebullit*

5) vid. uberiores adnotationes Halae 1720. ad h. l.

6) vid. Biblioth. orient. et exeget. P. XII, pag. 187.

ebullit velut adeps liquidus, ſenſu, ſi quid judicare poſſumus, nec admodum elegante nec verbis hebraicis prorſus congruente. De lectione autem recte ſic ſtatui putamus, receptae voci עִינֵמוֹ praeferendam eſſe aliam, עֲוֹנֵמוֹ, quae teſtimonio Alexandrini interpretis, Vulgati, Syri, Arabis Aethiopisque confirmatur. Etiamſi enim altera illa, עֵינֵמוֹ, nitatur auctoritate non contemnenda Chaldaei interpretis, Aquilae Symmachique; tamen ita comparata eſt, ut non modo, quantum nos quidem judicare valemus, commodam explicationem non admittat, ſed etiam ex illa, עוֹנמו, facillimo librariorum lapſu potuerit exiſtere, ut fere factum eſſe videtur aliis quoque locis, velut Hos. X, 10 et Zachar. V, 6. Niſi quis malit cum Simonis 7) ſtatuere, tribus hisce locis vocem עין non oculi ſed *pravitatis* ſignificatione venire, ex uſu verbi arabici غان *pravus fuit*: in quo nos quidem non habebit valde repugnantes. Utcunque enim haec res ſe habet, licebit nobis locum noſtrum ſic interpretari,

prodit ex corde iniquitas eorum,
prorumpunt conſilia animi.

Et quis jam non ſtatim intelligat, et ſenſum eſſe planiſſimum et hemiſtichiorum praeterea ſimilitudinem ac convenientiam tantam, ut non modo חלב et לב, perinde ut in illo loco Haririi خلب et قلب, ſed et reliqua verba ſibi invicem reſpondeant exactiſſime. Quod non poteſt non magnam commendationem habere apud eos qui norunt, quam ſollemnis ſit in poëſi hebr. membrorum parallelismus.

7) in Lexico ad h. vocem.

PE

Pſ. XXXXVIII, 8.

בְּרוּחַ קָדִים תְּשַׁבֵּר אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ

Qui verba haec, vocem תְּשַׁבֵּר pro ſecunda perſona habentes, ſic vertunt, *vento orientali naves confringis*, quod poſt antiquiſſimos interpretes faciunt reliqui tantum non omnes, difficultatibus premi videntur haud contemnendis. Nam primo vix crediderim, Deum hic compellari, cum verſu demum 10 nomen אלהים vocandi caſu poſitum, antecedens autem oratio univerſa ad Deum directa non ſit. Deinde in omni hiſtoria mentio naufragii nulla facta eſt, quae huc probabili aliqua ratione referri queat. Nec tandem facile intelligitur, quamnam conjunctionem habere poſſint fractae tempeſtatibus naves cum ſolutae obſidionis beneficio, quod ſingulari quadam atque, ut videtur, prorſus mirabili ratione urbi obtigit, inque hoc carmine, ut inter omnes convenit, celebratur. Kennicottus, vir longe celeberrimus, in notis ſuis ad hunc pſalmum ſtatuit, praeferendam eſſe, quam in uno alterove libro ſcripto deprehendit, lectionem כרוח, et verſionem ſic inſtituendam, *velut quum vento orientali frangis naves* 8). Sed qui notas illas latine edidit, clariſſ. nobisque amiciſſimus Bruns1us recte, ut nobis videtur, monuit 9), parum probabilitatis habere lectionem כרוח, quod et in confirmanda lectione recepta conſentiant veteres verſiones omnes, et praeterea ellipſis, quae ſtatuenda eſſet, durior ſit quam ut facile admitti queat. Nec tamen ipſius ſententiae accedimus, quae eo redit, imperfectam, vel ſi mavis implicitam, hic ſimilitudinem eſſe, cujus nonniſi unum membrum verbis expreſſum, alterum ſupplendum ſit,

ut

8) Vid. Notas criticas etc. Lipſ. 1772. pag. 35.

9) ibid. pag. 130.

ut plena oratio haec exiſtat, *maximos reges profligaſti, prouti vento naves Tarteſſias confringis.* Putamus enim aliam ſupereſſe interpretandi rationem. Nimirum conſtat, חיל כיולדה elliptice dictum eſſe pro כחיל היולדה, ut fere Eſaias habet XXI, 3. צירים אחזוני כצירי יולדה. Illud כחיל repetendum eſt ad initium verſus ſeq. et ante תשבר ſubintelligendum אשר, ut ad ventum referatur conquaſſatio navium, coll. Ezech. XXVII, 26. Vertenda itaque oratio hoc modo,

dolor, qualis eſt parturientis,

qualis eſt furente tempeſtate, quae frangit naves Tarteſſias.

Sic ſenſus non modo planus eſt et perſpicuus, ſed elegans etiam ac fere poëticus, nec opus, ut de certo quodam ac definito naufragio cogitantes, tacente hiſtoria, conjecturis utamur incertis fallacibusque.

Pſ. LXXV, 3.

כִּי אֶקַּח מוֹעֵד

Rectiſſime quidem interpretes, quos novimus, omnes, excepto Hermanno Venema, qui admodum infeliciter tractavit hunc pſalmum, obſervarunt, duarum hic perſonarum ſermones exhiberi, probe a ſe invicem diſtinguendos: nec tamen ipſi per omnia prorſus accurate verſari nobis videntur. Conſentiunt, orationis quae Deo tribuitur initium ſtatuendum eſſe cum formula כי אקח מועד, quam reddunt, *quum nactus fuero tempus ſtatutum.* Verum enim vero, an nomen מועד, hoc ſenſu acceptum, recto cum verbo לקח conjungi poſſit, eſt quod vehementer dubitaverim. Videtur enim potius dicendum fuiſſe כי יבוא מועד,

quae

quae locutio extat Pſ. CII, 14. coll. Ezech. VII, 7. 12. Eſt autem alia vocabuli מיעד vis atque poteſtas, eademque cum verbo לקח aptiſſime conveniens. Nempe Arabicum وعد non modo ſignificat, praeſtituere tempus locumve, ſed latius etiam uſurpatur, notatque *promittere*, unde مَوْعِد non modo locus eſt tempusque praeſtitutum, ſed et *promiſſum*, quod intelligitur ex Luc. XXIV, 49. وانا ارسل اليكم موعد أبي, et dudum obſervatum eſt Ludovico de Dieu 10) et Alberto Schultensio 11). Nec tamen cum his vertimus, *cum accepero promiſſa*, quod qua ratione hic locum habere poſſit, non perſpicimus: ſed putaverimus verba, כי אקח מיעד, tanquam ad Deum directa, ſic interpretanda eſſe, *promiſſum enim obtinui divinum*, dixiſti, *juſtam ego ſententiam feram.* Deinde perſuadere nobis vix poſſumus, omnia quae ad verſum usque 10 dicta ſunt, pertinere ad orationem Dei, prout interpretibus placet. Noſtro enim ſenſui ſi quicquam tribuere liceat, aptius nobis videtur, Deique ſummae majeſtati convenientius, ſi paucis, at gravibus, verbis contineatur oraculum divinum. Itaque de univerſi carminis ſtructura et habitu haec eſt noſtra qualiscunque ſententia. Vates, ſi quidem titulo, pſalmum ad Aſaphum referenti, fides habenda ſit, de quo jure dubitari poteſt, non ſuo ipſius nomine verba facit, ſed populum inducit, ex calamitatibus, ut videtur, ab exteris ipſi inflictis emergentem. Hic igitur in gaudia erumpit laudesque Dei Soſpitatoris v. 2. Cauſa ſtatim gaudii ſubjicitur v. 3, quae in eo poſita ſit,

10) Animadverſiones in Vet. Teſt. libros omnes, Lugd. Bat. 1648, pag. 373.

11) Animadverſiones ad varia loca Vet. Teſt. pag. 174.

ſit, quod oraculum a Jehova editum fuerit, quo ſe omnia recte moderaturum, et labantem perturbatumque reipublicae Judaicae ſtatum confirmaturum eſſe declaraverit, v. 4. Nunc animoſius in barbaras gentes invehitur populus, v. 5—9, vetatque gloriari rerum ſuarum ſucceſſibus proſperis, cum jam parata ipſis ſint graviſſima ſupplicia, a Deo mox exequenda. Denique vs. 10, 11. ſpem profitetur melioris fortunae certiſſimam. — Verſu ſecundo, ut hoc obiter moneamus, haud quicquam videtur in lectione mutandum. Nam ſi obſervetur, vocem קרוב, demonſtrante SCHVLTENSIO 12) ſignificare id quod *bene notum* eſt, verbumque ספרו, imperſonaliter poſitum, non ut multis placuit praeſenti ſed praeterito tempore reddendum eſſe; prodit haec verſio plana atque perſpicua, *celebramus te, o Deus, nam notum eſt nobis nomen tuum, nota ſunt nobis* ex narratione patrum (Pſ. XLIV, 2.) *facta tua mirifica.*

Ps. LXXXI, 11.

הַרְחֶב־פִּיךָ וַאֲמַלְאֵהוּ׃

Communis interpretum ſententia eſt, contineri hiſce verbis ſponſionem Jehovae de populo ſuo omnibus univerſe bonis, quibus opus illi eſſe poſſit, explendo ſatiandoque. Et quanquam ferri poteſt haec interpretatio: videntur tamen verba alium quoque ſenſum admittere, nulli quantum novimus interpreti hoc loco obſervatum. Nempe haud admodum infrequens figura eſt ſtyli Hebraeorum, praeſertim ſublimioris, mandata atque praecepta, quae Deus dat homini, comparare cum cibo, quem Deus edendum

illi porrigat, vel adeo in os ingerat: unde porro qui mandata Dei excipit, rem a Deo propoſitam comediſſe dicitur. Sic, ut exemplis utamur, quum Ezechiel propheta cap. II, 8 ſq. volumen ex utroque latere ſcriptum comedere a Deo jubetur, ex unanimi interpretum ſententia nihil hoc aliud ſignificat, quam excitari prophetam ad excipienda Dei mandata, quae ſint deinceps ad populum perferenda: quod idem emblema extat Apocal. X, 8. ſq. Huc quoque referendus eſt locus Jerem. XV, 16 נִמְצְאוּ דְבָרֶיךָ וָאֹכְלֵם, *ſimul ac propoſiti mihi fuerunt ſermones tui, eos comedi*, h. e. ſimul atque intellexi mandata tua, promte ea alacriterque in me recepi. Nec dubitamus, quin ſimiliter intelligenda ſint verba Jerem. VI, 11, וְאֵת חֲמַת יְהוָה מָלֵאתִי נִלְאֵיתִי הָכִיל *irae Dei tam plenus ſum, ut continere eam intra me diutius haud poſſim, itaque* (infinitivo poſito pro verbo finito 13) *effundam illam.* Etenim חמת יהוה non eſt zelus pro Jehova, ut multis videtur, ſed ira Jehovae in populum, cognita prophetae et perſpecta ex revelationibus divinis; ut ſenſus ſit, tot tamque gravia ſe a Deo mandata accepiſſe ad populum, de ſumma Ipſius indignatione publice declaranda, ut ſentiat, ſe jam diutius tacere non poſſe, ſed debere tandem, rupto ſilentio, graviſſima quae reipubl. inſtent ſupplicia denunciare. Inprimis vero notandus locus Pſ. CXIX, 131, פִּי פָעַרְתִּי וָאֶשְׁאָפָה כִּי לְמִצְוֹתֶיךָ יָאָבְתִּי *diſtendo os meum atque anhelo, quod praecepta tua deſidero*, ubi os apertum nihil aliud ſignificare, quam animum diſcendae voluntatis divinae cupidum, quis eſt qui non intelligat? Neque illud omittendum, quod in arabica pariter lingua haec eadem translatio haud obſcure deprehenditur. Nempe verbum ألقم, quod proprie eſt, *glutiendum praebere*, uſur-

13) vid. SCHROEDERI Inſtitutt. pag. 351.

uſurpatur quam maxime de inſpiratione divina, diciturque كذا الله الهمه inſpiravit illi Deus hoc illudve 14). Quae cum ita ſe habeant, dubium eſſe nequit, quin verba, de quibus agitur, הרחב פיך ואמלאהו hoc modo poſſint accipi: attende animum ut inſtitutis praeceptisque meis inſtituere te poſſim: ut fere Chald. interpres habet: aperi os tuum ad *verba legis*, tum implebo illud omni bono. Et videtur omnino hic ſenſus ad reliquam orationem eſſe aptiſſimus. Eſt enim, ut omnes vident, ſermo de ſolemni foederis Sinaitici inſtitutione, commemoratque Jehova ſe populo ex ſervitute Aegyptiaca a ſe exemto hanc legem propoſuiſſe, ut Ipſum ſolum pro Deo ſuo haberent colerentque. Qua conditione accepta cum neceſſe fuerit, omnem iſtius religionis modum ac rationem legibus definire, intelligis, vix quicquam aptius et cohaerentius in oratione ſubſequi poſſe illa ipſa ad audiendas leges divinas invitatione.

Pſ. LXXXIV. 4.

גַּם צִפּוֹר מָצְאָה בַיִת וּדְרוֹר קֵן לָהּ אֲשֶׁר שָׁתָה אֶפְרֹחֶיהָ אֶת־מִזְבְּחוֹתֶיךָ יְהוָה צְבָאוֹת מַלְכִּי וֵאלֹהָי׃

De *auctore* carminis diſputatum cum ſit, non dubitamus eorum ſententiae accedere, qui putant, a Davide illud, et quidem tum compoſitum fuiſſe, cum facta per Abſalomum rerum omnium perturbatione longius abeſſet ab urbe ſacroque cultus divini publici domicilio. Atque hanc opinionem confirmare videtur primo

14) vid. SCHVLTENSIVS in animadverſ. nec non in commentario ad Proverb. XVIII. 8.

primo illud, quod, qui verba hic facit, regem ſe dicit a Deo conſtitutum, vs. 10, plane ut ſolet Davides aliis locis permultis, velut 2 Sam. XXIII, 1. Pſ. XVIII, 51. XX, 7. XXVIII, 8: deinde, quod ardentiſſimum illud deſiderium frequentandi loca Jehovae ſacra, conjunctum cum ſumma in ipſo fiducia, tam eximium erat in Davide ac paene ſingulare, ut in nullum regem alium aeque convenire poſſit: tandem, quod pſalmus hic magnam habet argumenti ſimilitudinem cum Pſalm. XLII. XLIII, quem a Davide, eoque ob turbas civiles ab Abſolomo concitatas profugo, confectum eſſe ſtatuunt praeſtantiſſimi interpretes. Verum haec utut ſint, illud quidem certum eſt, ineſſe huic carmini loca quaedam obſcura intellectuque difficilia, e quorum numero praecipue eſt verſus quartus, cujus proinde admodum diverſae extant expoſitiones. Sunt qui putant, imaginem, qua vates utitur, inde petitam eſſe, quod vere aves in altaribus nidos confecerint. Nobis autem ne ſpeciem quidem probabilitatis habere hoc videtur. Quis enim quaeſo perſuaderi ſibi paſſus fuerit, in illo loco volucres nidificaſſe, in quo non tantum quotidiana ſacrificia fierent, ſed maxima etiam cautio adhibenda eſſet ac diligentia, ne qua unquam ſorde inquinaretur. Nec quidquam probat locus Herodoti, a quibusdam citatus, Lib. I. cap. 159 ubi quis dicitur ab oraculo increpatus fuiſſe, quod *ἐξαίρε τοὺς στρουθοὺς, καὶ ἄλλα ὅσα ἦν νενεοσσευμένα ὀρνίθων γένεα ἐν τῷ νηῷ*, *paſſeres exemit aliaque avium genera quae in templo nidulabantur.* Nulla enim hic altaris mentio: ac ſi vel maxime demus, in quadam parte tabernaculi templive aves toleratas fuiſſe; neutiquam tamen exinde ſequitur, prope altaria adeo locum illis vel expetitum fuiſſe vel conceſſum. Quamquam ne illud quidem admodum credibile eſt. Certe poſteriori tempore conſtat ex teſtimonio Flavii Joſe-

 phi

PHI 15) caviſſe Judaeos, ne vel tecto templi aves inſiderent. Quod idem etiam BOCHARTO 16) obſtare videtur, putanti, altare hic per ſynecdochen dictum eſſe pro tabernaculo: in qua ſententia ſimul illud moleſtum eſt, quod, etiamſi ex EVSTATHIO HESYCHIOque obſervet MERRICKIVS 17), Graecis nomen βωμὸς nonnunquam poni pro templo, ab Hebraeis tamen מִזְבֵּחַ eodem ſenſu uſurpatum fuiſſe exemplis haud ſit demonſtrabile. HERM. VENEMA ſi audias, graviter hic errant interpretes praeter ipſum omnes, quod de avibus proprie ſic dictis hic cogitent, cum tamen Davides avium nomine ſemet ipſum et quoscunque cives, etiam viliſſimos, comprehendiſſe exiſtimandus ſit, hoc ſenſu, "etiam paſſer, qui ipſe ego ſum, et mecum alii, etiam viliſſimus quisque, invenit domum apud altaria tua,,: quod qui probare poſſit, equidem putaverim fore neminem. Aliter ſtatuendum de ea, quam b. ZACHARIAE propoſuit, interpretatione, qui ſubintellectis verbis הֲלֹא אֲנִי אֶמְצָא locum ſic exponit, *aves adeo ad nidos ſuos redeunt, nonne mihi etiam tandem ad tua altaria redire licuerit?* ſenſu certe plano ac prorſus egregio, niſi quod durior videri poſſit, ſaltem incertior, iſta verborum הלא אני אמצא ellipſis. Nos autem exiſtimaverimus, difficultatem omnem optime ſic tolli poſſe, ſi verba . . . את מזבחותיך referantur ad verſum ſubſequentem, ſumanturque pro nominativo abſolute poſito, hac ratione: *altaria tua quod attinet,*

15) de Bello Jud. Lib. V. cap. 5. §. 6. edit. Havercamp. κατὰ κορυφὴν (ὁ ναὸς) χρυσέους ὀβελοὺς ἀνεῖχε τεθηγμένους, ὡς μή τινι προσκαθεζομένῳ μολύνοιτο τῶν ὀρνέων, *in faſtigio aureis verubus horrebat templum, idque acutiſſimis, ne ab inſidentibus avibus inquinaretur.*

16) Hierozic. P. II. Lib. I. c. 8.

17) in annotatt. ad h. l.

attinet, o quam beati ſunt in tua aede qui habitant, teque continuo celebrant. Nec obſtat huic opinioni particula את. Quamquam enim frequentior ejus uſus in eo cernitur, ut accuſativo praemittatur: tamen exempla non deſunt, quae eandem nominativo etiam, quando ſubjectum certum, non indefinitum, deſignat, praefigi demonſtrant, de quo conf. Nic. Gvil. Schroedervs, grammaticus praeſtantiſſimus 18). Et neſcio, annon etiam Eſai. LIII, 8. verba וְאֶת־דּוֹרוֹ מִי יְשׂוֹחֵחַ eodem modo accipienda ſint, *et coaevos ejus quod attinet, quis eorum eſt qui animo rem conſideret,* coll. Jerem. II, 24. Imo vero haec ipſa particula את fraudi eſſe potuit diſtinctionum Maſorethicarum auctoribus, ut verba illa cum antecedentibus jungenda eſſe autumarent.

Verſu 7, qui eſt unus è difficillimis, miramur a nemine interpretum, quantum ſcimus, illius lectionis rationem habitam fuiſſe, quae exhibetur in verſionibus quibusdam antiquiſſimis, nobisque videtur perquam memorabilis. Nempe verba מַעְיָן יְשִׁיתוּהוּ (in quibusdam libris ſcriptum eſt יְשִׁיתֻהוּ) 19) ſic exprimunt LXX, *εἰς τὸν τόπον ὃν ἔθετο*, conſentiente fere Vulg. *in loco quem poſuit*, et Arab. في المكان الذي اخذه مسكنا *in locum quem ſumſit in habitaculum.* Unde colligitur, habuiſſe eos in ſuo exemplo מעון ישיתהו, quod valet etiam de verſione Syriaca, ܘܥܒܕܘܗ̇ ܒܗ ܠܡܥܡܪܐ, *et fecerunt eam locum habitationis.* Iſta vero lectio, ſi מָעוֹן ſumatur pro לְמָעוֹן, et ante יְשִׁיתֻהוּ ſubintelligatur אֲשֶׁר, ſenſum habet miri-

18) Inſtitutt. pag. 315.

19) vid. biblia hebr. edita a J. H. Michaelis Halae 1720. ad. h. l.

mirifice congruum, tranſeunt vallem Baca *ad habitaculum quod conſtituit* ſibi Jehova. — *) Sed abſtinendum putamus à loco, à cujus juſta certaque interpretatione longe nos adhuc abeſſe facile ſentimus largimurque.

Pſ. LXXXVIII, 19.

מְיֻדָּעַי מַחְשָׁךְ׃

Languide profecto exire videtur oratio, ſi verba haec, ut alias fieri ſolebat, reddantur hoc modo, *familiares mei ſunt tenebrae*, i. e. occulti, ſeu quod eodem redit, ſubintellecto praefixo ב, *ſunt in tenebris:* quapropter haud immerito hoc diſplicet recentioribus interpretibus plerisque. Et Hovbigantivs quidem putat in lectione addendum eſſe מִמֶּנִּי, *notus meus abſconditus eſt ad me*, utiturque ad hoc probandum auctoritate non modo Syriacae verſionis, quae habet, *et notos meos removiſti a me*, ſed etiam Alexandrinae, ἐμάκρυνας ἀπ' ἐμοῦ φίλον καὶ πλησίον, καὶ τοὺς γνωστούς μου ἀπὸ ταλαιπωρίας, in qua ſtatuit illud ἀπὸ ταλαιπωρίας evincere lectionem hebr. codicis מֵעָנִי, *a miſeria*, tam parum diverſam a lectione מִמֶּנִּי, ut ex hac ortum illa ſuum habeat. Sed nobis parum firma videtur haec omnis

*) [Plurimi nunc codices reperti, qui habent וישיתוהו, unus etiam codex de Ross. exhibet ישיתהו. At qui מעון haberet, repertus eſt nullus. Melior aptiorque contextui eſt lectio מעין, judice celeb. de Rossi, qui locum ſic interpretatur: Transeuntes per vallem Baca in ſcaturiginem eam mutant, i. e. irriguam ac foecundam reddunt. Significatur progreſſus benedictionum ac felicitatis, quae comitantur protectos a Deo, quasque afferunt, quocumque tranſierint.]

omnis argumentatio. Nam in Syriaca verſione illud *a me*, altera vice poſitum in eodem eoque breviſſimo commate, tam parum habet elegantiae, ut malimus illud interpretis, quam vatis ingenio tribuere. In graeca autem translatione planum eſt, verba *ἀπὸ ταλαιπωρίας* reſpondere voci מֵחֹשֶׁךְ, quam proprio ſenſu hic redditam fuiſſe eo minus mirum videri poteſt, quo uſitatius eſt Hebraeis, tenebras dicere pro calamitatibus. Perill. MICHAELIS mutato מֵחֹשֶׁךְ in מַחְשָׂךְ, vertit, *et familiares mei ſunt mihi ſubtracti*, adſtipulante MOLDENHAWERO 20), qui commode obſervat, codices et Caſſellanum 21) et Regiomontanum regium 22) vocem hanc exhibere littera Sin ſcriptam. Nec abnuit ZACHARIAE, quanquam hic maluit in verſione ſua exprimere lectionem מֵחֹשֶׂךְ, hoc ſenſu: abſtraxiſti a me amicos et ſodales meos, *familiares meos* abſtraxiſti *a tenebris*, i. e. calamitatibus, quibus ipſe obruor. Sed noſtra qualicunque ſententia nihil immutandum in ſcriptione מֵחֹשֶׁךְ. Modo teneatur, verum ac proprium vocabuli uſum in eo poſitum eſſe, ut inferorum ſedem denotet, quod intelligitur ex hujus pſalmi vs. 7, nec non Pſ. CXXXXIII, 3. Thren. III, 6. tum vero per totum carmen diffuſam eſſe ac quaſi dominari triſtem illam cogitationem de praeſentiſſimo mortis periculo, abituque ad inferos parando. Quibus obſervatis vix fieri poteſt, quin in mentem veniat accipere verba hoc modo, מְיֻדָּעַי מַחְשָׁךְ, ut ſenſus ſit, avulſis a me amicis ſodalibusque omnibus, non ſupereſt quo familiariter uti poſſim praeter ſepulchrum. Sic fere Hiobus, Cap. XVII, 14.

20) *Ueberſezung und Erlaeuterung der Pſalmen*, 1777.

21) vid. MICHAELIS Biblioth. Or. et Exeg. P. III. pag. 243.

22) vid. LILIENTHALII Comment. critica etc. pag. 395.

לשחת קראתי אבי אתה
אמי ואחתי לרמה

corruptionem compello patrem meum,
matrem ſororemque meam, putredinem.

Pſ. CII, 18.

פָּנָה אֶל־תְּפִלַּת הָעַרְעָר

Doćte, pro more ſuo, de voce ערער egit Olavs Celsivs 23), eamque *juniperum* denotare oſtendit variis argumentis, quibus addi poteſt auctoritas praeſtantiſſimi Judaeorum grammatici, R. Jonae, ſeu Abu'l Walid, Cordubenſis, qui in lexico ſuo msto ſic habet, כערער בערבה הי אלעכוב אעני אלחרשף וכדלך תרגום כעכוביתא ומא יבעד אן יכון אלערער והו מן שגר ארגבל h. e. ערער Jerem. XVII, 6 *eſt* العكوب (Acub ſeu Silybon veterum 24), *puta* الحرشف (Hiſp. alharçofa) *atque ſic etiam Chaldaeus per* עכוביתא *reddidit: nec quidquam obſtat, quo minus ſit Arabum* عرعر*, quae eſt arbor montana.* Et Jeremiae quidem orationi dubium non eſt, quin apprime conveniat iſta ſignificatio, ſed ab altero loco, de quibus agimus, eadem plane aliena eſſe videtur. Senſiſſe hoc dixeris veteres interpretes, quod, quum in illo loco, uno fere conſenſu, ſignificatione *arboris* uſi fuerint, hoc tamen eadem prorſus abſtinuerint, maluerintque ſenſum minus definite et quaſi conjectando exprimere, velut LXX, ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν προσευχὴν τῶν

23) Hierobotanici Part II, pag. 105 ſq.

24) vid. Bocharti Hierozoic. P. II, pag. 606.

τῶν ταπεινῶν, Vulg. *humilium*, Chald. רְמִסְכְּנִין *deſolatorum*, Syr. ܕܡܣܟܢܐ *miſerorum*. Recentiorum quibusdam placuit, ערער derivare ex verbo ערה, ut ſit homo *plane nudus*, h. e. auxilio omni deſtitutus: invita linguae analogia, quae docet, geminatam ejusmodi formam peculiarem eſſe verbis, quorum ſecunda radicalis vel defectiva eſt', vel quieſcit. Hovbigantivs conjecit, legendum eſſe הרערע, ex rad. רעע, *frangere*, *affligere*. Perill. Michaelis nomen ערער eodem ſenſu ſumendum eſſe ſtatuit, quem habet vox arabica غُرْغُر, quae *meleagridem* ſignificat: viderurque haec ſententia reliquis omnibus multum anteferenda. Sed ſupereſt tamen alia interpretatio, forte non contemnenda. Nempe arabicum verbum غَرْغَرَ, obſervante Alb. Schvltensio 25), onomatopoëticum eſt, ut graecorum *γαργαρίζειν*, denotatque *reciprocare ſpiritum in gutture inſtar moribundi*. Verbum rariuſcule obvium deprehendimus in libro msto, qui inſcribitur, روض الاخيار, *hortus proborum* 26), ubi cap. 50. Amru Ibn As morti jam proximus dixiſſe refertur, ان التوبة مبسوطة ما لم يغرغر ابن ادم بنفسه *reſipiſcentiae locus eſt, quo usque ſpiritus non intercluditur homini*. Itaque ערער poteſt habere ſignificationem *moribundi*, quam aptiſſimam eſſe ad exprimendam ſortem populi languentis in exilio redactique ad incitas, non eſt quod multis probemus.

25) Haririi Conſeſs. V. pag. 169.

26) conf. Herbelot Bibliotheque orientale. pag. 616. 704. 709. 901.

Pſ. CXXXI.

אִם־לֹא שִׁוִּיתִי וְדוֹמַמְתִּי נַפְשִׁי
כְּגָמֻל עֲלֵי אִמּוֹ כַּגָּמֻל עָלַי נַפְשִׁי

Senſus horum verborum mirifice perturbatus eſt à pleriſque interpretibus. Lvtheri certe verſio ita comparata, ut vix putaverimus a quoquam capi eam poſſe intelligique. Nec nobis ſatisfacit celeb. Michaelis interpretatio, *niſi comprimerem cupiditatem meam atque ſedarem, futura mihi eſſet ut infans lacte depulſus matri.* Etenim, ut non dicamus, parum accuratam eſſe eam comparationem, qua cupiditas, quae in homine eſt, cum infante componitur, primo neceſſitas haec ſtudiumque continuum reprimendae cupiditatis non bene conſentire videtur cum illa moderatione atque aequitate animi, quam verbis proxime antecedentibus de ſe praedicat carminis auctor, negans, ſe quidquam appetere, quod ſit ſupra ipſius conditionem poſitum. Deinde, niſi nos omnia fallunt, tantum abeſt, ut parvulus lacte depulſus debeat eſſe imago hominis cupiditatibus obnoxii, ut contrarium potius hujus rei aſſeverare haud dubitemus. Ea enim cum ſit, quod omnibus conſtat, parvulorum indoles, ut, dum lacte materno nutriuntur, ubera vehementer appetant; moram omnem impatienter ferant, plorent, ejulent, nec niſi mammae admoti acquieſcant, contra vero ſimulatque depulſi lacte fuerint, eo non tantum libenter abſtineant, ſed omne etiam illius deſiderium deponant exuantque; quis non intelligit, in iſta ſerie orationis puerum, ab uberibus deſuefactum, propoſitum eſſe tanquam imaginem hominis moderati, liberique à prſtinis ſuis deſideriis? Itaque loci hujus interpretatio noſtra haec eſt,

Omnino

Omnino compoſui ſedavique animum meum,
ut animus ablactati erga matrem, ut animus inquam
ablactati, eſt meus in me animus,

ad quam ulterius confirmandam ſunt nobis monenda quaedam breviter. אם לא vim habet affirmandi, ut Eſai V, 9, aliisque locis haud paucis. Repetendus hic uſus, quod vel tironibus notum eſt, ex formula juramentorum, in qua cum apodoſis ſaepe fuerit ſilentio preſſa, velut Es. XIV, 24, factum eſt, ut eadem loquendi ratio adhiberetur, etiam extra jurandi ſollemnitatem, ad firmiter graviterque aſſeverandum. — שוה, quod proprie ſignificat *complanare*, elegantiſſime uſurpatur de motibus animi ſedatis compoſitisque, cum ſit linguis fere omnibus commune, verba, *tumendi* ſignificationem habentia, transferre ad vehementiores animi commotiones ac perturbationes, quibus ille effertur quaſi et extollitur: pertinetque huc locus inſignis Habac. II, 4, ubi נפש עפלה, animum *tumefactum*, et נפש ישרה, animum *planum*, ſibi invicem oppoſitum eſſe, feliciter ac ingenioſe, ut ſolet, primus demonſtravit Nic. Gvil. Schroedervs 27). — In altero hemiſtichio כגמל utrinque poſitum eſt elliptice pro כנפש גמל. In comparationibus enim, ubi eadem res bis nominanda, interdum quidem repetitur nomen, velut Eſai. XXI, 3: frequentiſſime autem ſecundo loco omittitur, ut Pſ. XVIII, 34. XLVIII, 7. LV, 7. CIII, 5. 15. Job. XXXV, 2. Es. X, 10 al. Quae quidem obſervatio, quanquam trita videri poteſt atque obvia, tamen haud raro negligitur etiam ab optimis interpretibus: cujus rei illuſtre exemplum eſſe poteſt locus ille graviſſimus vexatiſſimusque Pſ. CX, 3. a nemine,

27) Obſervat. ſelect. ad origines hebraeas, C. IV. cujus libri prorſus eximii ſpes eſt novam, eamque auctiorem, editionem paratum iri ab auctore celeberrimo.

mine, quod ſcimus, praeter reverend. Lowthium recte feliciterque tractatus 28). — עָלַי vertendum *intra me*, videturque pleonaſtice poſitum eſſe, ut Ps. XLII, 5. 7. CXLII, 4. — Voce נַפְשִׁי ſubjectum orationis contineri, cum et ab aliis obſervatum ſit, et per ſe pateat, vix eſt quod moneamus.

Pſ. CXLVIII, 14

לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל עַם קְרֹבוֹ

Verba עם קרבו plerumque vertuntur, *populo qui ipſi propinquus eſt.* Sic habent recentiores interpretes. Venema, Michaelis, Zachariae, Moldenhawerus, aeque ac veteres, Alexandrinus, λαῷ ἐγγίζοντι αὐτῷ, Chald. עַמָּא דְּקָרִיבִין לֵיהּ, *populo qui appropinquat ei*, Syrus ܥܰܡܳܐ ܕܩܰܪܺܝܒ ܠܶܗ, *populo qui propinquus ei eſt.* Nec tamen facile quiſquam negaverit, planiorem ac ſimpliciorem fore eam interpretationem, qua קרבו ſumatur ut ſubſtantivum, idque rectum a nomine antecedenti, hoc modo: *populo propinqui ſeu amici ſui.* Atque ſic quidem Coccejus verba accipit: ſed quod ille Meſſiam hic deprehendiſſe ſibi viſus eſt, veremur ut juſtis rationibus poſſit probari. Nobis autem ad Abrahamum referenda videtur iſta magnifica appellatio. Hic enim ille eſt, qui non modo אהב האלהים dicitur Eſai. XLI, 8 et II Chron. XX, 7, ſed etiam, quod diſerte teſtatur Jacobus, apoſtolus, II, 23, honorificentiſſimum nomen, φίλος Θεοῦ, obtinuit. Extat praeterea locus memorabilis in Corano, Sura IV, v. 124, واتخذ الله ابرهيم خليلا *Abrahamum adſcivit ſibi Deus amicum.* Huic alium adjun-

28) de ſ. poëſi hebr. pag. 207. edit. II. Goetting.

adjungimus ex dicti libri, cui titulus eſt Hortus proborum, eodem cap. 50 لما احتضر ابراهيم عليه السلام قال هل رايت خليلا يقبض روح خليله فاوحي الله هل رايت خليلا يكره لقاء خليله قال فاقبض روحي الساعة h. e. *Abrahamus moribundus cum dixiſſet: an unquam vidi amicum animam adimere amici? reſpondit Deus: an vidi unquam amicum averſari occurſum amici ſui? Tunc ille, adime igitur, inquit, animam meam protinus.* Sed Arabibus univerſe nihil frequentius eſt, quam Abrahamum non modo خليل الله, *amicum Dei* ſed breviter etiam atque ſimpliciter الخليل, *Amicum*, nominare.

VI.

VI.

AD PSALMVM X.

Pſalmus, quem tractandum hac occaſione nobis ſumimus, etſi haud ita comparatus eſt, ut inter longe difficillimos referri debeat, et commentatorem quoque ſuum nactus eſt doctum atque diligentem, Jo. Wilh. Schroedervm, cujus commentarius ſatis copioſus prodiit Groningae MDCCLIV, habere tamen quaedam nobis viſus eſt nondum tam ſoluta atque expedita, quin novam aliquam diſputationem admittere poſſent. *Argumentum* ejus quod attinet, graviſſime de eo apud Deum conqueritur auctor, quod improbi, in vexandis opprimendisque aliis proſpera fortuna utentes, omnem majeſtatis divinae reverentiam abjiciant, Deumque humanarum rerum curam habere audacter negent. Et vulgaris quidem opinio eſt, agi in hoc carmine de ejusmodi improbis, qui et ad ipſam gentem Iſraeliticam pertinerent, et in Davidem potiſſimum ejusque amicos ſaevirent. Sed rectius de hac re judicaſſe nobis videtur perill. Michaelis, qui exiſtimat, barbararum hic gentium furorem deſcribi, quae armis aliquandiu ſuperiores Iſraëlitarum fines incurſionibus et latrociniis infeſtaverint. Nihil enim eſt, quod de domeſticis hoſtibus cogitare nos jubeat, ſed quae contrarium ſuadeant, plura ſunt, praecipue quod Deus ex ditione ſua barbaras gentes exterminaturus eſſe dicitur v. 16, ex quo planiſſime ſequitur, Judaeam tum obnoxiam fuiſſe copiis hoſtilibus. *Auctorem* vero Davidem ſtatuere, non modo nihil prohibet, ſed ſuadet etiam eximia illa in benevolentia Dei fiducia,

cia, meliorisque conditionis certiſſima expectatio v. 16 ſq. qua lugubria ſua carmina finire ſolet Davides et quaſi inſignire. Caeterum in hac noſtra qualicunque opera ſic verſabimur, ut primo ſingula, quae lucem deſiderare videantur, illuſtrare ſtudeamus, deinde latinam carminis verſionem ſubjiciamus.

---

v. 1.

תַּעְלִים breviter dictum eſt pro תַּעְלִים עֵינֶיךָ, quod extat Levit. XX, 4. 1 Sam. XII, 3. Eſai. I, 15. Ezech. XXII, 26. Prov. XXVIII, 27. Eminus ſubſiſtere, oculus claudere Deus Hebraeis tum dicitur, quando differt opem deſideratam, precibusque nihil tribuere videtur.

לְעִתּוֹת בַּצָּרָה) vox בצרה recte ab Herm. Venema, ad Pſ. IX, 10, derivatur e verbo בצר, quod *ſiccitatis* notionem habere intelligitur, non quidem ut cel. Schvlzio ad loc. cit. viſum eſt ex arab. بَصَرَ, ſed certe ex nomine chald. בַּצּוֹרְתָּא, quod hebraico צמא reſpondet Eſai. V, 13. Hoſ. II, 5 (3). Siccitas autem quo moleſtior eſſe ſolet in illis regionibus, eo facilior erat illius vocabuli translatio ad calamitatem univerſe deſignandam.

v. 2.

יִדָּלְקוּ) copioſe de verbo hoc agit Schroedervs. *Perſequendi*, *exagitandi* notionem cum eo conjunctam eſſe, apparet tum ex lingua arabica, in qua دَالِقٌ proprie dicitur de *gladio* è vagina prociduo, tropice de *turma* quae cum impetu irruit, tum ex locis, Gen. XXXI,

XXXI, 36. 1 Sam. XVII, 53. Thren. IV, 19. Sed cum duriuſculum ſit, vel יִדָּלְק impersonaliter ſumi, vel repeti nomen רָשָׁע; videtur potius dicendum eſſe יִדָּלֵק Niph. quod etiam membrorum parallelismo multo eſt convenientius. Etenim verbum יתפשו non, ut quibusdam placuit, quibus accedit celeb. Koehlervs, Repertor. bibl. et orient. P. III, referendum eſt ad רשע, ſed potius ad nomen in caſu recto poſitum עני, ut ſit continuata deſcriptio adverſae illius fortunae, qua confligtandum ſit inferioris conditionis hominibus. Caeterum voces רשע et עני de tota hominum multitudine ſumendas eſſe, vel exinde intelligitur, quod verba modo ſingulari numero, modo plurali poſita eſſe conſpiciantur.

v. 3.

Verba הִלֵּל רָשָׁע עַל־תַּאֲוַת נַפְשׁוֹ plerumque ſic vertuntur, *gloriantur improbi de concupiſcentia ſua*, quod omnia ipſis ex voto ſuccedant. Sed quamquam locus Pſ. XLIV, 9 afferri ſolet ad probandam vim intranſitivam verbi הִלֵּל; certum tamen eſt, verbum הלל ac התהלל nunquam ita uſurpatum eſſe, ut res, de qua quis gloriatur, particulam על ſibi habeat praemiſſam. Noſtra igitur ſententia formula על תאות נפשו nihil aliud ſignificare hic poteſt, quam, *ſecundum deſiderium animae ſuae*, i. e. ex voto, ex animi ſententia. Verba vero הִלֵּל ac בֵּרֵךְ, mutatis vocalibus, paſſive ſunt efferenda, הֻלַּל, בֹּרַךְ, praeeunte verſione Alexandrina, *ὁτι ἐπαινειται ὁ ἁμαρτωλος ἐν ταις ἐπιθυμιαις της ψυχης αὐτȣ, και ὁ ἀδικων ἐνευλογειται*, quam ſequitur Vulg. atque Arabica. Amborum autem ſignificatio eadem eſt, nempe, *beatum praedicare*, ſuntque eodem modo hic conjuncta, quo Jer. IV, 2. — בֹּצֵעַ univerſe quidem denotat iniqui lucri

cri ſtudioſum: ſed hoc loco hoſtes intelligendi eſſe videntur, qui latrociniis ac praedationibus fines tum infeſtabant. Sic Habac. II, 9 rex Chaldaeus dicitur בוצע בצע רע, non quod avarus eſſet, ſed quod expugnandi libidine captus alienis provinciis inhiaret, belloque omnia vaſtaret. — Duo poſtrema hujus commatis vocabula ad ſequentem verſum ableganda ſunt, ut ſtatim videbimus.

V. 4.

בַּל־יִדְרֹשׁ ad רשע referunt fere plerique interpretes, hoc tamen diſcrimine, ut vel, praeeunte chald. verſione, ſuppleant accuſativum אלהים, *improbus non quaerit Deum*, quod viſum eſt Grotio, Geiero, al. vel particulam בַּל ſubſtantive accipiant, velut, praeter Schroedervm et cel. Knappivm, perill. Michaelis et cel. Schvlzivs, quorum uterque verbo דרש notionem *ſentiendi* tribuit, eamque, ut Schvlzivs notat, petitam ab arab. درس, quod vero, quantum nos videre poſſumus, ſignificat quidem *terere*, non vero ſentire ſeu percipere. Rectius alii, velut cel. Koehlervs, impiorum de Deo opinionem deſcribi his verbis exiſtimant, quod v. 13 omnino poſtulat. Ita qui ſtatuunt, ſubaudiendum eſſe poſt vocem אַפּוֹ putant verbum אָמַר, quod quidem Harivs, Anglus (vid. Annotations on the Pſalms, by J. Merrick, Reading 1768) ad lectionis adeo integritatem requirere velle videtur. Sed tali vel ſenſus vel lectionis ſupplemento prorſus non opus eſt, ſi, quod diximus, voces נאץ יהוה, quibus commode carere poteſt verſus antecedens, ſequentibus jungantur, hoc modo,

נאץ יהוה רשע כגבה אפו

בל ידרש אין אלהים כל מזמותיו

quo facto egregius eſt inter hunc verſum et, quem huc reſpicere nemo facile negaverit, decimum tertium. Viderunt hoc Hovbigantivs, Venema, Seckervs apud Merrickivm, atque etiam b Zachariae, qui tamen, quod בל ידרש a ſequentibus ſejungeret, et ipſe verbum אמר ſubaudire neceſſe habuit.

Formulae אין אלהים non poteſt ille eſſe ſenſus, quod improbi negent, eſſe Deum, quod profecto parum conſentiret cum reliquis eorum dictis v. 11; ſed, divini numinis rationem habendam, a Deo quidquam vel timendum eſſe vel ſperandum, hoc vero eſt quod negaſſe dicuntur ferociſſimi illi homines. Similiter 2 Sam. XIX, 7 dicitur, אין לך שרים ועבדים, *duces tuos miniſtrosque tu haud curas.*

Diſplicet in כגבה particula כ cel. Schvlzio, quod ſit per errorem ex ב orta, et tolerabilem interpretationem nullo modo admittat. Enimvero, quamquam ב a verſione chald. et ſyr. exprimitur, extatque etiam in Bombergianis quibusdam editionibus, ab Jo. Henr. Michaelis in ſua bibliorum hebr. editione commemoratis, lectio tamen כ nititur auctoritate non Alexandr. modo interpretis cum Vulg. et arab. ſed et Aquilae Symmachique: eſtque profecto hoc loco noſtro non minus apta quam ex. gr. in formula illa כרב חסדו Pſ. CVI, 45 aliisque ſimilibus multis. — *Elationem naſi* etiam Arabice dici pro ſuperbia, exemplis comprobavit Alb. Schvltensivs in animadvers. ad varia loca V. T. ad h. l. quibus nos addimus hoc, ex Abvlpharagio deſumtum, qui Nebuchadnezari

nezari inſolentiam his verbis deſcribit, طغا بغلبة وشمخ بانفة واخذته العزة في نفسه, *elatus eſt corde ſuo, atque altus fuit naſo ſuo, occupavitque eum ſuperbia in animo ejus*; vid. Abulpharagii hiſt. dynaſtiarum ab Ed. Pocockio editam Oxon. 1663, pag. 76. conf. etiam Anthologia ſententiarum arab. edit. a celeb. Henr. Alb. Schultensio Lugd. Bat. 1772, pag. 74.

v. 5.

יָחִילוּ) ad Schroederi ſententiam nos cum aliis multis accedimus, qui verbo חול ſ. חיל notionem *diſtortionis* tribuit, quam habet arab. حال. Aliter viſum eſt cel. Koehlero, qui *roboris* ſignificationem cum eodem verbo conjunctam aptiorem huic loco ſtatuit. Enimvero talis loquendi ratio, qua *valida* eſſe dicitur via, durum quid atque inſolitum habere nobis videtur, cum contra nihil frequentius ſit in hebr. ſermone altera illa, qua *via curva*, *contorta*, *flexuoſa*, adhibetur ad vitae morumque perverſitatem ac pravitatem deſignandam. Neque in eo nos aſſentientes habet idem vir celeb. quod vocem דְרָכָו vitioſe ſcriptam eſſe exiſtimat. Recte enim, ut nobis quidem videtur, obſervavit ſubtiliſſimus grammaticus, Nic. Guil. Schroederus, Jod multitudinis interdum ante adfixa omitti, per ſcribendi compendium. vid. ej. inſtitutt. ad fundam. ling. hebr. pag. 224 edit. Groning.

מָרוֹם מִשְׁפָּטֶיךָ מִנֶּגְדּוֹ) verba haec non prorſus expedita ſic interpretamur, ut ſumto מרום pro בַּמָּרוֹם, velut Pſ. XCII, 9. Eſai XXII, 16, מ voci נגדו praefixum negandi vim habere dicamus. נֶגֶד ſignificat non modo locum, qui eſt e regione poſitus, ſed et rem

 ipſam

ipſam in hoc loco verſantem oculisque objectam, quod maxime cernitur in illis locis, quibus aliquid נגד ſimpliciter dicitur, v. g. Pſ. XLIV, 16. Pſ. LI, 5. al. Itaque ad verbum vertimus, *alte poſita ſunt judicia tua, ut non ſint oculis ejus objecta.* משפטי יהוה, proprie ſententiae a Jehova latae, non tam leges a Deo dictas hoc loco innuere videntur, quam potius ea omnia, quae jubente Deo eveniunt, ipſiusque ſummam in regendis rebus humanis poteſtatem majeſtatemque demonſtrant: ut ſenſus ſit, ſpecimina illa, quibus Deus rerum omnium dominum ſe comprobat, non attendit.

כל . . . בהם Alexandrinus vertit *παντων των ἐχθρων αὐτȣ κατακυριευσει*, non quod יפיח ad vocem פחה referret, quod celeb. Koehlero viſum eſt, ſed quod putaret, hebraicae dictionis audaciam nonnihil eſſe mitigandam.

v. 6.

Non hic immorabimur examinandis variorum interpretationibus, quas diligentiſſime recenſet Schroedervs in ſuo commentario. Qui hunc ſecuti ſunt interpretes, in eo conſpiraſſe videntur, quod in punctis vocabulo אשר ſubjectis vitium lateat, unde loci hujus obſcuritas nata ſit. Venema in ſuo commentario ad h. l. primus, quantum nobis quidem conſtat, אֲשֶׁר mutandum ſuaſit in nomen ſubſtant. אֹשֶׁר, *felicitas*, quam deinde ſententiam aſſenſu ſuo ornarunt perill. Michaelis (vid. Biblioth. Or. et Exeg. P. XI. p. 202), cel. Schvlzivs, atque etiam ven. Moldenhawervs. Zachariae maluit אִשֵּׁר, infinit. ſeu nomen ex Pihel ductum, adſtipulante cel. Knappio, quamquam hic et alteram formam אַשֵּׁר haud improbat. Denique cel. Koehlervs uti mavult adjectivo nomine אָשֵׁר.

Enim-

Enimvero, quod pace tantorum virorum dictum ſit, nobis non adeo commendabilis eſſe videtur iſta interpretandi ratio, cum fere illud, *non cum calamitate*, neſcio quid languidum habeat atque exile, debebatque ex conſuetudine linguae hebr. pro לא ברע dictum eſſe בְלֹא־רָע, conf. Schroederi Syntax. particul. reg. 94. Praeterea putaverimus, etiam non mutata ſcriptura Maſorethica ſenſum obtineri poſſe non contemnendum. Vtimur nimirum alio loco, qui huic noſtro ſimillimus eſt, Exod. XXXII, 22 אתה ידעת את העם כי ברע הוא, *tu noſti populum quod pravus ſit*, in quo perſpicuum eſt, רע non de miſeria dictum eſſe, ſed de pravitate morum et vitae, atque praef. Beth ſingularem illum uſum habere, de quo ſubtiliter, ut ſolet, diſſerit ven. Storrius noſter, in obſervatt. ad analogiam et ſyntaxin hebr. pertinent. pag. 451 ſq. Similiter itaque hunc noſtrum locum ſic interpretamur: *cogitat ſecum, nunquam ego vacillabo, utpote qui non ſum pravus.* Ac profecto magnam hic ſenſus vim habet ad eorum de quibus ſermo eſt turpitudinem augendam, quod protervia eorum tanta eſſe dicitur, ut depoſito omni pudore ſibi ipſis boni honeſtique homines eſſe videantur, dum fraudibus, perjuriis reliquisque ſceleribus omnibus indulgeant.

v. 7.

Vocabulum תֹּךְ, quod nonniſi in Pſalmis occurrit, *doli* ſignificatione plerumque accipitur, duciturque a rad. תכן, quam cum arab. تَكَّ *ſecuit*, conferendam eſſe cenſet Schultensius in commentar. ad Prov. XXIX, 13. et Schroederus ad h. l. Sed videtur potius cum Edm. Castello, in lexico, derivandum eſſe a verbo תְּוַךְ, quod in Syriaca verſione ſupereſt, reſpon-

ſponderque hebraicis עשק Prov. XXVIII, 3, et גזל Prov. XXII, 22. Ezech. XVIII, 18. Itaque nomen ܛܘܠܡܢܐ inde ortum haud dubie ſignificationem habet violentiae atque oppreſſionis, eandemque hebraico etiam nomini tribuendam eſſe eo credibilius eſt, quod tribus illis locis, quibus hoc extat, illud ipſum ܛܘܠܡܐ adhibitum eſſe cernimus ab eo, qui pſalmos ſyriace convertit.

תַּחַת לְשׁוֹנוֹ) Metaphora ducta eſt a ſerpentibus, qui venenum pelliculis incluſum ſub lingua et dentibus habent, idque in vulnus dentibus ſuis factum immittunt.

v. 8.

Vocabulum חָצֵר duplicem poteſtatem habet, ut et *atrium* ſignificet, et *villam*, utrumque ſine dubio a *cingendo*, ut ex Arabica lingua intelligitur, in qua, teſte Gievhario, حصرة idem eſt ac ضيق عليه واحاط به, *arctavit illum et cinxit.* Hinc حصار eſt locus ſeptus, munitus, poniturque hoc vocabulum plur. numero حصاير, pro מצרות, Jud. VI, 2. Atque haec quidem ſignificatio multo convenientior huic loco nobis videtur, quam vel atriorum vel villarum notio, praeſertim, quod ex natura linguae hebr. poſterius nomen, ſcilicet rectum, adjectivi locum teneat, ut מארב חצרים ſit, *inſidiarum locus munitus.*

De voce חלכה diligentiſſime, praeeunte Schultensio, in Animadv. ad h. l. diſputavit Schroederus, oſtendens, Arab. verbum حلك proprie *nigredinem* ſignificare, eamque intenſam, tropice autem,

ut

ut fere ſit in aliis quoque linguis, *calamitatem*, unde عُمْرٌ حَالِكٌ, *vita atra*, i. e. funeſta, اَلْحَظُّ اَلْحَالِكُ *fortuna atra*, i. e. adverſa, uſurpatur auctori hiſtoriae Timuri. Nec abludunt verſiones veteres. Etenim Alexandrinus bis habet *πενης*, tertia vice *πτωχος*, Chaldaeus modo מִסְכֵּנָא, modo עַנְיָא, Syrus ܡܣܟܢܐ, hoc verſu et 14.

יצפנו) eodem prorſus modo verbum hoc uſurpatum cernitur Prov. I, 11 et 18, niſi quod his locis oculorum mentio non facta. Et poſſit omnino mirum videri, quod ad oculos maxime hic referatur occultatio, cum tamen haud magis quam reliquae corporis partes occultari debeant. Enimvero, ut monet S. V. Ernesti opuſc. philol. et crit. pag. 173, hebraeorum mos eſt, homines exprimere per partes corporis, quarum qualiscunque ſit conjunctio cum re ea, quae illis tribuitur: idque dum faciunt, nihil de iſtis partibus cogitant, ſed totam perſonam animo contuentur. Vnde conſequitur, hanc loquendi formam non aliter accipiendam eſſe, ac ſi breviter et ſimpliciter dictum foret יצפנו — Sed de lectionis veritate hic etiam diſpiciendum. Alexandrinus interpres habet, *οι οφθαλμοι αυτȣ εις τον πενητα αποβλεπȣσι*, et Syrus, oculi ejus ad miſerum ܢܚܘܪ *reſpiciunt*. Hinc colligit celeb. Koehlervs, adfuiſſe in vetuſtiſſimis libris lectionem יִצְפֹּר, eandemque receptae eſſe anteponendam. Sed cum neuter, quod hoc noſtro loco poſuit, verbum adhibuerit in reliquis locis ad exprimendum צפה (vid. Pſ. V, 4. XXXVII, 32. LXVI, 7); utriusque vertendi ratio non tam ex lectionis diverſitate derivanda eſſe videtur, quam potius ex eo,

 quod

quod ſenſum quam verba exprimere maluerit. Praeterea recepta lectio firmatur auctoritate chaldaicae verſionis, oculi illius in miſerum יִטַּשְׁרָן, *deliteſcunt*: altera vero, יצפנו, adeo facilis eſt, expedita atque obvia, ut probabilis ratio intelligi non poſſit, cur in illam, יצפנו, minus certe obviam atque perſpicuam, transmutata fuerit.

v. 9.

Vocabulum סֹךְ de *luſtro* leonis uſurpatur etiam Jer. XXV, 38 et Job. XXXVIII, 40. Ortum eſt nomen a verbo סכך, arab. شَكَّ, quod ſignificat proprie, *rem rei inſerere.* Scholiaſtes ad carmen Caabi, v. ٢٢ اصل الشكّ ادخال الشي في الشي *propria ſignificatio verbi* שכך *eſt, rem rei inſerere* (vid Caab ben Zoheir carmen etc. ed. a Ger. Jo. Lette, Lugd. Bat. 1748. pag. 43 et 161): unde סֹךְ proprie tugurium eſt ex conſertis frondibus factum, diciturque de luſtro leonis, quoniam leo, ubicunque degat, luſtrum habet vel in antro, vel in vepretis, vel in denſis arboribus, ubi latet interdiu, tanquam in inſidiis. vid. Bocharti Hierozoic. P. I. L. III. c. 2. — Verbi חטף, in hebraicis libris rarius obvii, ſignificatio, *rapuit*, certiſſime conſtat tum ex lingua chald. atque ſyriaca, tum ex uſu verbi خَطَفَ apud Arab. quibus participium الخاطف, *rapax*, abſolute poſitum *lupum* deſignat, ut ex Camuſo docet Schvltensivs ad Prov. XXIII, 28. Sed haec fere levia ſunt atque nota: plus vero difficultatis ineſt in ſequenti formula.

במשכו ברשתו) Vertitur ſive, *dum ipſe trahit rete ſuum*, ſive, *dum trahit illum in rete ſuum*, ſive, *dum trahit*

trahit eum reti ſuo comprehenſum. Sed quodcunque eligas, profecto parum concinnam habebis ſententiarum ſeriem. Quaenam enim quaeſo conjunctio poſſit eſſe retis cum leone? Qui poſſit idem et leonis ſimilitudinem habere et ſimul rete tractare? Quis ferat,

> humano capiti cervicem pictor equinam
> jungere ſi velit?

Senſit hoc incommodum Schroederus, idque ea ratione tollere tentavit, ut diceret, vocabulo רֶשֶׁת hic non innui rete ſenſu proprio, ſed luſtrum leonis, „quippe quod denſis arbuſtis virgultisque perplexum, reticulata quaſi forma conſertum, eximie retis ſimilitudinem referat.„ Sed cum longius hoc recedat ab uſu loquendi, alia quaedam interpretandi ratio circumſpicienda eſt. Itaque putaverimus, verbis יחתף עני novum verſum, novamque ſimilitudinem inchoari, ut qui modo cum leone comparatus eſſet, idem nunc *venatoris* perſonam teneat. Jam utrumque ſuffixum referendum erit ad רשע, formulae autem, משך ברשתו, ſenſus determinandus ex loco ſimili, 1 Reg. XXII, 34 ואיש משך בקשת, in quo verbum משך haud dubie ſignificationem habet vel *prehendendi* vel *tenendi*. Itaque etiam noſtri loci ſenſus poteſt eſſe hic, *rapit miſerum, dum ipſe*, vel *prehendit*, vel *tendit rete ſuum.* ישח vertimus, *procumbit*, maxime ex auctoritate loci Job. XXXVIII, 39. 40, num tu venaberis leaenae praedam? num appetitum catulorum implebis, quando *procumbunt* in luſtris, ſedent in tugurio ad inſidiandum? Jam verbum וְדָכָה, ſeu יִדְכֶּה, forte יִדַּכֶּה Hitphaël, quid ſignificet, ex ipſa ſerie atque ordine orationis haud difficulter intelligitur. Scilicet *comminuitur* nihil hic aliud eſſe poteſt quam *colligit ſe contrahitque*, ut deliteſcat: quod fere facere ſolent,

ut conſtat, qui feris avibusque inſidiantur. Reliqua hujus verſiculi verba ſunt ſatis perſpicua, modo teneatur, quod Schulzio Knappioque VV. CC. obſervatum eſt, nomen עצום *vinculi* notionem hic habere, perinde ac arab. عصام. Objicit quidem cel. Koehlerus, nullibi hanc ſignificationem in hebr. libris occurrere, mavultque עצומים de *validis* leonis *unguibus* accipere. Sed noſtra quidem ſententia, ut diximus, ad leonem haec nullo modo videntur eſſe referenda.

v, 12.

Praeferendam cenſet cel. Koehlerus lectionem אֵלִי, quae ſit ſuffragiis Alexandr. Syr. Vulg. Ar. Aquil. et Symm. munita. Sed de Alexandrini certe lectione juſta eſſe poteſt dubitatio. Nam in Alexandrino quidem codice legitur *κυϱιε ο Θεος μȣ*, conſentiente verſione arab. polygl. ſed in Vaticano libro deeſt *μȣ*, et Vulg. habet, *exurge Domine Deus*. Nobis omnino videtur pronomen ab interpretibus illis ex ingenio additum fuiſſe: neque enim ut Deum ſibi propitium, ſed ut talem qui vere Deus ſit, Jehova ſeſe demonſtret, precatur auctor carminis.

נשא ידך) Senſus, vim tuam exſere. Loquendi formula ab eo deſumta, qui poſtquam otio indulſit, manibus in gremio repoſitis, ſurgit tandem manumque ſublatam operi faciendo admovet.

v. 14.

ראיתה) oppoſitum hoc eſt protervae impiorum opinioni vers. 11, Deum nil quidquam eorum videre, quae ipſi ad alios vexandos opprimendosque moliantur. Affirmat itaque carminis auctor, certiſſime haec omnia

omnia cognoviſſe Deum, ut qui univerſe obſervet diligentiſſime, quidquid moleſtiae atque noxae homini inferatur: poenas quidem deliſtorum nonnunquam differri, ſed delicta ipſa tanta cum cura notari a Deo, ut non poſſint non ſubinde in memoriam ipſius redire. Formulam לתת בידך plerique interpretes ita accipiunt, ut verbo נתן ſignificationem reddendi tribuant, *ut reddas manu tua*. Sed rectius, noſtro quidem judicio, ex Geiero docet Schroedervs, ſenſum formulae repetendum eſſe ex loco Es. XLIX, 26, *ecce palmis te meis inſculpſi.* Non quod de pugillaribus hic cogitandum ſit manui impoſitis, ut Schroedero videtur, nam qui in tabulas manui impoſitas aliquid refert, dici profecto non poteſt in manu ſua illud notaſſe. Sed eſt loquendi hic modus ab illo deſumtus, qui ut certus eſſe poſſit de rei cujusdam memoria conſervanda, notam manui imprimit, quae non poteſt non rem ipſam perpetuo in animum ipſius revocare.

עליך יעזב) Singularis eſt hoc loco verbi עזב cum particula על conjunctio: neque tamen multum diſſimilis illi ſtructurae, quae extat Job. XXXIX, 11. Non eſt, cur יַעֲזֹב, praeeunte Alexandrino, mutetur in יֵעָזֵב Niphal; pronum enim eſt, accuſativum, זאת, ſubintelligere, ut ſenſus ſit, miſerum cum vexationes quibus obnoxius ſit, tum res ſuas univerſas tuto committere Deo et poſſe et debere. Voce יתום generatim comprehendi videntur quotquot humano auxilio deſtitutos ſe eſſe ſentiunt.

v. 15.

Si accentuum habenda ſit ratio, vertendum eſt poſterius membrum hoc modo, *et ad malum quod attinet, inveſtigabis ejus improbitatem, nihil invenies.* Sunt autem, qui vocem ורע antecedentibus jungere malunt,

lunt, quibus et nos accedimus, ita tamen, ut videatur nobis וְרָע mutandum eſſe in וְרַע, imperat. verbi רעע, eam maxime ob cauſam, quod qui carminis argumentum eſt tyrannus ſatis conſtanter nonniſi nomine רשע ſolet deſignari. Senſum formulae, multis haud bene intellectae, qua quid, ſi vel ab ipſo Deo inveſtigetur, deprehendi poſſe negatur, optime aſſecutus eſt Schroedervs, qui docet, de ejusmodi rebus illam adhiberi, quae ſint ita prorſus ad nihilum redactae, ut ne minimum quidem earum veſtigium ſuperſit. Sed ingenioſa eſt Harii conjectura, quam apud Merrickivm commemorat probatque Seckervs, legendum eſſe תדרוש רשע ובל תמצא. Certe enim plus ponderis habet atque dignitatis, ſi improbus ipſe, quam ſi vis illius ac libido nocendi tolli a Deo penitusque deleri dicatur. Itaque et nos emendationem hanc Harianam tenendam eſſe exiſtimamus.

v. 16.

Non hic ſermo eſt de ſummo illo Dei imperio, quo res univerſe omnes moderatur atque gubernat, ſed innuitur ipſius ſingularis illa cum Iſraëlitis conjunctio, qua effectum eſt, ut et ipſi praecipua quadam ratione Jehovae tanquam regi ſuo ſubeſſent, et ditio, quam tenerent, terra Jehovae ſacra et propria audiret, Levit. XXV, 23 al.

אבדו futuri ſignificationem hic habet, etſi verbum aliud, in futuro poſitum, in ſuperiore ſententia haud conſpicitur. Quod enim ſaepe fit, ut futurum, quo ſpectat praeteritum futuri ſignificationem induens per ellipſin ſupprimatur, id hoc quoque loco accidit, quo poſt יְהוָה ſubaudiendum eſt יִהְיֶה. Nec obſtat abſentia copulae Vav a verbo אבדו: nam in ſtilo ſublimiore etiam hac abſente futuri ſenſum induit

duit praeteritum alii futuro ſubjunctum. conf. celeb. NIC. GVIL. SCHROEDERVS de ſynt. verborum reg. XLVII. 7. 8. Senſus itaque eſt, Jehovam ſeſe populi ſui regem demonſtraturum eſſe, barbarasque gentes ſui imperii finibus ejecturum.

v. 17.

Celebratur hoc verſu eximia Jehovae, ut regis, erga illos qui ipſius imperio ſubſint, gratia ac benevolentia, qua effecturus ſit, ut mala ex barbarorum incurſionibus orta brevi tollantur reparenturque. Scilicet debellatis pulſisque hoſtibus fore, ut rex, data civibus ſui adeundi copia, afflictos animos blanda compellatione recreet exciteque, ac ſingulos de injuria accepta querentes benigne audiat, ut, dum ſingulorum deſideriis ſatisfiat, univerſa reſpublica in antiquum ſtatum reſtituatur, non amplius ab hoſtibus turbanda. — Sed evidens eſt, verba, לשפט יתום ודך, non debuiſſe ab antecedentibus divelli.

v. 18.

Magnus quidem eſt recentiſſimorum interpretum in eo conſenſus, ut ſtatuant, verbis אנוש מן הארץ deſignari infenſos illos homines, quorum audacia ante commemorata ſit, hosque eapropter *terrenos* dici, quod fragiles ſint atque invalidi, ſi cum Deo comparentur. Nec tamen illa doctiſſimorum virorum auctoritas movere nos poteſt ad hanc ſententiam amplectendam. Quotiescunque enim hominis e pulvere origo innuitur, ſatis conſtanter adhiberi ſolet nomen עפר, atque אדמה, velut Gen. II, 7. III, 19. Ps. CIV, 29. CXLVI, 4. Eccles. III, 20. XII, 7. Job. X, 9. XXXIV, 15: vocabulum autem הארץ hoc ſenſu adhibitum eſſe neſcio an vel unico exemplo demonſtrari poſſit.

poſſit. Itaque tutius omnino videtur, nomen הארץ ea ſignificatione accipere, qua modo adfuit vs. 16, verboque ערץ vim tranſitivam tribuere, quam habet quoque Job. XIII, 25. Neque huic interpretationi multum obſtat, quod nomen, unde pendet יוסיף, expreſſum non ſit. Nihil enim vetat, vel nomen רשע ex ſuperioribus repetere, vel ſubintellecto nomine איש locutionem imperſonalem ſtatuere. vid. Schroederus de ſynt. verb. reg. LX.

VERSIO LATINA.

1 Quare, Jehova, ſubſiſtis eminus,
claudis oculos tempore calamitatis?

2 Superbientibus improbis exagitantur miſeri,
comprehenduntur machinationibus, quas illi excogitant.

3 Nam celebrantur improbi, ex animi ſententia,
et rapaces praedicantur beati.

4 Spernunt Jehovam improbi pro faſtu ſuo,
nihil cognoſcere, nihil valere Deum, eſt quod ſemper cogitant.

5 Perverſa eſt nunquam non vita eorum,
regimen tuum haud animadvertunt,
omnes, qui reprimere ipſos audent, difflant.

6 Opinantur, nunquam non ſalvos ſe futuros eſſe,
utpote qui non ſint pravi.

7. Exe-

7 Execrationes in ore habent, ac dolos oppreſſionesque,
evomunt moleſtiam atque injuriam.

8 Sedent in locis inſidiarum munitis,
in latebris occidunt innoxios,
ſpeculantur calamitoſos.

9 Inſidiantur in latebra, velut leo in vepreto ſuo,
inſidiantur, ut rapiant miſeros.

10 Rapiunt miſeros, dum rete ſuum tendunt, contrahunt ſe, procumbunt,
inciditque in laqueos illorum multitudo calamitoſorum.

11 Opinantur, oblitum eſſe Deum,
seceſſiſſe illum, nec unquam quidquam viſurum.

12 Euge Jehova Deus, exſere manum tuam,
ne obliviſcaris miſerorum.

13 Cur ſpernant improbi Deum,
opinentur, te nihil cogniturum?

14 Vidiſti! nam tu moleſtiam ac vexationem contueri ſoles, ad eas notandas in manu tua,
tibi committat calamitoſus, auxilii inopes tu adhuc juviſti.

15 Frange vim improborum et comminue,
ſi ipſe adeo quaeſiveris improbos, haud reperias.

16 Jehova erit rex perpetuo,
peribunt gentes barbarae ex ditione ejus,

17 De-

17 Deſiderio cultorum tuorum annuiſti, Jehova,
confirmabis eorum animum, aurem praebebis, ut
vindices inopes et oppreſſos.

18 Haud iterum exturbabuntur homines e patria ſua.

VII.

VI.

DE PENTATEVCHO ARABICO POLYGLOTTO.

Arabica pentateuchi interpretatio, quae bibliorum polyglottorum Pariſienſium tomo VI, anno 1632 in lucem emiſſo, primum vulgata, atque hinc in tomum I. bibliorum Waltonianorum, ſeu Londinenſium, qui an. 1654 prodiit, derivata eſt, num eadem ſit cum verſione Saadiae Judaei, quaeſtio eſſe videtur nondum prorſus expedita. Floruit hic Saadias circa annum Chriſti 927, nuncupatus גאון, excellens, quod eſſet ſcholae Soranae rector conſtitutus, quamquam ortu Aegyptius, utpote natus, in civitate Phajûm 1), olim Pithom, unde etiam הפיתומי appellari ſolet, obiitque an. 942 2) variis ab ipſo editis ſcriptis clarus, inter quae eminet verſio vel omnium vet. teſt. librorum, vel pentateuchi certe, arabica. Atque haec Saadiae translatio extat in pentateucho quadrilingui, Conſtantinopoli an. 1546 à Judaeis edito: ſed eſt hujus libri raritas prorſus ſingularis 3).

Primus qui de pentat. arab polyglotto ſententiam dixit, eſt Jo. Henr. Hottingerus, qui tum diſſertatione

1) De provincia atque urbe Phajûm, vid. Biblioth. Arabico-Hiſpanae Eſcurial. Tom. II. pag. 3. ſqq. et Abulfedae deſcriptio Aegypti pag. 8. 21. 54. 110.

2) vid. Wolfii Biblioth. Hebr. Tom. I. pag. 932 et Carpzovii Crit. S. pag. 641.

3) vid. Lelong biblioth. S. ed. Masch. P. I. pag. 393.

tatione peculiari 4), tum in Smegmate orientali 5) probare anniſus eſt, verſionem Pariſienſem magnam quidem conſenſionem habere cum Saadiana, nec tamen vere eſſe eandem. In qua demonſtratione manifeſtum eſt, eam partem, quae verſatur in probanda ſimilitudine, eſſe altera multo copioſiorem atque luculentiorem. Nam conſentientium locorum, et quidem talium, in quibus conſenſus non dici poteſt caſu ortus, recenſentur quam plurima, claſſibus etiam ſuis diſtributa: diſſentientium vero nonniſi pauciora exempla, neque ea omnia ita comparata, quin nonnulla videri poſſint minus apta ad probandum. Veluti, in diſſertat. locus Exod. II, 23 dicitur in Pariſ. edit. conformatus ad verſionem Syram, Alexandrinam, Latinamque, quod verum quidem eſt, ſed valet quoque de Conſtantinopolitana. Similiter Num. XVI, 4 ſola Pariſ. addere perhibetur verba, *quaerens revelationem.* Sed hic quoque conſentire Conſtantinopolit. docet collatio Pocockiana. Ex tribus vero locis, quibus Smegm. orient. pag. 98 uſus eſt Hottingervs, Devt. XXXIV, 10. XXXI, 19. XXVII, 24 nonniſi primus diſcrepat a Conſtant. duo reliqui conſentiunt: unde ſuſpicio nobis orta, Hottingervm collationem ſuam inſtituiſſe non cum illo exemplo typis exſcripto, ſed alio quodam, manu exarato, quod ſi compluribus etiam locis a Pariſino diverſum fuerit, neutiquam tamen argumento eſſe poteſt, duos à ſe invicem diverſos aucto-

4) Diſſ. hiſtorico-theolog. de Heptaplis Pariſienſibus ex Pentateucho inſtituta, Tiguri 1649. 4. inſerta poſtmodum fuit J. H. Hottingeri Analectis hiſt. theolog. Tiguri 1653. 8vo.

5) Smegma orientale, ſordibus barbariſmi, contemtui praeſertim linguarum orientall. oppoſitum, Heidelb. 1659. 4to.

auctores eſſe ſtatuendos, cum etiam Pocockianus ille codex, qui Saadiae opus habere certo creditur, infinitis locis diſcrepet tum a Pariſino, tum Conſtantinopolitano.

Etenim Edvardvs Pocockivs, vir immortalis memoriae, Pariſinam editionem, vel potius Londinenſem, contendit 6) non modo cum Conſtantinop. exemplo, ſed et cum alio quodam, anno aerae contractuum 1760 in urbe Hama ad fluvium Orontem ſita exarato, pronuntiavitque, omnem illam varietatem non obſtare, quo minus autumet, verſionem Polyglottam Saadiae ſuam originem debere, licet ab alio quopiam, forte Samaritano homine, ſubinde ſit interpolata. Mutationes autem triplici fere modo ortas eſſe exiſtimat, qua de re ipſum audiamus ſuis verbis exponentem: „Si in differentiarum quae inter hoc et alia interpretationis Saadianae exemplaria intercedunt, cauſas inquiratur, tres eae potiſſimum ſtatuendae videntur. Quarum prima omnium fere doctorum ſcriptis, quae in vulgus emanarunt, communis eſt, videl. exemplarium, ſive ea auctoribus, qui poſt editos a ſe libros aliqua ſubinde mutare conſueverunt, ſive librariis imputetur, varietas (unde et ille, ni fallor, editionis Conſtantinop. tam a MS. quam ab editione Pariſina diſſenſus). Secunda, ea quam jam innuimus, videl. tum ut ſententiam ſuam (majori certe audacia quam patitur fidae verſionis ratio, quicquid ſibi in commentariis permittere potuiſſet) quaſi divina auctoritate ſtabilitam daret, tum ut ad eorum, quibus operam ſuam praecipue locavit, uſum ac loquendi morem, ea quae dicerentur, accommodaret. Tertia demum quod ad Grammaticorum canones, quorum

6) Inſerta eſt haec collatio Tomo VI. bibl. Walton.

rum in arabicis hebraice exarandis negligentiores fere ſunt Judaei (uti codd. ipſorum mſtos conſulenti patebit) omnia inter transſcribendum diligentius exegerit. Hinc factum, ut quae ad generum ac caſuum diſtinctionem, nec non literarum quieſcentium rationem pertinent, accuratius in his editionibus quam vel Conſtant. vel codice MS. expreſſa reperiantur. Cui addi poſſit, quod et alias verba minus probata magis Arabicis commutaverit, cum apud Saadiam ea aliquando occurrant, quae vix agnoſcant,, qui proprie loqui amant, auctores. His conditionibus atque hac uſus licentia, Haggaonis verſionem tranſcribendam ſuſcepiſſe videtur hic quisquis fuerit, cujus ad exemplar edita Pariſiis prodiit.„ Pocockio conſentit Rich. Simonius 7), effecitque horum virorum auctoritas, ut invaleſceret illa de pentateuchi verſione arab. polygl. Saadiae tribuenda opinio, et communi fere conſenſu probaretur, quamquam haud prorſus deeſſent, qui de ea ſubdubitarent 8). Sed hac noſtra aetate innotuit quoddam quaſi novum momentum, quod dubiam illam ac incertam reddere videri poſſit.

Nimirum exſtat in bibliotheca regia Pariſina codex mſtus, inter Arabicos primus, qui continet librorum V. T. verſionem arabicam, ſcriptus an. Chriſti 1584 9) à quodam chriſtiano, qui poſt Malachiae vatici-

7) vid Hiſt. Crit. du V. T. Rotterdam 1685. L. II. c. 19. pag. 305 et ejus Diſquiſitiones Criticae de variis bibliorum editt. Lond. 1684. 4. pag. 105 et 213.

8) Fabricy, des titres primitifs de la Revelation, Tom. I. pag. 370. Auſſi doute-on avec fondement, que cette même verſion Arabe (de polyglotta loquitur) ſoit celle de Saadias Gaon.

9) Plurimis libris ſua ſubjecta eſt nota, qua ſcriptionis annus ſignificatur. Sic *Joſuae* liber ſcriptus eſſe perhibetur

vaticinia nomen ſuum litteris conſignavit: *) eſtque hic ille ipſe codex, unde ſumtam eſſe, quae in bibliis Pariſinis exſtat, verſionem Arabicam, teſtatur Eusebius Renavdot 10), et ipſa utriusque collatio confirmat. Habet vero hic liber in fronte ſibi inſertam notam aliquam, a Joſepho Aſcari 1734 ſcriptam, quam a Schweighaeusero viro celeb. nobisque amiciſſimo, orientalibus litteris feliciter nunc reddito, ſibi communicatam primus vulgavit perill. Michae-

hibetur an. 992, *Judicum* 993, *Eſaiae* 992, ſcil. inde ab Hegira. *Tobiae* vero liber abſolutus eſſe dicitur an. 1300 Aerae Martyrum. *Pentateuchi* ſcriptio quo tempore facta ſit, nullibi indicatum. Affirmat Wolfius, Biblioth. Hebr. Tom. II. pag. 347, repetente Carpzovio, Crit. S. pag. 396, Pariſienſes editores hauſiſſe verſionem arab. tam V. quam N. Teſt. ex codice, in Aegypto ſupra annos abhinc 300 exarato. Nititur hoc loco illo, qui ex epiſtola, a Gabr. Sionita et Jo. Hesronita geographiae Nubienſi à ſe latine converſae, Pariſ. 1619. 4, praemiſſa, citatus legitur apud Lelong, Biblioth. S. ed. Paris. pag. 19, Hal. pag. 351, et ſic habet: ill. *Franc. Savarius Dn. de Breves* — quos prae manibus ex ſua bibliotheca arabica Salomonis et Jobi, atque adeo omnes V. T. libros abhinc trecentis annis arabice deſcriptos habebamus, jamque primo ſtilo à nobis latine exarati, extremam aut lituram aut manum deſiderabant, ad umbilicum perducendos decreverat. Conf. quoque Erpenius in praefat. ad pentat. Arab. a ſe editum, 1622. 4.

*) [Exhibet locum celeb. Adler, *kurze Ueberſicht ſeiner bibliſchkritiſchen Reiſe nach Rom.* Alton. 1783. pag. 209. Sed verborum, اللبطن ſeu, رق بقلم الليطن ſenſus etiamnum plane dubius eſt atque obſcurus.]

10) vid. Renavdotii verba citata ex *Perpetuité de la foi catholique* Tom. I. pag 113 ed. Par. et Fabricy, *des Titres primitifs de la Revélation*, Tom. I. pag. 366.

lis 11), deinde etiam, qui ipſe codicem manibus ſuis tractavit, cel. Starckius 12), et nuperrime, ſed illius, cui vitiorum typographicorum corrigendorum cura commiſſa erat, culpa non prorſus accurate, cel. Eichhornius 13). Illi itaque ſi fides habenda ſit, verſio arabica, de qua agitur, neutiquam ad *Saadiam* Judaeum, ſed ad *Saïdum* potius, monachum aliquem Copticum, erit referenda. Et Starckius quidem, quod mireris, haud dubitanter vulgarem de Saadiae verſionis polygl. auctore opinionem repudiat 14), minus in hac re circumſpectus quam vel Michaelis vel Eichhornius, qui uterque mavult, praefationis arabicae, cujus quaſi ſumma videri vult illa ſcriptio *Jos. Aſcari*, auctorem ignorantiae ac temeritatis reum agere, quam receptam illam opinionem dimittere: quamquam et ipſi procul dubio mitius pronuntiaturi erant, ſi quae ex eadem praefatione excerpta dudum exſtant apud Lelongium 15), cognita habuiſſent et perſpecta. Enim vero nos nunc ipſam illam praefationem, quam in uſus noſtros, quod ſatis memorabilis atque ad hiſtoriam cum plurium verſionum arab. tum maxime Saadianae utilis nobis viſa eſſet, decem abhinc annis in bibliotheca Regia tranſcripſimus, integram exhibebimus arabice, addita interpretatione latina, adjectisque hinc inde vocalibus, niſi quod viſum ſit, et exordium et clauſulam, quibus nihil plane ineſt, quod ad hanc cauſam pertinere ullo modo poſſit, omittere.

11) Bibliotb. or. et exeg. P. IX. pag. 153 ſq.
12) Davidis aliorumque poëtarum hebr. carminum libri V. Vol. I. P. I. pag. 333.
13) Einleitung ins alte Teſtament I Th. pag. 491.
14) loc. cit. pag. 319.
15) loc. ſupra cit. *Perpetuité de la foi.* Tom. I. p. 540.

بسم الله الرحمن الرحيم
وما توفيقي الا بالله

IN NOMINE DEI MISERATORIS MISERICORDIS,

NEQVE EST QVI ME IUVET PRAETER ILLVM.

۞ اما بعد 16)
فانني لما طالعت
التوراه المقدسة
وجدت نسخها العربية
التي وقفت عليها
متباينة بعض
الفاظها لبعض وقد
تغاير لذلك جزء
من معانيها ۞
2 فتأملت هذا
الحدثان فوجدته
من مخرجيها من

Praemiſſis praemittendis 16). Poſtquam conſideravi pentateuchum ſacrum, deprehendi ejus exemplaria Arabica, quae ego quidem cognoveram, diſcrepare inter ſe locutionibus, unde etiam ſenſus ipſe nonnunquam diverſus eſt. 2. Itaque hac re attentius conſiderata, inveni hoc ab iis derivandum eſſe, qui

N 3

16) Solent, obſervante Reiskio ad Abi'l walîdi Ibn Zeiduni Riſalet, Lipſ. 1755. 4. p. VII, et debent Arabes ſemper laudationem Dei et Muhammedis omnibus ſuis ſcriptis praemittere; quando autem operoſe id facere nolunt,

لسان الي لسان في
ضروب الزمان ☼
3 فانّ من تراجمتها
منّ كان له غرض
فنحاه ونسخ به
الحقّ ومحاه. ومنهم
منّ كان عنده
تقصير في ترجمته
اما اللسانين المنقول
منه والمنقول اليه
واما احدهما فاخرجهم
ذلك من غير شعورهم
الي هذا العارض
المذكور وهتك جهلهم
المستور 17) ☼ 4 وتبلّج
لي من صباح
المطالعة ومن تواريخ

qui diverſis temporibus eum e lingua in aliam tranſtulerunt. 3. Si quidem ex interpretibus ejus ſunt, qui certum ſibi propoſitum ſcopum habebant, quem cum peterent, veritatem abrogabant delebantque. Sunt etiam ex illis, qui defectu laborabant in interpretatione ſua vel quoad utramque linguam, ex qua et in quam transferebant, vel quoad alterutram: atque haec cauſa fuit, ut illis non putantibus accideret, quod diximus, ipſique denudarent ſuam ignorantiam, quae antea obtecta erat 17). 4. Et pa-

nolunt, aut jam fecerunt. et jam transeunt ad argumentum ſuum, dicunt, Amina baada, Muhammedanos imitantur Chriſtiani.

17) ad verbum: et eduxit illos hoc non animadvertentes

المورخين ان الاثنين
والسبعين نقلوها
من العبراني الى
اليوناني نقلا
صحيحًا ۞ 5 وان
نقلتها من اليوناني
الى العربي دخل
عليهم عارض الجهل
باللسانين ولم أُلْفِ
من اليونان حيث
كتب من يستقل
18) بتحرير الالفاظ
معي بالمقابلة ۞
6 وان العبريين الذين
نقلوها الى العربي وقعوا

patuit mihi ſtatim ab initio disquiſitionis meae, nec non ex relationibus hiſtoricorum, LXXII interpretes quidem dediſſe illius ex hebraeo in graecum tranſlationem bonam et juſtam. 5. Illis vero, qui ex graeco eum transtulerunt in arabicum, obſtitit hoc incommodum, quod non eſſent utriusque linguae bene periti: neque enim inveni quemquam inter Graecos, qui, finita ſcriptione, in ſe ſuſcepiſſet 18) examinare verba mecum collatione inſtituenda. 6. Et Hebraei qui-

tes ad illud accidens ante memoratum, et nudavit ignorantiam eorum velatam.

18) verbum قلّ, in X. conſtr. cum ب rei, venit hoc ſenſu etiam in Excerpt. Hamaſae, p. 416. Chreſtomathiae arab. ill. MICHAELIS, p. 71.

في تينك الامرين
المبتدا بذكرهما ۞
7 فتصفحت نقل
الشيخ سعيد الرّبان
الفيومي فاستدللت
من انفاسه (19 على
انه في اهل ملته
ارجح الناقلين وافصح
المترجمين ۞ 8 لما
راق سمعي من وجيز
لفظه العربي وفصيح
جهوره وانحاء (20
مسموع بعضه في
اللسانين العبراني
والعربي وتحرير
الاسماء والبلدان والالفاظ

qui transtulerunt eum in Arabicum, inciderunt in duas illas res, quarum mentio facta eſt ab initio. 7. Itaque inſpexi verſionem *Scheichi Saïd* Rabbini Fajumenſis, hoc enim duce uti me poſſe putavi 19); quoniam inter ſuae religionis homines eſt translatorum praeſtantiſſimus, et interpretum maxime perſpicuus. 8. Quandoquidem oblectat auditum meum nervoſitate ſtili ſui arabici, atque etiam perſpicuitate ejus quoad maximam partem, et quod multis ejusmodi vocabulis utitur 20), quae ſono etiam con-

19) ad verbum: *directionem quaeſivi e verbis ejus.* vocem انفاس non modo *halitus* ſignificare, ſed et *prolationes*, *voces*, docet Meninski Theſaur. col. 463.

20) ad verbum: *ex unitate ſervata ſani vocabulorum.*

الباقية علي عبرتها
في النُسَخ العربية
وسلامتها من
التصحيف ونقلها
من اللغظ الكثيف
الي اللطيف ۞
٩ فاستنسختُ من
نقلة هذه النسخة
التالية لهذه الخطبة
وقصدتُ تحريرها ۞
١٠ فقابلتُ عليها
احد افاضل الاسرأييليين
الثابت اسمة في
اخر هذة النسخة
وكان لودعيًّا حافظا
لنصّها مستحضرًا
لغصها 21) مشتغلا
بدرس الفاظها

conveniunt in utraque lingua, hebr. et arabica, et quod accurate poſuit nomina propria perſonarum et locorum, et nomina reliqua, eo modo quo venire ſolent in libris arabicis, et immunia ſervare ea ſtuduit ab erroribus, transtulitque ex dictione rudiore in elegantiorem. 9. Itaque deſcripſi ex verſione ejus praeſens hoc exemplar, quod ſequitur hanc praefationem, ſtuduique accurare illud ſcribere. 10. Tunc adhibui praeſtantiſſimum quendam Judaeum, cujus nomen poſitum eſt ſub finem hujus codicis, qui diligens admodum fuerat in textu memoriae mandando,

21) لغصها, pro لغظها.

وتلاوتها قيّمًا بشرح معانيها وادراك غايتها ۞ 11 وكان بيده نسخة عبرانية وهو يقرأ منها عربيًّا وكان بيدي هذه النسخة التي تقدم القول بانني استنسختها من نقل الفيومي ۞ 12 وقدامي عدّة نُسخ عربيات احداهنّ نقل افاضل السمرة من العبراني والاخريات من اليوناني ۞ 13 فمنهن ما اخرجه الحرث بن سنان ومنهنّ

do, et ſecum repetendo verba ejus, occupatiſſimus in diſcenda dictione ejus et legenda, rectus in interpretando ſenſu, et aſſequendo extremo termino, 11. Habebat igitur hic in manu ſua exemplum hebraicum, praelegebatque ex eo arabicum: ego vero manu mea tenebam exemplum hoc quod ſuperius dictum eſt a me deſcriptum fuiſſe ex verſione Fajumenſis. 12. Ante oculos quoque meos habebam varias verſiones arabicas, quarum una facta a doctiſſimis quibusdam Samaritanis ex hebraico, reliquae vero ductae ſunt ex graeco. 13. Atque ex his quidem eſt una, cujus auctor eſt *AlHareth ben Senân* 22), et alia auctore *Abdallah ben*

22) Arabicum huncce interpretem, *Hareth ben Senân ben Schaʾât*, exeunte ſaec. XV claruiſſe perhibet STEPHAN.

ترجمة عبد الله بن الفضل ومنهنّ نقل عتيق لم يذكر في النسخ اسما مترجميها ومنهن ايضا نسخة نقل القس الفاضل ابي الفرج بن الطيّب من السرياني الي العربي نصّا وشرحا ☼ 14 ومنهنّ عدّة شروح

lel Alphadel, nec non verſio quaedam vetuſta, in cujus exemplaribus nomina auctorum non memorantur, atque etiam exemplar verſionis presbyteri eximii *Abu'lphardſch Ibn Attájeb* 23), factae ex Syriaco in Arabicum, textus una cum commentario. 14) Ad manus quoque erant complures commentarii,

PHAN. EVOD. ASSEMANVS, Biblioth. Mediceae codd. mss. oriental. catalog. Florentiae 1742. fol. pag. 61. Atque ex J. H. HOTTINGERI Theſaur. philol. L. I. C. 3. Sect. 2. p. 270 apparet, compoſitam ab Haretho verſionem fuiſſe an. Heg. 891, i. e. Chr. 1486, non ut WALTONVS habet Prolegomen. XIV. pag. 96, 1513. Quae ſi vera ſint, non intelligitur, quo jure RENAUDOT (apud LELONG, Bibl. S. pag. 114. ed. Paris.) hanc ab Haretho profectam verſionem omnium arabicarum antiquiſſimam pronuntiare potuerit.

23) Obiit hic *Abulpharagius Abdallah Ibn Attájeb*, monachus Neſtorianus, qui, praeter alia, compoſuit ſermone arabico commentarios in utriusque teſtamenti libros, an. Chr. 1043. vid. Hiſtor. dynaſtiarum *Gregorii Abulpharagii* pag. 355. 233, et magis etiam JOS. SIM. ASSEMANVM, qui Biblioth. Or. Tom. II. pag. 309 ſq. bene monuit, hunc noſtrum *Abulpharagium* non eundem eſſe cum *Gregorio bar Hebraeo*, ut viſum eſt POCOCKIO in praef. hiſtor. dynaſt.

للنصاري ولليهود
وللسامرة ۞ 15 امـا
النصاري فبعض شروح
الذهبي الغم وبعض
شروح باسيلوس
الناطق الروح القدسي
من لسانيهما ۞
16 واما اليهود فشرح
الشيخ ابي الفرج
بن اسد والمعلم ابي
علي البطري والرئيس
ابي سعيد الداوودي ۞
17 واما السامرة
فشرح الحكيم
صدقة المتطبّب ۞
18 فاطلعتْني المقابلة
علي انّ سعيد

tarii, a Chriſtianis, Judaeis, Samaritis exarati. 15. Et chriſtianos quidem commentarios habui Chryſoſtomi atque Baſilii, quorum linguis loquitur ipſe Spiritus Sanctus: 16. Judaicos, quos ſcripſit Scheich *Abu'lphardſch ben Aſad* 24), et doctor *Aub Ali Albotri*, et vir princeps, *Abu Saïd Addawùdi*. 17. Samaritanum, cujus auctor eſt doctus *Sadakah Almothatabbeb* (ſeu medicus). 18. Docuit me vero inſtituta collatio, *Saïdum Fajumenſem* in ſua translatione variis viis inceſſiſſe. 19. Primo additiones multas in verbis de-

24) videtur hic *Abulpharadſch* ille eſſe, de quo agit Wolfius bibliothec. Hebr. Tom. I. pag. 5.

الفيومي قد سلك
في نقله عدة
مسالك ۞ 19 احدها
زيادات كثيرة في
الالفاظ اثبتها في
اصل نقله وقد
جعلت في هذه
النسخة علي كل
لفظة منها علامة
تدل عليها وهي حرف
الزاي ۞ 20 فمتي
شوهد هذا الحرف
بالحمرة علي لفظة
منها فليعلم انه قد
زادها من عنده ۞
21 اما التقرير المعني
في اللسان العربي
وايضاحه واستتمامه ۞
22 واما التنزيه

deprehendi in originali ejus verſione, appoſui igitur in hoc meo apographo unicuique earum ſignum, quod eam indicet, nempe litteram *Ze.* 20. Ac ſi ſcripta fuerit haec littera minio ſuper ejusmodi quadam locutione; factum hoc eſt ad innuendum, locutionem adjectam eſſe ſua ipſius (Saîdi) auctoritate, 21. Sive ſit ut confirmetur ſenſus in arabico, et perſpicuus reddatur ac perfectus: 22. Sive ut caveatur creatori ſummo ab omni corporeo, veluti cum pro eo quod habet Scriptura in hiſtoria de Sodoma et Gomorra, (Gen. XVIII. ult) tunc abiit *Deus*,

البارئ تعالي عن
الجسمية كقول
الكتاب في قصة
سدوم وعامورا فمضي
الله كما فرغ من
كلام ابراهيم فقال
فمضي ملاك الله ۞
23 واما لرفع شبهة
ودفعها وسد بابها في
المعاند والمتشكك ۞
24 واما لاغراض اخر
يظهر جل اسبابها
لمتأمليها في مكانها
اذا كان عارفا ۞
25 والمسلك الثاني
عدة الفاظ ثابتة
في السرياني واليوناني
والعبراني وقد وضعها
منها واسقطها من
جملتها ۞ 26 فمنها
في المعني المكرر لفظة

Deus, poſtquam abſolvit colloquium cum Abrahamo, ponitur: tunc abiit *Angelus Dei*: 23. ſive ut tollantur dubia, abiganturque, et claudatur janua eorum coram adverſariis ac dubitantibus: 24. ſive ob cauſas alias, quarum praecipuae rationes indicabuntur lectoribus attentis locis ſuis, ſi quidem cognoſci queant. 25. SECUNDO; ſunt multae locutiones, quae leguntur in ſyriaco, graeco et hebraico, quas tamen ille omittit ex ſua verſione et prorſus tollit. 26. Veluti quum *ſententia* habet vocabulum repetitum in textu ad em-

25) النصّ للتاكيد
اسقط تكراره
واستغني باللفظ الاوّل
المشتمل علي جميع
المعني عن اللفظ
الثاني الوارد للتاكيد
لالزيادة في المعني *
والاسم المكرر ايضا ⊕
27 امّا المعني
فكقول الكتاب في
السفر الرابع في
القرابين عن روساء
الاسباط عند نصب
المسكن في اليوم
الاوّل قرّب فلان
قصعة فضّة وزنها
كذا وكزنيب وزنة

emphaſin, ille vero omittit repetitionem, contentus vocabulo priori vice poſito, quod continet totum ſenſum, et abſtinens a vocabulo altera vice poſito, quod eſt ad adſtringendum et augendum ſenſum. Atque eodem modo res ſe habet etiam cum *nomine* bis poſito. 27. Ex priori genere haec ſunt. Loquitur ſcriptura, libro quarto, de oblationibus principum tribuum poſt erectum tabernaculum die primo ſic (Num. VIII. 12 ſq.), *obtulit aliquis ſcutellam argenteam certi ponderis et phialam certi ponderis,*

25) تاكيد, infinitivus II. pro quo rectius dicitur توكيد, ut in Excerpt. Hamas. pag. 583. et apud Michaelis, pag. 63.

كذا وعدّد جميع
القرابين واحدًا فواحدا
وكذلك ورد . النصّ
مشروحًا قربان كل
رئيس سبط في
كل يوم ۞ 28 فشرح
الفيومي قربان رئيس
السبط الاول في
اليوم الاول وفي
اليوم الثاني وما
بعده قال قرّب فلان
مثل ذلك واحال
تفصيل القربان الاول ۞
29 وكذلك فعل في
ملوك العيص
حال موت الواحد
ومُلك الذي ملك
بعده 26) ۞ 30 واما

ris, enumeratque omnes oblationes unam poſt alteram. Atque ſic exhibet textus oblationem ſingulorum principum tribuum, ſingulis diebus. 28. At Fajumenſis exhibet quidem oblationem principis primi die primo, et (principis ſecundi) die ſecundo: ſequentia vero quod attinet, dicit, *obtulit hic ille ſimile illi*, reditue ad diſtincte expoſitam narrationem primam. 29. Similiter fecit in loco quo ſermo eſt de regibus Eſau (Gen. XXXVI. 31 ſq.), ubi ſic habet: accidit mors unius et rex conſtitutus eſt is qui regnavit poſt illum 26). 30. Ex po-

26) Vt, qui Biblia polyglotta in promtu non habent, perſpiciant, quid ſibi velit Criticus, non alienum videtur,

الاسم فكخطاب الله الموسي عند الظهور في العتيق يا موسي يا موسي فقال الفيومي يا موسي دفعةً واحدةً ۞ 31 ومنها تكرار الاسم المضمر الذي يتقدم ذكره بذلك اللفظ الاول بعينه فاسقطه واستغني بضمير الاسم عن التصريح بذكره ثانيا ۞ 32 والمثال فيه قول الكتاب في قصّة لوط ثم دخل الملكان الي سدوم

poſteriori genere eſt locus quo alloquitur Deus in rubo apparens Moſen (Exod. III. 4) hoc modo: *o Moſe, o Moſe*! Fajumenſis autem habet, *o Moſe*, ſimplici vice. 31. Huc referendum eſt, quod, quum (in textu) repetitur nomen ſubſtantivum, quod in hoc contextu jam adfuit, omittere illud ſolet Fajumenſis, contentus pronomine relativo, loco nominis iterum poſiti. 32. Exempla ſunt haec. Scriptura in hiſtoria Lothi (Gen. XIX. 1)

tur, ex ipſa verſione arab. aliquot verſus apponere, v. 32 regnavit in Adum Bâli ben Baſûr et nomen civitatis ejus Danhába, v. 33 deinde mortuus eſt et regnavit poſt illum Jubâb ben Zareh ben Boſsra v. 34 deinde mortuus eſt, et regnavit poſt illum etc. Atque hoc modo ſeqq. etiam verſibus omittit interpres illius qui obiiſſe dicitur, nomen repetere.

ولوط علي باب سدوم
جالسًا فالنصّ كرّر
ذكر سدوم وهو عدل
عن تكراره وقال
ولوط جالسا علي
بابها ۞ 33 وكقول
الكتاب ايضا فقالت
المراة الثعبان اغواني
وكان قد تقدم
ذكرها قبل ذلك
فنقل الفيومي فقالت
الثعبان اغواني ولم
يكرر ذكر الامراة واكتفي
بضمير الاسم عن
اظهاره دفعةً ثانية
لانه محذور في
اللغة العربية التي
نقل اليها ۞ 34 ومنه
اكتفاؤه بذكر الفعل

1) ſic habet: *deinde ingreſſi ſunt duo illi angeli Sodomam, et Lothus ad portam Sodomae ſedebat*, textus itaque repetit mentionem Sodomae, Fajumenſis autem repetere negligit, et ſic habet, *et Lothus ſedebat ad portam ejus.* 33. Porro Scriptura habet (Gen. III, 13), *tunc dixit mulier: ſerpens ſeduxit me*, ſed quia praecedit mentio mulieris, ideo Fajumenſis vertit, *et dixit, ſeduxit me ſerpens*, non repetito nomine mulieris, et ſatis habet ſubintelligere nomen, loco ejusdem expreſſe poſiti ſecunda vice, quoniam evitari ſolet in lingua arabica, in quam ille transtulit. 34. Huc

etiam

عن ذكر مصدره
كقول الله تعالي
لادم في يوم اكلك
من الشجرة تموت
موتا فلم يقل الفيومي
موتا بل ذكر الفعل
واستغني به عن ذكر
مصدره ۞ 35 ومنها
استغناؤه تارة
بالموصوف عن ذكر
الصفة كقول الكتاب
فاخذ الله الاله
ادم وانزله في جنان
عدن فقال الفيومي
فاخذ الله آدم ولم
يقل الله الاله
واستغني باسم الموصوف
سبحانه عن صفته
بالالهية ۞ 36 كقوله

etiam pertinet, quod ſatis habet mentionem *verbi*, absque ejus infinitivo, velut quum Deus ſummus dicit Adamo (Gen. II, 17), *die quo comederis de arbore, morieris moriendo*, non dicit Fajumenſis, *moriendo*, ſed ponit verbum, ſatis id habens absque infinitivo. 35 Nonnunquam ſatis habet *ſubjectum* absque *epitheto*, ponere, velut quum Scriptura habet (Gen. II, 15) *ſumſit Jehova Deus Adamum collocavitque in horto Eden*, dicit Fajumenſis, *et ſumſit Jehova Adamum*, non dicit *Jehova Deus*, ſed ſatis habet ponere nomen ipſum, non adjecto epitheto deitatis. 36. Similiter (Exod.

ايضا لموسي قُلْ
لفرعون قال الله
آله العبريين اطلق
قومي يعبدوني فقال
الفيومي قال الله
اطلق قومي يعبدوني
ولم يقل آله
العبرنيين ۞ 37 وتارة
بالصفة عن ذكر
الموصوف كقول
الكتاب في السفر
الثالث وسبّ ابن
المراة الاسرايلية الاسم
وشتمه فقال وسبّ
ابن الاسرايلية ۞
38 والمسلك الثالث
ينقسم اقساما

VII. 16) dicit Deus Moſi: *dic Pharaoni, dicit Jehova Deus Hebraeorum, dimitte populum meum, ut cultum mihi praeſtet:* ſed Fajumenſis habet: *dicit Jehova dimitte populum meum, ut cultum mihi praeſtet,* non dicit, *Deus Hebraeorum* 27).

37. Nonnunquam ponit epitheton, omiſſo ſubjecto, veluti quum Scriptura habet libro tertio (Levit. XXIV. 11) *et convitiatus eſt filius mulieris Iſraëliticae nomen et blaſphemavit illud,* habet Fajumenſis, *et convitiatus eſt filius Iſraëlitidis.*

38. Tertius modus dividitur

27) Sed verba, *Deus Hebraeorum*, leguntur non modo in edit. Lond. ſed et Conſtantin. et MS. Pocockii. Sintne eadem in Pariſienſi expreſſa, videant quibus ſplendido hoc opere utendi occaſio eſt.

عدة * فمنها نظير
الشي الذي تغالي فيه
الكتاب فعبّر عنه انه
هو بعينة كقول
الله عن آدم انه
يلصق بزوجته ويصيران
كلاهما جسدًا
واحدًا * فحذر
الفيومي من معترض
يقول انا نراهم
جسدين لا واحدا
فقال فيصيران كجسد
واحد ۞ 39 وكقول
الكتاب ان الله
اخرجكم من كور
الحديد من مصر
فقال اخرجكم من
شبيه بكور الحديد ۞
40 وكقول النصّ

ditur in claſſes complures. *Prima* eſt quae reſpicit ea, quae hyperbolice effert Scriptura, atque ſic ut rem ipſam adeſſe perhibeat, veluti quum Deus dicit de Adamo (Gen. II. 24): *adhaerebit uxori ſuae eruntque ambo corpus unum*: hic evitaturus Fajumenſis, ne quis objiciat, nos vero videmus, ambos eſſe duo corpora, non unicum, ita vertit, *et erunt ambo quaſi corpus unicum.* 39. Alio loco (Devt. IV. 20) habet Scriptura: *Deus eduxit vos ex fornace ferrea, ex Aegypto*, ille vero: *eduxit vos è loco qui ſimilis eſt fornaci ferreae.* 40. Alio loco (Exod. VII. 12) dicit textus

عن سَحَرة فرعون ان
كل رجل منهم طرح
عصاه فصارت ثنانين
فقال الفيومي فصارت
كثنانين ۞
41 والقسم الثاني من
هذا المسلك استعماله
الخاصّ في موضع
العامّ فانه استعمل
البلد بدلا من الارض
في جلّ نقله ۞
42 واستعماله عضواً
عوضا من غيره كقول
الكتاب ان يكون
البدنة على قلب
هرون حال دخوله
بين يدي الله فقال
الفيومي يكون على

textus de praeſtigiatoribus Pharaonis, quod unusquisque eorum projecerit baculum ſuum, et facti ſint baculi ſerpentes, ſed Fajumenſis habet, et facti ſunt *velut* ſerpentes. 41. *Claſſis ſecunda* hujus modi eſt, quod ponit ſpeciale pro generali, ſiquidem ponit vocem بلد quae partem terrae ſignificat, pro ارض terra, plurimis locis ſuae verſionis. 42. Ponit quoque membrum unum pro alio, veluti quum Scriptura dicit (Exod. XXVIII. 29) *ſit pectorale ſuper corde Aaronis, quando ingreditur in conſpectum Jehovae*. Fajumenſis habet, *ſit*

يده ۞ 43 وكقول
الكتاب ايضا ان
تصنع الكهنة لهم
سراويلات لتغطي من
الحقوين الي الوركين
فقال الي الركبتين ۞
44 واستعماله الكل
عوضا من جزءه كقول
النص ان اخوة يوسف
لما وصلوا الي البيت
وجدوا فضة كل
رجل في فم وعايه
فقال في وعايه
واستغني في ذكر
الكل عن الجزء ۞
45 واستعماله المفرد في
موضع جمعه كقول
الله تعالي اول ما

ſit ſuper manu ejus 28) 43. Alio loco (Exod. XXVIII. 42) habet Scriptura: *faciant ſibi ſacerdotes femoralia, ut tegant inde a lumbis usque ad femora:* ille vero, *usque ad genua.* 44. Ponit etiam totum pro parte ejus, velut (Gen. XLII. 27) dicitur in textu, quod fratres Joſephi domum redeuntes invenerint argentum ſuum unusquisque in ore ſacci ſui: ille vero, *in ſacco ſuo*, ponens totum pro parte. 45. Vtitur quoque ſingulari loco pluralis, velut (Gen. I. 1) habet textus: *primum*

O 4 *quod*

28) Lectio, *ſuper manu ejus*, neque in Lond. extat, neque in Conſtantinop. et MS. Pocock.

خلق الله السموات
والارض فقال السما
ولم يقل السموات ۞
46 وكاخبار الله عن
الرياح او الروح انها
كانت تهبّ علي
وجه المياه فقال
علي وجه الما ۞
47 وعكس ذلك قول
الكتاب عن لابان
انه قال ليعقوب عند
سفره من عنده بغير
علمه لم 29) لم
تخبرني فكنت
اشيّعك بفرح وغناء
ودفّ وطنبور فقال
ودفوف وطنابير ۞
48 ومنها البدل وهو

quod creavit Deus, *ſunt coeli et terra*, ipſe vero habet *coelum*, non coeli. 46. Et (ibidem vs. 2) ubi dicitur de ventis, aut de vento, quod flaverit ſuper *aquis*, habet ille, *ſuper aqua*. 47. At contrarium obtinet in dicto Scripturae (Gen. XXXI. 27) de Labano, quod dixerit Jacobo, poſtquam hic diſceſſerat ab ipſo, ſeſe inſcio, *quare non indicaſti mihi? etenim ego comitatus te fuiſſem cum gaudio et cantu et tympano et cithara?* hic enim habet ille, *et tympanis et citharis*. 48. Et huc quoque pertinet,

29) Sic quidem habet codex, ſed omnino legendum videtur لما.

استعماله لفظ بدلاً
من اللفظ الوارد النصّ
ومعناهما متّحد
كقول الكتاب في
سفر الثالث سوءة اخت
ابيك واخت امّك
لا تكشف فقال
عمّتك وخالتك 30)
والمعني واحد مع
مغايرة اللفظ ۞
49 وجمهور ما ورد
النص في هذين
المسلكين قد اضفته
في مواضعه بالحمرة
وجعلت قبله حرف
العين المهملة قاصدًا
بذلك تهذيب
النسخة وتحريرها

tinet, quod vocem alia voce permutat, ſenſu eodem manente, velut quum (Levit. XXVIII, 12. 13) dicitur: *pudendum ſororis patris tui et ſororis matris tuae ne detegas*, ille vero habet, *amitae tuae et materterae tuae*, ſenſu quidem eodem manente, ſed permutatis vocibus. 49. Omnia igitur, quae de duobus hiſce modis in textu occurrunt, notavi minio in locis ſuis, et praepoſui litteram *Ain* absque puncto, eo fine, ut hac ratione purum atque accuratum redderem exemplum

O 5 pro

30) Editio Londinenſis habet priorem illam lectionem, nec eſt a Pocockio ulla varietas ad hunc locum notata.

علي ما امكن ۞
50 والمسلك الرابع
نقله عدة الفاظ من
اللغة المستعملة الي
اللغة العربية الادبيّة
اظهارًا لفصاحته وبيانا
لمعرفته بها وخبرته
الّا انه في بعضها
وضع اللفظة العربية
فيما هو بعيد من
معناها ۞ ٥١ ومنها
ما استعمله لضدّها
كلفظة الرتّ فانه
استعملها عوضا من
اصناف الحيوان
البقري الذي كان
يقرّب لله تعالي ۞

pro viribus. 50. *Modus* QVARTVS eſt, quod tranſtulit multas voces ex lingua vulgari in linguam arabicam elegantiorem, quod quidem oſtendit eloquentiam ejus et demonſtrat peritiam ejus in hac lingua et experientiam, niſi quod quibusdam locis poſuit vocem arabicam pro tali quodam vocabulo hebraico, quod eſt ab illius ſignificatione alienum. 51. Huc etiam pertinent quae poſita ſunt ſenſu, qui eſt hebraeo contrarius, veluti vox *Ratt* 31), quam poſuit pro quodam animali de genere bovino, quod tanquam

31) extat haec vox Ex. 29, 10. 14. 36. Num. 15, 24. c. 29, 2 poſita pro voce hebr. פַּר

58 والـرت فـي مـوضـوع 32) الـلـغـة العربية لفظة مشتركة يستدلّ بـهـا عـلـي ثـلاثـة مـعـان ❁ 59 احـدهـا الرئيس وروساء البلد رتوتا والمعني الثاني الرتوت الخنازير والمعني الثالث الرتّة بالضم العجمة في الكلام والحكلة فيه ❁ 60 فاما المعنيان الاول والثالث فهما من صفات اشخاص الحيوان الناطق التي لا يستجيز التغريب بها الا بعض

quam victima offerri debebat Deo. 58. Et *Ratt* in lingua Arabica plures ſignificationes habet, et quidem triplici ſenſu adhibetur. 59. Primo eſt princeps, et praefecti provinciae ſeu urbis vocantur *Rotût*. Secundo *Rotût* ſunt porci, et tertio *Rotta*, cum Damma, eſt impedimentum ac vitium linguae in loquendo. 60. Jam quod attinet ſignificatum primum et tertium, uterque denotat perſonas rationales, quas immolare nemo cupiet niſi quidam idololatrae, nempe illi qui feruntur immolaſſe liberos ſuos

32) vox موضوع quid hoc loco ſignificet, equidem non aſſequor. In mentem quidem venit, ſubſtituere lectionem مواضع ſed nolui conjecturae locum concedere.

عبّاد الاصنام الذين
نُقِل عنهم انهم
كانوا يقرّبون اولادهم
لمعبوداتهم المصنوعة ۞
61 وهذا لا يمكن
ان يكون قصده فان
هذا الكتاب المقدس
الذي نقله قد حذّر
من هذا الفعل وجعل
العقوبة عليه القتل ۞
62 فبقي المعني الثاني
وهو الحيوان
الخنزيري وهذا
حيوان نجس علي
مذهبه وشناعة عظيمة
علي من يجعل
النجس من حيوانات
القرابين الالهية ۞
63 فان كان عمل
ذلك جهلًا منه

ſuos numinibus ſuis arte factis. 61. Hic vero non poteſt eſſe ſenſus, nam hic ipſe liber ſanctus, cujus verſio exhibetur, vetuit hanc actionem, poenamque illi ſtatuit mortem. 62. Supereſt itaque ſignificatus ſecundus, quo vox iſta denotat animal porcinum, hoc autem eſt animal impurum ex indole ſua, et magna ignominia manebat eum qui animal immundum adhibuiſſet ad oblationem Deo faciendam. 63. Si fecerit illud ex ignorantia, ignoſcat illi Deus, ſi ſciens, quam ma-

فعفا الله عنه وان
كان علم به . فيا
للعجب العجيب
منه * وان كان
لسر استودعه فهو
من الممكن البعيد ۞
64 وان كان قد
اصطلح 33) اهل
طايفته علي وضع
هذه اللفظة للبقر
دون الخنزير فهو
من الممكن القريب
لان منهم من استعملها
مثله ۞ 65 وقد
نكت جمهور هذه
الالفاظ تجاهها في
هذه النسخة بللفظ

maxime mirum id videri debet. Si dixeris, arcani quid ſubeſſe, poſſibile hoc eſt ſed longius petitum. 64. Si vero dixeris, uſurpaſſe homines de gente ejus hanc vocem de bovibus quoque, non de ſolis porcis, poſſibile hoc nec vero abſimile eſt, quoniam inter illos ſunt, qui vocem iſtam ſimiliter uſurparunt. 65. Notavi ego plurimas hujusmodi voces e regione in hoc exemplari illo vocabulo quo utuntur linguae tam illuſtrium quam

33) Golius quidem non habet *octavam* conjugat. hujus verbi: ſed apud Meninski col. 254 extat اصطلاح, *recte loquendi modus ſ. phraſis.*

النـاطـقُ بـه أُلْسُنُ
الـخـواصّ والـعـوامّ
المـتـداوَلُ 34) لـه
الـنـاس في سايـر
الايام حتي لا يستغرّ
به سمع ولا يـجـهله
رعاع ولا ينفر من
شاذّة طباع 35) بل
يـفـهـمُه الجاهل به
كـفـهـم العالم له
ويتساويان كلاهما

quam vulgi, ... 34) homines omni tempore; ut ne errent in eo auditores, et male intelligant juvenes, deterreanturque ab ejus inſolentia homines, aeque ac alter. 66. Habet inſuper alia quaedam ſingularia, ſed omnia commemorari in hac praefatione nequeunt, ob

34) Vocabulum hoc, quod eſt partic. conj. VI. rad. دول, quid hoc loco, ſignificet fateor me ignorare. *)

35) Nomen generis poſui, quod vera ſignificatio vocis me lateret. طابع, cujus plur. eſt طباع, denotat impreſſorem, typographum. Sed non videtur hic ſermo eſſe de typographis. **)

*) [Verte: (et) quod ſubſtituunt illi (voci inſolentiori) homines pro reliquo tempore الناس eſt recto caſu poſitum; ſed ut intelligat illud imperitus, ſicut intelligit doctus, unus ut et متداول eſt partic. activum]

**) [Ill. Tychſenius, Repertor. litter. bibl. et Orient. P. X. pag. 101. vult, de typographis omnino intelligendam eſſe vocem طباع, conficitque, ex hoc loco, codicem ſcriptum fuiſſe eo conſilio, ut typographis traderetur excudendus. Sed conf. quae ſequuntur verſu 69.]

فيه ۞ 66 وله ظرق
أُخر لا يمكن الاستيلاء
علي ذكر جميعها
في هذه الخطبة
وهي واضحة في
مكانها ۞ 67 والحقّ
اقول انني فيما
ابْدَيتُه لم اتعصّب 36)
له ولا عليه بل
كان تحرير النصّ
هو الغرض والذي
ظهر من تحقيقه
وتنميقه انما جري
بالغرض ۞ 68 واذا
لمحتَ ايها الناظر
في هذه النسخة
حرف السين المهملة
علامة علي كلام

ob oculos tamen ponentur locis ſuis. 67. Et vere affirmare poſſum, quod in omnibus, quae expoſui, nullo me partium ſtudio agi paſſus ſim, ſed ut textus habeatur purus, hoc erat propoſitum meum: et quod accurate eum et eleganter ſcripſiſſe apparet, id certe ultro cognoſcitur. 68. Si videas, o lector, in hoc exemplari litteram *Sin* abſque punctis impoſitam orationi, tanquam notam; ſcito, ſignificare eam verſionem Sa-

36) تعصّب apud MENINSKIVM col. 1249 eſt *partialitas*, quae ſignificatio deeſt apud GOLIVM.

فاعلم انه نقل السامرة
وكذلك حرف الخا
المعجمة علامة علي
انه نُقل من نسخة
اخري ۞ 69 وقد
عزمْتُ ان شاء الربّ
وتاخرت الوفاةُ علي
نقل نسخة من هذه
النسخة اثبت فيها
الناقص واضعُ منها
الزايد واقصد فيها
النصّ ۞ 70 واجعل
قبلها مقدمة مشحونة
بعدّة فوايد من علوم
هذا الكتاب المقدس
اكشف بها اسراره
الالهية لمن استترتْ عن
فهمه واحتجبت

Samaritanam: quod vero littera *Cha* cum puncto notatum eſt, pro lectione alius cujusdam exemplaris eſt accipiendum. 69. Conſtitui mecum, ſi Deo ita viſum fuerit, et mors cunctetur, transſcribere aliud ex hoc exemplum, cui inſeram quod deficit, et eximam, quod eſt ſuperfluum, er propoſitum mihi habebo textum. 70. Praemittam vero praeviam tractationem, repletam multitudine commodorum redundantium ex intelligentia libri hujus ſancti, retegam in illa arca-

na

Digitized by Google

ونآتْ عن خاطره 37)
وتغرّبت وافتح له بها
اقفال الاذهان المغلقة
وارفع بها اليه عيون
الخواطر المطرقة
واجعل ذلك كفارة
للذنوب السابقة
ونستعيذ بالله من
الآجعة ۞

na ejus divina illis quorum intelligentiae ea ſunt recta et obvelata, et quorum animo remota ſunt et peregrina, aperiam ea illis feras ingenii clauſas, et efficiam, ut mentium oculos humi defixos tollant ad illum: idque faciam ad expianda peccata quae anteceſſerunt, modo Deus a nobis avertat rem omnem adverſam!

37) [De voce خاطر, quae deeſt in Golii Lexico, vid. Schultens. Excerpta ex Hamaſa, pag. 350.]

Ex iſta igitur praefatione haec fere cognoſcuntur:

I. Qui praefationem hanc novae pentatevchi arabici a ſe concinnatae recenſioni praemiſit, vir erat nequaquam imperitus vel credulus, ſed diligens potius, providus ac circumſpectus, earumque rerum, quae requirebantur ad bonam atque accuratam recenſionem, apprime gnarus, dignusque profecto, cujus, cum nomen oblivione deletum eſſe videatur, memoria tamen ſervetur. *Graecae* illum originis fuiſſe, quod *Joſepho Aſcario* viſum fuit, non modo argumentis plane deſtitutum eſt, ſed et, ob eum loquendi modum, quo, ubi de Graecis ſermo eſt (v. 5), utitur, vero diſſimile, *Chriſtianam* vero religionem eum profeſſum eſſe, intelligitur ex eo, quod et commentarios Chryſoſtomi Baſiliique, quorum adeo linguis Spiritum ſanctum locutum eſſe dicit, conſuluiſſe ſe perhibet, et ſub finem praefationis ſuae loco illo nobili Matth. V. 45, quo Deus dicitur ſolis ac pluviae beneficia bonis malisque ex aequo indulgere, diſerte utitur. De *aetate* denique ſi quaeras, ſaeculo demum decimo ſexto floruiſſe cenſendus eſt, ſi verum ſit, quod ſupra vidimus (ad v. 13), *Harethi* verſionem arabicam confectam fuiſſe anno Chriſti 1486.

II Auctorem verſionis arabicae quod attinet, aſſequi equidem plane non valeo, quid *Joſ. Aſcarium* inducere potuerit, ut ſcriberet, dicere anonymum praefationis auctorem, *librum hunc ſe tranſcripſiſſe ab exemplari quodam aegyptio juxta traductionem, quam e graeco idiomate in arabicum traduxerit Saidus Fajumenſis, monachus Coptites, ſecutus ſeptuaginta translationem.* Etenim omnia perluſtranti nihil occurrit, quod vel *monachi Coptici* vel translationis *e graeco* factae cogitationem aliquam animo injicere

injicere poſſit: eſtque codex ipſe tam perſpicue ac nitide exaratus, ut plane incredibile ſit, *Aſcarium* vocem الفيومي accipere potuiſſe pro القبطي. Enimvero quomodocunque factum ſit cum *Aſcario*, hoc quidem ſic ſatis certum nobis videtur, *Saîdum Fajumenſem* atque *Saadiam Gaonem* pro uno eodemque eſſe reputandum. Nam praeterea quod uterque etiam pentateuchi arabicam verſionem, eamque celebrem et magni habitam, concinnavit, et nomina quoque magnam inter ſe ſimilitudinem habent, illud praeſertim obſervandum eſt, quod anonymus praefationis auctor non de quocunque Rabbino Fajumenſi loquitur, ſed, quod articulus innuit, de illo cujus fama tanta ſit, ut lectoribus ſtatim in mentem venire debeat. De arabicis autem verſionibus pentateuchi ubi ſermo inſtituitur, commemoraturque aliquis, qui breviter, nullo alio nomine adjecto, *Alfajumenſis* dicitur; non alius innuitur quam ille ipſe Saadias, a Judaeis Gaonis nomine inſignitus. Argumento eſſe poteſt arab. pentateuchi verſio, ex hebraeo ab *Abuſaido* Samaritano confecta, cui praefatio praemiſſa eſt lectu haud ſane indigna haec 38): "Qui ſectatus eſt veritatem, in rectum ductus fuit, dixit ſervus, qui indiget miſericordiâ Dei altiſſimi, Abuſaidus filius Abul-hacein filii Abuſadi (faxit Deus inclytam eſſe propaginem ipſius,) Equidem ego poſtquam vidi verſionem libri praecellentiſſimi Legis, qui prae manibus eſt ſociorum noſtrorum (quos multiplicet Deus) et ipſam eos correxiſſe corrupte, tametſi ipſis accurata videretur, corruptam non ſolum ſpecie tenus, ſed re ipſa propter illorum imperitiam linguae

38) vid. LELONG biblioth. ſ. pag. 117 edit. Pariſ. an. 1723.

linguae arabicae, et aliquos exiſtimare hanc verſionem eſſe doctoris praeſtantiſſimi Abul-hacein Tyrii (cujus misereatur Deus) nec tamen ipſum authorem hujus eſſe; non enim ille adeo abſurdus erat, ut ipſam proferre potuiſſet, et praeſertim interpretationem ſectionis 15 lib. 2. ex qua eruitur blasphemia manifeſta et alia huic ſimilia; quin imo hanc ipſammet eſſe verſionem Alphiumenſis, (*Saadiae ſcilicet ex Phium urbe Aegypti, hunc bis expreſſe nominat in notis Abuſaidus* 39) doctoris Judaeorum (cui adverſetur Deus), exegit negotium a me, ut aggrederer interpretationem hujus codicis (*i. e. in hoc codice deſcriptam*), et illius qui hunc praeceſſit, et ejus quem ſcribam poſtea, ſi voluerit Deus excelſus, interpretatione ſincera et clara, ut eruantur inde libri, qui deleant vanitatem tam Alphiumenſis, quam illorum, qui utcunque interpretationem ejus probaverunt. Rem omnem denique conficere videtur codex arab. bibliothecae Mediceae Palatinae, cujus inſcriptionem ita refert Stephanus Evodius Assemanus, "pentateuchus Moyſis, arabicus, ex verſione *Sahîd Gaon Al Phioumi*,, 40). Credibile vero

39) verba uncinis incluſa ſunt illius, qui praefationem Abuſaidi latino ſermone expreſſit.

*) [Verius haec cum ipſo arabico textu jam exhibentur infra p. 236. ſ. ſq.]

40) vid. Bibliothecae Mediceae Laurentianae et Palatinae Codd. MS. orientall. Catalog. Florentiae 1742 fol. pag. 63. [Recte monuit celeberr. Tychsen, cit. loc. Repertorii, Vol. X. pag. 105. vocem Gaon ab Aſſemano ſuo arbitratu interjectam eſſe, atque in arabica libri inſcriptione deſiderari. — Sed ſalva res eſt. Etenim in Catalogo codd. Bodlejan. orient. pag. 10. codex XLVI, in quo eſt arabica interpretatio pentateuchi, nomen interpretis diſerte refert hoc: הגאון רבינו סעדיה אלפיומי, R. Gaon Saadia Alphiumi.

ro eſt, nomen viri primitus ac proprie fuiſſe سعيد, *Saîd*, Judaeos vero illud immutaſſe in סעדיה, Saadia, ut eſſet linguae ſuae ingenio accommodatius.

Praeſtare quid voluerit anonymus ille Criticus, ex praefatione ipſius cognovimus: ut quid re ipſa praeſtiterit, judicari poſſit, obſervationum ejus ad cap. I. Genes. apparatum integrum ob oculos ponere viſum eſt. Itaque v. 1 ad السما, *coelum,* ſcripſit السموات ع *coeli,* 2. الغمر explicatum per الما كثير *aqua multa:* in margine ſcholion eſt hoc: وباسيلوس يعتقد بها روح القدس ومار افرام يشير بها الى الهوا ويحتج بان كلام النبي انما كان في كون الموجودات لا في الاقانيم والسامرة وفرقة من اليهود قالوا ملايكة الله والفرقة الاخري قالت انها الريح ☼ Baſilius credit eſſe Spiritum Sanctum, et Mâr Ephrem putat innui aërem, eam ob cauſam, quod ſermo prophetae (Moſis) duntaxat ſit de effectibus rerum, non de rebus ipſis 41): Samaritani autem et Judaeorum alii dicunt eſſe angelos Dei, alii dicunt, ventum eſſe. 3. Ad فشا *et voluit*, notatum eſt,

MI. — Aliud quoque pentateuchi arabici exemplum, pag. 11. Num. L. verſionem exhibere dicitur factam a R. SAADIA GAON PHIUMENSI. At cum ſubjuncta haud ſit formula ipſa; verendum ſane, ne et Urius ex ſua ſententia quidquam adjecerit, quod ex codice ipſo non queat demonſtrari.]

41) ita ſenſum magis, quam verba, exprimendum putavimus, coll. Ephrem Syri Opp. Rom. 1737. fol. Tom. I. pag. 8.

eſt, فقال ع *et dixit*, cum ſcholio margin. لفظة
شا الله في هذا الاصل في هذا المكان
وما بعده هي بالعبراني وقال الله
والنصاري والسامرة ذهبوا الي ذلك وكذلك
وعلم الله اخرجها النصاري والسامرة وفرقة
من اليهود وراي الله والفرقة الاخري (42
الفظ pro, *voluit Deus*, hoc loco et ſequentibus in hebraeo eſt, *et dixit Deus*, quod etiam Chriſtiani ac Samaritani ſecuti ſunt: eadem fere ratio eſt phraſeos, v. 4. *et novit Deus*, quam Chriſtiani et Samaritani et Judaeorum alii vertunt, *et vidit Deus*, alii vero (alio) vocabulo. 5. Nota in margine eſt haec:
نص العبراني وكان مسا وكان صباح
يومًا واحدا وكذلك الحال في بقية
الايام الستة والنصاري والسامرة واكثر
اليهود نقلوها ايضا هكذا textus hebr. habet: *et fuit veſpera et fuit mane, dies unus*, et ſic etiam de reliquis ſex diebus ſermo eſt, ac Chriſtiani, Samaritani multique Judaeorum transtulerunt quoque hunc in modum. 6. Vocabulo جلد, pro רָקִיעַ poſito, adjecta eſt nota, خ بساط, in margine legitur, الجلد الارض الصلبة, i. e. جلد eſt terra dura. 7. Ad من دونه *infra illud*, notatum eſt ع تحت البساط, *infra firmamentum*: ad فوقه *ſuper illud*, ع،

42) deeſt in codice poſt hanc vocem aliquid, quod conjectura aſſequi nobis non ſumimus.

ع فوق البساط, *ſuper firmamentum*, 9. Vox الما, *aqua*, notam habet hanc, ع المياه, *aquae*, et ſic quoque in reliquis locis. 10. Ad لما علم, *cum cognoviſſet*, nota eſt ع وعلم الله, *et cognovit Deus*, et ſic quoque in locis ſimilibus. 11. Vox كلا, pro דשא poſita, ſcholion marg. habet hoc, الكلا العشب نابتة ورطبة, eſt herba progerminans, virens. 14. Super verbis بين الليل والنهار, *inter noctem et diem*, ſcripta ſunt haec ع النهار وبين الليل *inter diem atque inter noctem.* 16. Vocabulo للاضاة *ad illuminandum*, appoſitum eſt للتسلط, *ad dominandum*. 22. Vocabulum حاكما (et benedixit illis Deus dixitque) *imperans*, littera *Ze* notatum, id quod etiam 26. accidit vocibus اياه مسلطا, *eumque dominantem*, imperet piſcibus maris etc. Eodem vs. ſub finem voci عليها *ſuper illa*, adſcriptum eſt غعلي الارض, ſuper terra: in margine vero haec leguntur: نص العبراني نصنع انسانا بصورتنا لشبهنا وترجمها السامرة وفرقة من اليهود بقدرتنا وكشبه ملايكتنا وترجمها الحرث بن سنان من الاثنين والسبعين كصورتنا ومثالنا وكذلك ترجمها ابن الطيب * textus hebraicus habet, faciamus hominem in imagine noſtra, ad ſimilitudinem noſtram, ſed interpretati ſunt Samaritani et multi Judaeorum *in potentia noſtra et ſecundum ſimilitudinem angelorum noſtrorum:* Alhareth ben Senân inter

interpretatus eſt ex LXX. *ſecundum imaginem noſtram et ſimilitudinem noſtram*, et ſic quoque Ibn Attſb. 27. Verbis بصورة شرّفها الله مسلطا خلقه, *in imagine, quam nobilitavit Deus, dominantem creavit eum*, adſcripta ſunt haec: بصورة الوهيم خلقه *in imagine Elohim creavit eum*: margo ſcholion habet, الوهيم لفظة مشتركة بين اسم الله تعالي والملايكة من عباده والمعبودات غيره سبحانه ويجب مكان على ما اسنة (43 يقتضيه المعني * Vox אלהים nomen eſt tam Dei ſupremi quam angelorum, angeli autem ſunt ſervi Dei, et coluntur tanquam numina praeter Deum: oportet igitur interpretari locum aliquem juxta id quod poſtulat ſenſus. 28. Poſt وقال لهما *et dixit ambobus*, monetur addendum eſſe الله, *Deus*, et 30. denique verbum جعلته, omnia olera herbae *conſtitui ea* escam, littera *Ze* notatur ut ſuperfluum.

Intelligitur, triplicis fere generis eſſe haſce notationes, critici, exegetici, ac philologici. Tantum vero abeſt, ut univerſus pentateuchus hac ratione ſit pertractatus, ut ne de primo quidem illius libro affirmari hoc poſſit. Etenim inde a Genes. XLII. marginalium obſervationum numerus ſenſim decreſcit, atque a XLVI. 8 usque ad finem libri abſunt etiam emendationes inter lineas poſitae plane omnes. Quae res duplicem cauſam habere poteſt, vel, quod auctor praefationis opus ſuum, quale animo conceperat, non abſol-

43) eſt hic in codice iterum hiatus unius circiter vocis, nec tamen ſenſus poteſt eſſe admodum dubius.

abſolverit, vel quod qui codicem ſcripſit librarius eundem imperfectum reliquerit: quamquam haec multo illa credibilior videtur. Neque tamen jactura haec admodum gravis ac luctuoſa putari debet, cum, ſi dicendum ſit quod res eſt, haud profecto tam vel fructuoſae vel ingenioſae ſint illae notae, quin aequo animo carere iisdem poſſimus. Sed dabimus tamen ex magno numero marginalium ſelectiores aliquas, quae noſtro quidem judicio cognitu digniores reliquis viſae ſunt. Cap. III. 1. جمهور النصاري ترجموا الثعبان الحية وعبد الله بن الفضل ترجمه الثعبان عن غرغوريس في احد ميامره * praecipui Chriſtiani intellexerunt hic *ſerpentem*, ſed Abdollah ben Alphadel vertit *draconem*, ſecutus Gregorium in quodam Sermonum. III. 18 دردار لفظة عبرانية وهي ضرب من الشوك vox *Dardár* eſt hebraica, denotatque ſpeciem ſpinae. IX. 12 Vox وناعيا notam habet hanc, ناع لفظة عبرانية وهي الاضطراب verbum ناع eſt hebraicum, ſignificans agitari. XII: 6. Ad verba والي بلوط ممري *et usque ad quercus Mamre*, notatum, *pratum pulchrum*, in margine: قيل ان مرج البها بلوط وممري الناحية المعروفة الان ببلاطة * dicitur quod Ballût et Mamre ſit ille tractus, qui nunc nomen habet Beláta. XXII. 14. Ad verba مكان يرحم الله زايره, *locus propitius ſit Deus viſitanti eum*, notatum eſt, الله يتجلا *Deus manifeſtabitur*, in margine: نص العبراني وعدة نسخ عربي وسما

وسما ابراهيم اسم ذلك الموضع الله يتجلا
كما يقال اليوم في جبل الله يتجلا *

textus hebraeus et complura exempla arabica habent, et vocavit Abraham nomen hujus loci, *Deus manifeſtabitur*, ſicut dicitur hodie, in monte Deus manifeſtabitur. XXIV. 22. Ad verba شنفا من ذهب ونزنه نصف مثقال *inaurem ex auro, cujus pondus dimidium ſicli*, in margine haec ſunt notata: نقل اليهود والسامرة شنف وزنه نصف مثقال كما ههنا في الاصل فاما الاثنين والسبعين فانهم نقلوا قرطين في هذا الموضع وفيما بعده والنقل الاول صحيح والنقل الثاني ايضا يقال للاثنين هما زوجان وهما زوج وتقول اشتريت زوجي حمام انت تعني ذكرا وانثي علي ما ثبّت في صحاح الجوهري والشنف هو القرط الاعلا والقرط الذي يعلق في شحمة الاذن * vertunt Judaei et Samaritani, *inauris cujus pondus dimidium ſicli*, ſicut hic quoque extat. At LXXII vertunt *duas inaures* hoc loco et ſequenti (v. 30). Et interpretatio prior recte ſe habet, nec vero minus etiam altera. Nam de duabus rebus nomen زوج, *par*, tam in duali adhibetur quam in ſingulari, dicas ex. gr. emi par columbarum, ſi vis dicere, marem et foeminam, prout ſtatuitur in lexico *Gjeuharii*. Et vox שנף ſignificat tam ſuperiorem inaurem, quam illam quae pendet ex auricula infima. XXXI. 26. Ad verba

ان

سرقتني *eum celaveris me*, notatum, كتمتني ان قلبي *furatus es cor meum*, in margine: قول العبراني سرقت قلبي المراد به اخفيت امرك عني locutio hebraica, furatus es cor meum, ſignificat, celaſti me negotium tuum. XXXVIII. 8. قول ههنا في الاصل وابن عليها يريد به تزوج بها فانه يقال بني فلان بيتا وبني علي اهله بناء اي زف زوجته وهذه اللفظة بالعبراني يبام واختلف المفسرون في اخراجها الي العربي فقيل فيها القول المقدم ذكره وتدخل بها والسامرة قالوا واسلفها * formula quae hic legitur, *aedifica ſuper illam*, ſignificat, *uxorem duc illam.* Dicitur enim aliquis aedificaſſe domum, vel aedificaſſe ſuper familiam ſuam, ſi domum deduxit uxorem ſuam. In hebraeo eſt יַבֵּם, de qua voce arabice reddenda admodum diſcrepant interpretes, putaturque idem ſignificare quod praecedens formula, ingredere ad eam. At Samaritani habent, uxorem eam duc tanquam affinis. Denique ad vocem ينهلة XLIX. 4. haec leguntur, النهل الشرب الاول لان الابل يسقي في اول الورد فترد الي مناخها ثم تسقي الثاني وهي العلل فترد الي المرعي * *Annâhl* eſt potus primus,

primus, etenim cameli rigantur prima aquatione, tunc rediguntur ad loca ſua ubi recumbunt, deinde altera vice rigantur, quod *Alal* vocatur, tunc rediguntur ad paſcuum. conf. SCHVLTENSII Origines hebr. pag. 105, edit. an. 1761. et MICHAELIS Chreſtom. arab. pag. 50.

[Locus, pag. 227. ex *Bibliotheca Lelongii* latine redditus, arabice ad exemplum, a celeberr. CAVSSINO, cenſore atque interprete regis, ex ipſo codice, qui inter arabicos bibliothecae regiae quarto loco poſitus eſt, exſcriptum ac humaniſſime communicatum, ſic habet:

من اقتدي بالحق اهتدي

قال العبد الفقير الي رحمة الله تعالي
ابو سعيد بن ابي الحسين بن ابي سعيد
احمد الله عاقبته انني لما رأيت ترجمة
الكتاب الشريف التي بايدي اصحابنا
كثرهم الله واصلحهم مفسودة صورة
ومعني لجهلهم باللغة العربيّة مع كون
بعضهم يزعمون انها ترجمة الشيخ الفاضل
ابي الحسن الصوري رحمه الله وانسبت
له ولا يستحيل ان ينطق وخصوصا ما
ترجم

ترجم في בלכתך לשוב מצרימה: ممّا هو كفر
صراح وما وقع مُشبهًا له وانما هي ترجمة
الفيومّي عالم اليهود قابله الله اقتضت
المصلحة عندي ان اترجم هذه النسخة
وما تقدمها وما قد اكتب بعدها ان
شا الله تعالي بعبارة صحيحة فصيحة
لتنقل منها نسخ تنسخ الباطل الذي
عول عليه الفيومّي ومن رضي بعبارته
وليصير لي ذكر جميل عند الله عزّ وجلّ
ومبتغي الحق من امته ان شا الله تعالي

quae latine ſic vertenda ſunt:

Qui veritatem ſequitur, recte procedit.

Dicit ſervus, qui eget miſericordia Dei ſummi, Abu Saîd Ibn Abi'l Hosain Ibn Abi'l Saîd (ratum habeat Deus conſilium ejus!)

Cum viderem verſionem libri excellentiſſimi eam, quae verſatur in manibus noſtrorum, (quos multos reddat Deus et felices!) vitiatam non modo externa ſpecie ſed revera, quod minus periti ſint linguae arabicae, et nonnulli etiam exiſtiment, eſſe verſionem praeſtantiſſimi *Abi'l Haſan, Tyrii*, (cujus miſereatur Deus!) cujus tamen haud eſt, neque enim ipſe eo devenit, ut proferret, maxime in loco illo Exod.

Exod. IV. 21 talia, quae haberent manifeſtam impietatem, aliaque his ſimilia — eſt autem verſio *Al Phajumenſis*, doctoris Judaeorum, (cui adverſetur Deus!) efflagitavit res apud me, ut interpretarer hanc codicis partem, nec non quod deinceps ſcribam, ſi Deo viſum fuerit, ratione recta, perſpicua, ut inde ſumi poſſint exempla, quae abrogent vaniſſimum illud, quo nixus eſt *Al Phajumenſis*, et qui probant ejus interpretationem, atque ut ſit mihi memoria pulchra apud Deum O.M. et (oriatur) deſiderium veritatis apud populum ejus, ſi viſum fuerit Deo ſummo.]

VIII.

VIII.

ANIMADVERS. AD QVAEDAM LOCA JOBI. FASCIC. I.

Job. IV, 17 ſqq.

Oraculum, quod noctu divinitus ſibi editum refert Eliphaſus, non uno alterove commate abſolvi, ſed ad finem usque capitis procedere, poſt Schvltensivm recte ſtatuunt interpretes recentiores. Et verſus quidem 17 ſenſus ſine dubio hic eſt, tantam eſſe Dei in moderandis rebus humanis juſtitiam atque aequitatem, ut nemo mortalium de injuria ab ipſo accepta conquerendi juſtam cauſam habere unquam poſſit. Deinde v. 18 occurritur dubitationi, quae in animis hominum facile naſci poſſit exinde, quod videant reges ac dominos non omnia civium ſuorum negotia ipſos cognoſcere et curare, ſed plurima praeſidum atque adminiſtrorum auctoritati ac fidei committere. Itaque docetur, divini regiminis plane aliam eſſe rationem, a Deo enim ipſo eoque ſolo prorſus omnia ordinari, nec quicquam tribui miniſtrorum atque angelorum curae poteſtatique, utpote quos tam gravi negotio non putet poſſe ſatisfacere. Hiſce vero quomodo ſequentia reſpondeant, non aeque clarum eſt et perſpicuum.

Plurimorum quidem ſententia haec eſt, comparationem hic inſtitutam eſſe angelos inter atque mortales, qua hos illis longe inferiores eſſe oſtendatur. Sed quo-

quominus id probare poſſimus, hoc inprimis efficit, quod qui modo ab ipſius ſupremi Numinis voluntate atque imperio pendere dicuntur, non videantur commode nunc commemorari poſſe cum mentione miſeriae, quacum ipſis ſit confliĉtandum, ut qui tinea citius conterantur, breviſſimoque tempore pereant, nemine curante. Nobis vero potius videtur v. 19. 20. 21 contineri deſcriptio illius conditionis, quae eventura eſſet hominibus tum, ſi adminiſtrorum, atque angelorum curae et prudentiae res eorum Deus commiſerit. Itaque locum ſic interpretamur:

17 *An homo ſit Deo juſtior,*
an creatore ſuo purior vir?

18 *En, miniſtris ſuis haud confidit,*
et angelos ſuos obnoxios putat errori.

19 *Imo vero, qui caſas luteas habitant pulveri innixas,*
contererentur citius tinea,

20 *Exacto vix uno die eſſent contuſi,*
nemine proſpiciente penitus perituri.

21 *Certe ſublatum foret quicquid dignitatis ipſis ineſt,*
moriendum illis eſſet, nulla moderante ſapientia.

Supereſt, ut ad ſingula nunc quaedam obſervemus. V. 17 non de abſoluta illa perfectaque Dei ſanctitate et puritate ſermonem eſſe, per ſe patet. Quis enim ſanus ſibi unquam perſuaſerit, Deo ſeſe meliorem ac ſanctiorem eſſe poſſe? Sed cum nunquam deſint ejusmodi, caeteroquin haud mali, homines, qui, ſi adverſam fortunam experti fuerint, putent ſe duriter a Deo haberi injuriamque pati, quod ipſi Jobo accidiſſe videmus; certe non alienum erat praecipi, nunquam id fieri poſſe, ut homini Deo iniquitatem expro-

probrandi juſta aliqua cauſa eveniat. V. 18 nomen תהלה a verbo הלל, niſi invita analogia, deduci poſſe recte negavit SCHVLTENSIVS 1): ſed quod ipſe adhibet verbum arabicum ثهل, rarum praeterea atque infrequens, non magis aptum eſt ad analogiam. Videtur vero potius derivandum eſſe a verbo وهل, *errorem commiſit, lapſus eſt.* Formulam autem ישים בו ſignificare, *tribuit illi*, perſpicuum eſt ex 1 Sam. XXII, 15. — Vers. 19 ſi duriuſcula videatur locutio imperſonalis ידכאום, etſi alia exempla haud deſint, veluti Proverb. IX, 11. poſſis cum HEATHIO 2) Anglo, et REISKIO 3) legere יִרְבְּאוּ מִלִּפְנֵי: quamquam nec quae ab HEATHIO voci מלפני ex Devteron. XVII, 18 tribuitur ſignificatio *inſtar*, nec quae REISKIO placet ex Arabiſmo petita, ſatis certa videtur et explorata. — Vers. 20 verba מבקר לערב non poſſunt ita ſumi, ut diuturnitatem afflictionis deſignent: etenim qui tinea citius conteruntur, non apte dicuntur a ſummo mane ad veſperam usque contundi. Illud potius innuitur, vix unius diei ſpatio exacto eventuram ſtatim homini calamitatem, quae vitam miſere abrumperet. לנצח hic plerumque redditur *in perpetuum*, ſed malim, *penitus*, quem vocabuli uſum copioſe probavit SCHVLTENSIVS in commentar. ad Proverb. XXI, 28. Denique vers. 21 nomen יתר accipiendum putamus ſenſu obvio *excellentiae.* In hoc certe poſita eſt vera ac praecipua hominis dignitas atque excellentia, quod ipſi

1) In Commentario ad h. l.

2) An Eſſay towards a new English Verſion of the Book of Job from the original Hebrew, with a Commentary. by THOMAS HEATH, Esq. London 1756. 4. pag. 18.

3) REISKE Conjecturae in Jobum. Lipſiae 1779. 8vo.

ipſi Deo ſummo proxime ſubjectus, ab ipſius unice arbitrio pendeat, atque inprimis vitae ſuae ſpatium atque rationem univerſam quam ſapientiſſime ab eo ordinari certo credere poſſit.

Cap. VI, 13. 14.

Magna eſt in vertendo verſu 13 opinionum diverſitas. Noſtra quidem ſententia ad verum ſenſum proxime acceſſit perill. Michaelis, qui, quod recte ſentiret ellipſin hic locum habere, repetito ex verſu 11 verbo איחל ſermonem hoc modo explevit . . . האיחל אם אין, *mihine etiamnum ſperandum, ubi auxilium nullum adeſt?* Sed putaverimus tamen, ex poſteriori magis commate ejusdem verſus 11 ellipſin eſſe explendam. Etenim uti evidens eſt et certum, verſum 12 relationem habere ad verſus 11 membrum prius: ita vix dubitari poteſt, verſum 13 ad poſterius hemiſtichion reſpicere, atque hoc modo intelligendum eſſe:

האאריך נפשי אם אין עזרתי בי׃

protrahamne vitam, cum nihil auxilii ſuperſit?

Ad ſequentem verſum major etiam eſt interpretum diſſenſus. Copioſe de hoc loco agit perill. Michaelis 4), cui videtur, facta accentuum mutatione, ita eſſe accipiendus,

(אֲשֶׁר) לַמָּס מֵרֵעֵהוּ

חֶסֶד וְיִרְאַת שַׁדַּי יַעֲזוֹב׃

cujus amicus ſit tributarius,

is humanitatem et timorem Dei depoſuit.

Ex

4) Biblioth. orient. et exeget, P. VII. pag. 222.

Ex recepta enim verborum ſtructura negat ſenſum elici poſſe facilem atque verum. Et SCHVLTENSII certe interpretatio, quam commemorat, putantis, formulam, "qui miſericordia erga amicum contabeſcit," idem valere ac, qui miſericordia caret, non videtur ita comparata eſſe, ut omnium ferre aſſenſum poſſit. Sed putaverimus, haud ulla mutatione facta, ſubintellecto tantum in priori hemiſtichio verbo תִּהְיֶה, poſſe verba hac ſimplici ratione exprimi,

> *Afflicto exhibenda eſt ab amico ipſius humanitas, alioquin hic reverentiam Dei exuit.*

Etenim hoc loco ille uſus particulae Vav obtinet, qui et alibi cernitur, ut reſpiciat conditionem omiſſam, et ſolo ex contextu ſupplendam, veluti pſ. LI, 18, ubi ſubintelligendum, quodſi victima delectareris, *tunc* darem 5). Eundem ſenſum, egregium ſane et graviſſimum, expreſſit quoque HVFNAGELIVS, vir clariſs. quamquam qua ratione e verbis hebraicis efficiatur, ex adjectis notis non intelligitur.

Cap. IX, 19. 20. 21.

Senſus loci hic eſt, quocunque modo rem aggrediar, ſive vi ſive jure, vincere Deum in mea cauſa fruſtra conabor. Sed particula הִנֵּה videtur orationis concinnitatem impedire. Sumitur quidem plerumque, ac ſi eſſet הנה אמיץ, ſed invito, ut nobis quidem videtur, linguae uſu, qui particulam הִנֵּה alii vocabulo ejusdem commatis non facile ſinit poſtponi. HOVBIGANTIVS pro הנה legendum eſſe pronuntiat הוּא, quam lectionem Syrus quoque interpres exprimit.

 Enim-

5) vid. SCHROEDERI Syntaxis, de particulis, reg. CIX. pag. 433.

Enimvero vix intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut planiſſima lectio הוא tranſiret in aliam minus obviam atque ſubobſcuram. Contra vero non incredibile videtur, primam vocis ואם litteram praecedenti vocabulo eſſe jungendam, ut ſit הִנֵּהוּ, quae vox legitur Jerem. XVIII, 3: quo obſervato, ſalvis etiam accentibus, verti poteſt, *ſi viribus potentioris dirimenda lis ſit, en illum!* ut ſit reticentia ejus rei, quae nemini non poteſt non ultro in mentem venire, nempe, Deum infinitis modis eſſe homine potentiorem. In verbo יועידני notanda eſt lectionis varietas. Etenim Alexandrinus et Syrus interpres exprimit יעידני quis diem dicit *illi*, probante perill. Michaelis. Codicum Regiomontanorum alter habet יודיעני, quod, monente ven. Doederleinio 6) hunc aptiſſimum ſenſum habere poteſt, "quis me inſtruet, docebit argumenta?" Vulgata denique habet, nemo audet pro me teſtimonium dicere, conſentiente Chaldaeo, מַן יַסְהִיד עֲלַי, quis teſtabitur pro me, יְעִידֵנִי. Recepta lectio ſi tuenda ſit, dicendum, diem conſtituere judicis eſſe arbitrique, adeoque formulam, quis mihi diem conſtituet, idem valere ac, quis mihi judex ſedebit? Verſum 20 nova ratione ven. Dan. Gotth. Moldenhawer, theol. prof. Kilonienſis, in vernacula verſione Jobi, cujus pars prior ſuperiore anno in lucem edita eſt, ſic interpretatur, ut אם אצרק פי dictum putet pro אם יִהְיֶה פי אצרק, et vocem פי poſitam pro אֲמָרַי 7), *ſi ſit ſermo meus: juſtus ſum*; quod ſane duriuſculum videtur, ut mallem cum ven. Doederleinio פי pro בְּפִי accipere. Sed putamus, ſen-

6) Scholia in libros vet. teſt. poëticos, Jobum, Pſalmos, et tres Salomonis. 1779. 4.

7) Conf. Kieler Literatur-Journal 1780. XI Stük, pag. 1009.

ſenſum commatis affectui loquentis aptiorem hunc eſſe: etiamſi purgavero me, futurum tamen, ut me ipſemet ſontem pronuntiare cogerer. Deinde, ſi quae nobis ſententia ſedeat dicendum ſit, verſu 21 Jobus vehementiore impetu elatus audet, quod antea auſus non fuerat, dicere, inſontem omnino ſe eſſe, hoc eſt, nil quicquam malorum, quibuscum confligandum ipſi ſit, promeritum, bene quidem ſe ſcire, haud impunem futuram hancce ſuam audaciam, ſed nihil curare ſe, vitae ſuae pertaeſum, itaque ſe audacter pronuntiare, Deum bonos malosque pari loco habere. Nimirum ſimpliciſſima ac planiſſima verborum interpretatio videtur nobis haec:

21 *Inſons ego ſum — non curo me — odi vitam meam.*

22 *perinde eſt, hinc dico: inſontes unacum improbis (Deus) abſumit.*

Temeraria, fateor, ſententia: at certe a Jobi ingenio nequaquam aliena, ut quem mox audaciora etiam effundere videas. Praeterea ex verbis, quibus utitur Jobus, tam facile illa et quaſi ſponte conſequitur, ut haud opus ſit, ad eam demonſtrandam aliquid adjicere. Quod neſcio an de aliorum rationibus aeque valere poſſit. Veluti ven. MOLDENHAWERVS, filius, ita ſenſum exprimit:

Cultor ejus ſum! memet ipſum haud noſſem?
cultor ipſius ſum! et tamen vitae faſtidium mihi obtingit?
quam quaeſo ſingulare hoc! recte contendo,
probum aeque ac improbum delet.

Enimvero formulam לא ארע נפשי et אמאס חיי interrogantis hic eſſe, vix putaverim perſuaderi poſſe

cauto ſacrarum litterarum interpreti, qui cogitet, eadem ratione affirmantem ſententiam quamlibet poſſe in negantem transformari.

Cap. XI, 10. 11. 12.

Eſt hic quoque Jobi locus ex genere illorum, in quibus mirum in modum diſſentiunt interpretes. Nobis videtur haud dubie ſenſus hic eſſe, Deum, ſi vellet cauſas, cur hominem malis afficiat, coram exponere, tam juſtas eas tamque graves habiturum, ut et ſtolidiſſimus et ferociſſimus quisque perſuaſum ſibi eſſe et penitus ſatisfactum eſſet dicturus. Sed, ut egregie monet perill. Michaelis 8), loquendi formula deſumta eſt ab antiquiſſimo illo modo inſtituendi judicii, quo qui injuriam accepiſſe ſe putaret, adverſarium vi prehenſum in jus trahebat, coramque coetu actionem inſtituebat, reo poſtmodum cauſam ſuam dicente, populoque tandem ſententiam ferente. Quibus praemiſſis verba ſic interpretamur:

10 *Si quem Deus comprehenderet, victumque ſiſteret coram coetu,*
quis eum refutaret?

11 (*Ipſe enim novit malos,*
videtque ſcelera, etiamſi animadvertere non videatur.)

12 *Et homo vacuus animum eſſet accepturus,*
pullus onagri indolem hominis.

Verbum חלף, praeeunte Schultensio 9), accipimus ſenſu *invadendi*, quo etiam uſurpatum videas cap. IX, 11. הִסְגִּיר eodem docente ex uſu arabico eſt, *collari*

8) Anmerkungen, zu Cap. XI, 10.
9) in Commentario ad h. l.

collari conſtringere. יקהיל elliptice dictum pro יקהיל קהל. Vocabulum ישיבנו de refutatione intelligendum, quae fit dictis argumentisque, quo ſenſu verbum hoc occurrit cap. XIII, 22. Sed ante hanc formulam ומי ישיבנו cogitatione ſupplendum, quod ſponte legentis animo ſeſe offert, *ſi rationem exponeret.* Verſus 11 in parentheſi poſitus cauſam indicat, cur Deus in caſtigandis improbis juſte verſari cenſendus ſit, quod ſcilicet nullum ſcelus, ab homine unquam commiſſum, latere illum poſſit. Verba ולא יתבונן poſſis quidem imperſonaliter accipere, quod placuit doctiſſimis viris, Michaelis ac Doederleinio: malim tamen ad idem cum praecedenti verbo יראה ſubjectum illud referre, et ſenſu reciproco accipere, ut ad verbum ſit: *et tamen* 10) *ſcientem ſe non praebet.* איש נבוב *cavus*, talis eſt, in quo locus, cui ineſſe debebat cor, cavus eſt atque inanis. ילבב eſt verbum factum ex nomine לֵב, *cor* autem Hebraeis intellectum denotare, vel ex tritiſſima illa formula, חֲסַר לֵב, intelligitur, quae hominem ſtultum, imprudentem, ſolet ſignificare. עיר פרא imago eſt hominis rudis, indocilis, ferocis. Vtriusque generis homines recte affirmat Zopharus fore ut flecti ſeſe atque edoceri evidentiſſimis Dei argumentis paterentur.

Cap. XIII, 13—16.

Verba haec hoc modo interpretamur:

13 *Silentes deſiſtite a me, ut ipſe loquar,*
Quicquid tandem mihi eveniat.

10) de uſu particulae Vav, quando membrum praecedenti adverſans ſubnectit, vid. Schroederi Syntax. Particular. Reg. CIX, 1. 3. et Schultensii comment. ad Prov. XXVIII, 21.

14 *Quare enim auferam corpus meum dentibus,*
et vitam ſervare ſtudeam?

15 *En, occidit me, nihil ſpero:*
modo vitae rationem ipſi exponere velim!

16 *Atque hoc ipſum defenſioni mihi eſſe debebit:*
nam impius ipſi offerre ſe non volet.

החרישו ממני conſtructio eſt, quae *praegnans* dicitur, pro החרישו וְחִדְלוּ ממני. Formula יעבר עלי מה elliptice expreſſa, pro יעבר עלי מה יעבר, coll. 2 Sam. XIII, 22. 23. Hufnagelii, viri clariſs. opinio eſt, verba ſic eſſe ordinanda, מה על מה: . . . . אשׂא, et dictionem, אשׂא בשׂרי בשׁני, cum Reiskio hoc modo accipi debere, *ipſe copiam mei faciam judici.* Nobis autem, pace viri humaniſſimi, neutrum probatur magnopere. Etenim phraſis יעבר עלי מה על מה ne quidem bene hebraica eſſe videtur: formula vero, "dentibus meis corpus meum tollam", docente ven. Doederleinio metaphoram habet a beſtiis ductam, quae praedam dentibus prehenſam auferunt, quod quidem facere ſolent tum, quum quid in tuto collocandum eſſe putant. Quapropter ſenſum non bene aſſecutus videtur perill. Michaelis, qui verſum hoc modo exponit: quare corpus ac vitam ſummo periculo objiciam? Neque magis probamus ven. Moldenhaweri ſententiam, qui habet: auſim, nulla diſcriminis ratione habita. Sed potius, niſi nos omnia fallant, verus ac certus formulae ſenſus hic eſt, *quare in tuto collocare ſtudeam corpus meum!* Atque his reſpondere nunc debet altera, quae ſequitur, locutio, quam priori aequipollere ipſa membrorum ſtructura haud obſcure innuit. Nempe in manum rem aliquam ponit, qui ejuſdem amittendae periculum imminere videt, ſed de illa tuenda ſervandaque eſt

eſt ſolicitus. Duplicem itaque vim habet locutio בכפי אשים נפשי alteram in aliis locis obviam, *objicio vitam periculis*, alteram huic noſtro propriam, qui vertendus eſt: quare de vita mea ſolicitus eſſe debeam? Cauſam mox addit Jobus, quare vitae ſuae curam atque rationem habere nolit, nempe hanc, quod probe ſciat, ſeſe ex morbo, quo prematur, nunquam eluctaturum, ſed brevi mortem eſſe ſubiturum. Recepta lectio לא איחל dubitationem vix habere poteſt, conſequentiam ſermonis ſi ſpectaveris. Verſiones quidem antiquae praeter Alexandrinam omnes exprimunt Keri לו, quod Stuttgardianus etiam codex in contextus ſerie primitus exhibuit, poſtmodum in לא mutatum: ſed vix dubitaverim ortum eſſe inde, quod lectio לא nimium videbatur habere temeritatis audaciaeque. Itaque, ſi verum ſit, duarum lectionum illam eſſe antiquiorem, ex qua origo alterius probabiliter poſſit demonſtrari; praeferenda omnino erit lectio, quam exhibet contextus. Tuetur eam quoque ven. MOLDENHAWERVS, ſed vertit: *mene occideret? haud putaverim!* Parum feliciter, ut nobis quidem videtur. Nam et ratio nulla adeſt, cur יקטלני interrogantis eſſe debeat: et loco איחל debebat dictum eſſe אִירָא, quoniam mortis imminens periculum metuendi quidem materiam praebebat Jobo, ſperandi nequaquam. Pronomen הוא, ſi conſtare ſibi Jobus debeat, qui modo ſperandum ſibi quicquam eſſe negavit, ad Deum referri nequit: ſed eſt potius neutraliter ſumendum, quod vidit etiam Alexandrinus, qui habet, *και τουτο μοι αποβησεται εις σωτηριαν*. Senſus: ex hoc ipſo, quod cauſam meam omnemque vitae rationem coram Deo exponendi tantum in me ſit deſiderium, intelligere vos debetis, nullius culpae me mihi conſcium eſſe, impius enim qui eſt, conſpectum atque colloquium Dei certe haud expetet.

Cap. XV, 10.

Interpretes, quos nos vidimus, omnes Eliphaſi hiſce verbis hunc ſenſum tribuunt, eſſe ex tribus illis Jobi amicis unum gravi ſenectute ſpectabilem, immo patre Jobi provectiorem, ipſum ſcilicet qui verba facit Eliphaſum. At nobis videntur haec verba potius ſic intelligenda eſſe, *etiam pro nobis ſunt*, *a noſtris partibus ſtant ſenes atque grandaevi*, ut שב et ישיש poſitum ſit ſenſu multitudinis. Etenim quod Schultensio aliisque obſervatum eſt, reſpicit Eliphaſus ſermonem Jobi, cap. XII, 12, provocantis ad auctoritatem ſeniorum, hoc vero eſt majorum, qui quod major eſſet longaevitas, majorem quoque rerum uſum atque peritiam habuerint. Neque enim Jobum ſemet ipſum innuere, quod quibusdam viſum eſt, neque ſenes ſua aetate viventes, ſed priſci aevi homines, perſpicitur tum ex loco ſimili cap. VIII, 8 ſq. tum ex eo, quod carminis, quod ipſe recitat verſu 13 ſqq. auctoritas nulla eſſe poterat, niſi eſſet a majoribus traditum atque acceptum. Eliphaſus itaque, ſi ſenibus a Jobo excitatis alios, ſi carmini cap. XII, 12 commemorato aliud nunc cap. XV, 20 ſq. opponere velit; omnino haud ſua ipſius ſenili gravitate, quam nec alibi urget, legitime uti poteſt, ſed itidem priſci aevi homines intelligere cenſendus eſt. Quae ſi recte dicta ſint, cadere omnino videtur illa argumentatio, qua perill. Michaelis utitur 11) ad demonſtrandum, fabulam, non hiſtoriam vere geſtam, exhiberi libro Jobi. Neque enim illud recte affirmatur, juventutem amicis Jobum exprobrare cap. XXX, 1, cum non modo cauſa, cur loco citato amicos ſuos innuat Jobus, idonea afferri non poſſit, ſed etiam incredibile videri debeat, Jobum

11) Lowth de ſ. poëſi Hebraeorum, pag. 668. edit. Goetting. ann. 1768.

Jobum vehementius quidem commotum nec tamen inſanum, eo proceſſiſſe inſolentiae, ut amicos, viros probos et graves, depingeret tanquam mortalium omnium viliſſimos abjectiſſimosque.

Cap. XVI, 5.

Verba אאמצכם במו פי interpretatur SCHVLTENSIVS, praevalere poſſem vobis ore meo, adſtipulantibus MICHAELIS, MOLDENHAWERO, HVFNAGELIO, viris clariſſimis. Sed refragatur conſtans atque perpetuus uſus verbi, quod ubi tranſitivum eſt ſignificare ſolet, firmavit, roboravit aliquem. Itaque hic locus reddendus, *confortare vos poſſem dictis*: cujus ſententiae ſenſus non poteſt eſſe perquam obſcurus in hac ſerie orationis. In eo enim eſt Jobus, ut ſignificet amicis, nihil ipſos vanis ſuis argumentis conſolationibusque apud ſe efficere, etiam ſibi haud difficile futurum, ſi ipſius eſſent loco, declamationes ad ipſos inſtituere, ac, ſi perſuaderi ſibi haud paſſi fuerint, attonitum caput movere. Hiſce talibus igitur quando ſubjicit: *poſſem et ego vos roborare ore meo;* dubium vix eſſe poteſt, quin perſtringere velit amicos, atque innuere, quae ab ipſis ad animum amici erigendum corroborandumque prolata fuerint, verba tantum eſſe, non argumenta ex interiore animi ſenſu firmaque perſuaſione profecta. — Alterius hemiſtichii nomen ניד eſt quidem *απαξ λεγομενον*, nec tamen admodum dubiae ſignificationis. Nam cum hoc ipſo libro verbum נוד aliquoties adhibitum ſit, ubi ſermo eſt de conſolatione et profeſſione doloris ſocii, cap. II, 11. XLII, 11; pronum eſt, etiam nomen hoc ipſo ſenſu eſſe accipiendum. Sed יחשך unde pendeat, non adparet: neque enim חשך vim reciprocam habet, ut ſignificaret, *ſemet ſubtraxit*, neque commode פי,

os meum, ſubjecti locum obtinere poteſt. Igitur pronuntiandum eſt יֵחָשֵׂךְ, *et labiorum miſeratio recuſaretur.* Atque hic quidem unicus eſt, quem verba hebraica, niſi torqueantur, admittere poſſint, ſenſus. Aperta vero cum ſit hemiſtichiorum repugnantia; lectionis aliquod vitium ſubeſſe juſta oritur ſuſpicio. Etenim orationis ordo ac membrorum parallelismus poſtulat, ut quod primum affirmative dictum eſt, deinde repetatur negatione contrarii. Et ſuffragatur quoque interpres Alexandrinus, *κινησιν δε χειλεων* ΟΥ *φεισομαι*, nec non Syrus, et verba labiorum meorum NON cohiberem a vobis. Itaque haud dubitaverimus, genuinam loci lectionem hanc ſtatuere

וְנִיד שְׂפָתַי לֹא יֵחָשֵׂךְ׃

roborare vos poſſem dictis,
et labiorum miſeratio haud defutura eſſet.

Quae quidem ſententia haud parum liberalior, Jobique perſona minus indigna eſſe videtur, quam quae ex vulgari lectione plerumque ſolet exprimi. *)

Cap. XVII, 16.

Varie accipitur formula בדי שאל, frequentius tamen hoc modo, ut ſtatuatur, *vectes* pro *portis* dictos eſſe, ac phraſin בדי שאל eandem vim habere cum altera illa magis uſitata, שערי שאל ſeu שערי מות, Eſai. XXXVIII, 10. Ps. IX, 14. CVII, 18. Job. XXXVIII, 17, quae SCHVLTENSII etiam eſt opinio. At cum nomen hebraicum nonniſi vectes ad portandum aliquid denotet, et nullibi uſurpatum ſit de peſſulis,

*) [*Sed haec lectio* לא *ex codicibus hebraicis nihil praeſidii nacta eſt.*]

lis, qui hebraice dicuntur בריחים (Hoſeae etiam locus, cap. XI, 6 *repagula* neutiquam admittit); malim cum illis facere, qui בדי שאל interpretantur *ſolitudines orci*: quandoquidem orcus, etiamſi incolarum multitudine frequens, concipitur ut locus perpetuae quietis altiſſimique ſilentii, coll Ps. XCIV, 17. CXV, 17. In verbo תרדנה *pluralis* difficultatem habet, quoniam unde pendeat, haud adparet. Sunt qui dicant, verbum neutraliter ſumendum eſſe, ut fere Vulgata habet, *in profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea.* SCHVLTENSIVS exiſtimat, pluralem hic adhibitum eſſe ob nomen תקותי praecedenti verſu bis poſitum: quod ſane videtur nimis argutum. Ill. MICHAELIS, mutato בַּדֵּי in בַּדַּי, vertit, oſſa haec in ſepulchri ſolitudinem deſcendunt, praeeunte CLERICO: cui vero recte objecit SCHVLTENSIVS, grammaticum errorem committi, ſi verbum foemininum תרדנה conjunctum dicatur cum nomine plurali maſculino. Nos autem dudum putavimus, verbum תרדנה ſingulari potius quam plurali numero hic eſſe accipiendum: in quo conſentire nobiſcum videtur ven. MOLDENHAWER, verba, de quibus agitur, ſic convertens: demittat ſeſe (ſpes mea) in ſepulchrum! Scilicet ut Exod. I, 10 תקראנה dictum eſt pro תקרא, Jud. V, 26 תשלחנה pro תשלח eadem prorſus ratione etiam תרדנה poſitum eſt pro תֵּרֵד: quo obſervato hebraica locutio recte ſic convertitur, *in orci receſſum ſpes mea deſcendet.* — In altero hemiſtichio commentatores quidem conſpirant נחת accipere pro ſubſtantivo, ut ſenſus ſit: quum una ſuper pulvere quies erit. Sed hac ratione particulam יחד prorſus otioſam effici quis eſt qui non intelligat? Itaque perill. MICHAELIS, levi mutatione facta, ſic habet: *mater mea ibi mecum eſt*; ſatisne feliciter, alii pronuntient. Nobis certe videtur dicendum fuiſſe אִמִּי, quamquam et ſententia ipſa,

mater

mater ibi mecum eſt, non magnopere arridet. Inſigniter vero nobis placet Alexandrini interpretis ratio, qui, vocabulo נחת ſumto pro prima perſona futuri Kal נֵחַת, a verbo נחת deſcendit, ſenſum ſic exprimit, *η ομοθυμαδον επι χωματος επιβησομεθα*; niſi quod haud putaverimus, interrogantis haec verba eſſe, ſed hoc potius modo exprimenda, *quum una in pulverem delabemur*. Prima vero *pluralis* perſona utitur Jobus, non quod amicos, ſed quod ſpem ſuam ſecum conjungat. Formula denique נחת על עפר eandem ſine dubio vim atque indolem habet cum altera illa, ירד עפר, quae extat Ps. XXII, 30.

Cap. XX, 10.

Vocabulum יְרַצּוּ, ſi futurum Pihel ſit verbi רצה, aptam explicationem vix admittere videtur. Schultensius quidem locum ſic interpretatur: filii ejus gratiam ambient egentium; ſed non prorſus ſubtiliter. Etenim cum רצה tranſitivum ſit, Pihel dupliciter tranſitivum ſit, neceſſe eſt. Vertas igitur, *filii ejus facient, ut gratum habeant egeni*, et nunc intelliges, deeſſe aliquid ad ſenſus integritatem, quod unde ſuppleri poſſit, non adparet. Michaelis quidem verba convertit: filii ejus debita pauperibus ſolvere debent, ſed qua ratione, quibusque argumentis id fiat, nos quidem non aſſequimur. Ven. Doederleinius, hoc verſu criminum mentionem contineri putans, et ירצו referens ad רצץ, hunc ſenſum exhibet: liberi ejus proculcarunt miſeros, ipſe peccatorum ſuorum ſegetem collegit. Denique clar. Hufnagelius, adhibito verbo רוץ, unde ירצו ſit futurum, יְרֻצוּ, verſionem exhibet hanc: filii ejus oberrabunt egeni; quod vereor, ut bene hebraice dictum ſit, neque enim putaverim, verbum רוץ habere ſignificationem oberrandi,

di, obambulandi: quamquam et ven. Moldenhawero illud placuiſſe intelligo. Nobis omnino ſtatuendum videtur יְרֹצּוּ, futurum verbi רצץ, unde modo facili et plano haec ſententia conſequitur, *filios ejus vexabunt egeni*, hoc eſt, qui patris fraudibus atque vi bonis ſuis everſi ſunt: quae quidem interpretatio duplicem commendationem habet, primo, quod orationis feriei convenientiſſima eſt, mentioni enim de interitu viri nefarii quid propinquius eſſe poſſit commemoratione calamitatis, liberis ejus eventurae? deinde quod idem ſenſus etiam altero hemiſtichio continetur, modo hoc alia, quam fieri ſolet, ratione explicetur. Communis quidem opinio eſt, pronomen in voce ידיו referendum eſſe ad illum nefarium, de cujus ſubitanea clade dictum eſt in antecedentibus. At cum haud infrequens ſit, ut "ad nomen plurale, ſignificans homines unius ſtatus et conditionis, referatur adfixum ſingulare, ſenſum habens diſtributivum, quo ad ſingulos illorum pertinet" 12); quidni etiam hoc loco dicamus, ſuffixum ſpectare ad בנים, ut ſenſus ſit, quisque filiorum reddere, et quaſi legitimo domino reſtituere cogitur ſuas facultates ex patris haereditate acceptas.

Cap. XX, 19. 20. 21

In convertendis tribus hisce verſibus mirus plane eſt interpretum diſſenſus, quem vero multis recenſere nil attinet. Nobis videntur ita eſſe conjungendi, ut omnes nonniſi unicam periodum conſtituant, hoc modo:

19 *Quoniam concuſſit inopes atque tum omiſit,*
domum occupavit non a ſe extructam,

20 *Quo-*

12) Verba ſunt Schroederi in Syntaxi pronominum, regula XXXVI, 2, pag. 322.

20 *Quoniam haud ſenſit quietem in ventre ſuo,*
et nihil eorum, quae appetiit, paſſus eſt evadere,
21 *Quoniam nemo effugit vorationem ejus:*
ideo durare nequit ejus felicitas.

Ad ſingulas quasdam voces nonnulla ſunt obſervanda. שָׁלֵו poſſis quidem neutraliter ſumere, praeſtat tamen pronuntiare שֶׁלֶו. Modo ne putes, de mentis tranquillitate hoc dictum eſſe. Sed ſubeſt comparatio improbi cum beſtia rapaci, quae nunquam ſatis habeat, ut acquieſcere poſſit, ſed modo devorata praeda ſua mox novae cujusdam deſiderio irritetur: quapropter optime Vulgata: nec eſt ſatiatus venter ejus. Obſcuriora quidem videntur verba, בחמודו לא ימלט, ſed quem nosmet illis ſenſum tribuimus, *inter ea, quae appetit, nihil eſt, quod elabatur*, non putaverimus a verborum ſignificatione alienum eſſe. Etenim particulam לא haud raro vim atque uſum habere nominis ſubſtantivi, non SCHVLTENSIVS 13) modo, ſed et celeb. SCHROEDERVS 14) probavit exemplis haud dubiis. Pro יְמַלֵּט poſſis ſubſtituere יִמָּלֵט, quamquam et illud ferri poteſt, juxta canonem, verbum quod actionem denotat, de permiſſione ejus quandoque intelligendum eſſe. 15) In proxima ſententia, verſu 21, quae eundem fere ſenſum habet, ſed aliis verbis expreſſum, לאכלו infinitivus eſt, non, ut quibusdam videtur, nomen אֹכֶל. Particula על־כן, quam negligere poſſe in verſione putavit perill. MICHAELIS, manifeſtam relationem habet ad antecedens כי, nec prorſus deſtituta eſt emphaſi. Verbis denique, לא יחיל טובו, vigorem ſtabilitatemque felicitatis negari, ipſe orationis con-

13) in Commentar. ad Job. IV, 6.

14) in Syntaxi particul. Reg. XCIII, pag. 402.

15) GLASSII Philolog. ſacr. pag 207 edit. Dathianae.

contextus imperat. Quod et veteres interpretes bene perſpexerunt, veluti Syrus, qui habet ܠܐ ܢܩܘܐ ܛܒܬܗ non durabit bonum ejus, et Vulgata: nihil permanebit de bonis ejus. Igitur verbum יחיל roboris et vigoris ſignificatione accipiendum, quam non modo deprehendimus in verbo arabico حال, ſed et hebraico verbo junctam olim fuiſſe, ex uſu nominis חַיִל jure colligimus. Alexandrinus habet, *δια τουτο ουκ ανθησει αυτου τα αγαθα*, in quibus quamnam rationem ſecutus fuerit, nobis haud ſuccurrit.

Cap. XXI, 16 ſqq.

Communis opinio eſt, praecedentem de magna impiorum felicitate narrationem temperare nunc et quaſi circumſcribere Jobum cogitatione inſtabilitatis, quae ſoleat cum ea eſſe conjuncta. Sed videtur nobis multiplicem habere difficultatem. Primo ſi tam inſignis in oratione Jobi converſio hic locum habeat, mirum videri poſſit, nullam tranſitionis formulam, particulam nullam adhibitam eſſe ad lectores juvandos, quae tamen abeſſe vix poſſe videtur, cum etiam perill. Michaelis opus eſſe putaverit inſerenda particula adverſativa *verumtamen*. Deinde vix credibile eſt, eam Jobi mentem eſſe poſſe ut innuat, inconſtantiam felicitatis, qua impii fruantur, effeciſſe, ut ipſe noluerit mores atque inſtituta eorum imitari. Denique, quod praecipuum eſt, univerſae, quae Jobum inter ejusque amicos obtinet, diſputationis ratio atque indoles non permittit, ut Jobus ipſe ſententiam de inconſtante improborum felicitate affirmet et tueatur. Nequaquam enim haec oppoſita erat opinioni amicorum, qui et ipſi ſaepius, et proxime Zopharus cap. XX, largiti eſſent, impiis haud raro feliciter evenire, hac tantum cautione, ut durabilem eſſe hanc felicitatis

R ſpeciem

ſpeciem negarent. Hanc igitur, ſi et Jobus ſtatueret, profecto non erat, cur tam acerbe atque ignominioſe in proxima reſponſione cap. XX in eum inveheretur vel ipſe Eliphaſus, caeteris multo Jobi reverentior. Nobis vero ſic videtur, verſu 16 Jobum non, quid ipſe ſentiat, exponere, ſed ſubintellecta formula אָמַרְתָּ, quae plerumque negligi ſolet Hebraeis, atque etiam Arabibus *), adverſariorum potius ſententiam commemorare hoc animo, ut eandem nunc neget atque confutet. Itaque כַּמָּה hic non eſt adfirmantis atque augentis, ut Ps. LXXVIII, 40, ſed, quod Schultensius quoque perſpexit, negantis et minuentis, quo ſenſu adhibitum eſt cap. XIII, 23, ut vertendum ſit: *quotusquisque vero improbus eſt, cujus lucerna extinguatur?* In formula נר ירעך aperta eſt alluſio ad dicta Bildadi cap. XVIII, ✓. 6 חבלים, funes, nobis idem ſignificant, quod Ps. XI, 6 פחים, nempe *fulmina*, quae cum laqueis cateniſque comparare ſollemne eſt orientalibus. Ad verſum 18 repetendum eſſe vocabulum כמה, obvium eſt. Sed illud gravius eſt, ac minus obſervatum commentatoribus, priori verſus 19 hemiſtichio iterum Jobum non quid ipſi videatur declarare, ſed argumentum referre, ipſi oppoſitum, cui nunc ſatisfaciendum eſſe putet. Etenim ab amicis ſubinde affirmatum fuit, improbos in poſteris quoque ſuis poenas luere criminibus ſuis promeritas. Ad hoc ita reſpondet Jobus, ut neget, familiae calamitatem defuncti patris poenam vere dici poſſe, ipſum potius, dum vivat, moleſtiarum ac dolorum ſenſu afficiendum eſſe, poſterorum enim curam ipſum non habere, poſtquam e vita diſceſſerit. In ſingulis verbis vix eſt, quod illuſtratione magnopere egeat. כיד arabice *fraudem* ſignificat, et uſurpatur nominatim de for-

*) Michaelis ad Lowthium de ſ. poëſi hebr. pag. 596

fortuna, quando, poſtquam homini blandita eſt, mutata fide deſciſcit: adeoque verba יראו עיני כידו vertenda ſunt, *ipſius oculi videant ſuae ſortis viciſſitudinem.* In verbo חצצו metaphora eſt, ducta a *ſortiendo.* Etenim antiquiſſimis orientalibus populis uſitatum erat, in ſorte inſtituenda ſagittas adhibere, quas certis notis inſignitas ſacculo inderent, et probe agitatas ſingulatim educerent. vid. Ed. Pocockii Specimen hiſtor. Arab. pag. 324 ſqq. et Reiskii Sammlung arabiſcher Sprüchwörter, die von den Stecken oder Stäben hergenommen ſind, pag. 19 ſq. Hinc חָצַץ, verbum factum ex nomine חֵץ, eſt ſortiri, ac formulae מספר חדשיו חצצו preſſior ſignificatio haec eſt, *ſinguli quos vivere datum illi erat menſes exierunt integro numero, ne unico quidem telo in urna reſiduo*, id vero eſt: vitam ipſe protraxit, ab omni graviore caſu, qui immaturam mortem attuliſſet, immunis.

IX.

ANIMADVERS. AD QVAEDAM LOCA JOBI. FASCIC. II.

Jobi XXIII. 2, 6. 12.

Recentioribus nonnullis interpretibus probatur lectio יָדוֹ, quod orationis ſeries eam requirat, et Alexandrini Syrique, quorum ille habet, *και η χειρ αυτȣ βαρεια γεγονεν*, hic ܘܐܝܕܗ ܝܩܝܪܐ, et manus ejus gravis eſt, commendet auctoritas. Sed videtur recepta lectio rectiſſime defendi poſſe ex eo, quod pronomina adfixa non activam tantum, ſed et paſſivam ſignificationem habere poſſunt. Itaque, quemadmodum Gen. XVI. 5 et Jerem. LI. 35 חמסי eſt injuria mihi illata, II Sam. XVI. 12 קללתי maledictio qua mihi maledicitur, et praeſertim Job. XXXIV. 6 חצי telum quod in me injectum eſt: ita quoque ידי eſt manus qua ipſe premor atque percutior. Quod accurate reddidit et Vulgatae verſionis auctor: et manus plagae meae aggravata eſt, et Chaldaicae, in qua eſt מַחֲתִי תְקֵפַת, gravis eſt plaga mea: reliquis illis duobus ſenſum magis quam verbum ipſum exprimentibus, quod et aliis in locis haud paucis factum eſſe norunt intelligentes. In priori hemiſtichio vocabulum מרי communiter accipitur ſignificatione rebellionis: ſed cum nihil adſit, quod interrogantis haec verba eſſe indicet; rectius videtur ſtatui nomen מַר, cum Jod paragogico, ut ſenſus commatis ſit, *etiam nunc iterum amara* (vehemens) *erit querela mea.* Reſpicere enim

puta-

putaverim Jobum ad cap. X. ubi, quod ſentiret ſeſe animo gravius commotum, orationi ſuae, omnino aſperiori, praefatus eſt ita, ut diceret, velle ſe effundere animi ſui aegritudinem atque in acerbiores querelas erumpere. Itaque nunc, cum iterum eodem modo affectum ſe cognoſceret, eadem fere praefatione, et quaſi excuſatione, utendum ſibi putavit. Etenim etiam hic, ut ſupra cap. X. animoſius loquitur ac fere immodeſtius, ut bene obſervavit Schvltensivs in commentario, utpote qui Deum provocat, non tanquam judicem, apud quem ſocios in jus vocare poſſit, ſed ut Ipſe ſecum in diſceptationem deſcendat, ſuasque demonſtrationes audiat, ad quas quod regerat non ſit facile habiturus. Hac enim ratione intelligenda putaverimus verba v. 5. *vellem cognoſcere, quid reſponſurus eſſet, quid dicturus, intelligere.*

Verſu 6 verbis לא אך הוא ישים בי multum difficultatis ineſſe videtur ob abſentiam nominis, quod referri ad verbum ישים poſſit: quapropter magna hic cernitur opinionum diverſitas. Michaelis vir perill. cum verbo ישים conſtruit ſequentis commatis vocem שָׁם, huicque uſum tribuit arabici nominis شامة, naevus niger, hoc ſenſu, *ipſe certe macula me notaturus haud foret*: quem vero nec ordini verborum hebraicorum, debebant enim ſic poſita eſſe, אך הוא לא ישים בי שם, nec menti loquentis prorſus congruum eſſe putaverim. Ven. Doederleinivs vertit hoc modo: quod non eſt, num ille imputet mihi? voci לא tribuens vim nominis ſubſtantivi, haud dubie ex aliis locis demonſtrabilem, et אַךְ, ut videtur, mutans in אֵךְ, *quomodo.* Clar. Hvfnagelivs vocabulo אךְ utitur tanquam nomine, quod amorem, benevolentiam ſignificet, ex uſu arabici verbi أَكَّ, quo benevolentiam notari refert

Castellvs in lexico heptaglotto; quo poſito ſenſum efficit hunc: nonne me benigne eſſet habiturus? Tandem ven. Moldenhawervs vertit: putasne, ſua mecum potentia ac vi diſceptaturum? nequaquam, in ſtuporem vero eſſet venturus: mutato, ut putaverim, יָשֹׁם in יָשִׁם, quod ſane ingenioſum eſſe nemo negaverit. Sed videtur alia, eaque facilior ratio ſupereſſe, hunc locum explicandi. Etenim cum frequentariſſima Hebraeis formula eſſet, חשים את לבו, uſus invaluit, ut etiam verbum ſolum elliptice poſitum eodem ſenſu uſurparetur, velut Job. IV. 20. XVII. 3. XXXIV. 23. Itaque et hoc loco ſubintelligendum exiſtimamus את לבו, ut ſenſus Jobi ſit hic: *putasne vi ſua eum mecum congreſſurum? abſit hoc! modo velim ad me advertat*, et quae dicenda habeo audiat, *tunc* (vers. 7) *ſperaverim me talibus argumentis certaturum, ut cauſae meae rectitudinem planiſſime evincerem:* mutato מִשְׁפָּטִי in מְשַׁפְּטִי, ut אֲפַלְטָה, verbum tranſitivum, habeat ſuum nomen, ſitque loquendi formula talis qualis extat Habac. I. 4.

Vers. 12 verba מחקי צפנתי אמרי פיו Lvthervs vertit: obſervo ejus dicta magis etiam quam debeo. Et quamquam hic ſenſus videtur eſſe facillimus verbisque maxime accommodatus; nulli tamen, quod ſciam, eam nempe ob cauſam, quod audacior ſit, probatur recentiorum interpretum. Michaelis quidem in verſione ſua inhaeret receptae lectioni, quam ſic reddit: dicta ejus occulto magni inſtar boni meisque conſiliis antepono, neque tamen alienus eſt ab alia, בחקי, apud Alexandrinum (εν κολπω μȣ) et Vulgatum (et in ſinu meo abſcondi) obvia: eandemque probare ac ſequi haud dubitant Hvfnagelivs Moldenhawervsque. Doederleinivs autem favere videtur lectioni מחקיו, quam Syrus offert cum Arabe, qui vocem hanc

hanc conjungit cum antecedentibus, ܘܠܐ ܣܛܝܬ ܡܢ ܨܒܝܢܗ, et non receſſi a voluntate ejus. Enimvero, ſi ea quam Lvthervs ſequi ſe poſſe putavit ratio diſpliceat, poſſis, poſthabitis accentibus, orationem commode ſic conſtruere,

באשרו אחזה רגלי
דרכו שמרתי ולא אט מצות שפתיו:
ולא אמיש מחקי
צפנתי אמרי פיו:

Veſtigia ejus tenuit pes meus,
viam ejus obſervavi, nec perverti ipſius praecepta.
Non receſſi a ſtatutis mihi datis,
recondidi ipſius dicta.

Sic fere Syrus interpres. Verbum הִטָּה eodem modo cum accuſativo junctum exhibent loca Devt. XXVII. 19. Thren. III. 35, quapropter non male idem Syrus phraſin eam ſic vertit, ܘܠܐ ܫܛܬ, et non deſpexi mandata labiorum ejus. In voce autem מֵחֻקִּי pronomen denotat eum ad quem ſtatuta pertinent, perinde ac in formula illa, Levit. XII. 13 זאת תורת הילדת haec eſt lex quae ſpectat puerperam, cap. XIV. 2 זאת תהיה תורת המצרע et Numer. VI. 13 זאת תורת הנזיר. Ex quo, ut haec obiter dicamus, intelligendum eſſe putamus locum difficilem II Sam. VII. 19; cujus ſenſus videtur nobis eſſe hic: eritque hoc lex hominibus obſervanda, hoc eſt, promiſſio haec tua vim legis habebit apud homines, quam abs te, Deo ſummo maximo, latam nemo mortalium poterit reddere irritam.

Cap. XXIV. 12. 13. 18 ſq.

Verba מעיר מתים ינאקו Michaelis aliique vertunt, caedis ultionem moribundi poſcunt, praeeunte Schvltensio, qui jam in Animadvers. philolog. in Jobum anno 17.8 editis, pag. 85, arabicae vocis غير ſignificationem, *piaculum caedis*, ad huncce noſtrum locum adhibuit. At quum verbum arabicum غار non ſit univerſe caedem expiare, ſed ſpeciatim illam expiationem ſignificet, quae fit pretio ſoluto; non videtur haec ſignificatio hic locum habere poſſe. Ven. Moldenhawervs habet: audias ex ſpeluncis moribundos ſpiritum trahere. Eſt quidem غار ſpelunca: ſed ſpeluncae cur hoc loco mentio facta ſit, non prorſus intelligitur. Ven. Doederleinivs voci עיר *aeſtus* ſignificationem tribuit, rectiſſime, noſtro quidem judicio. Accurate enim ac judicioſe, ut ſolet, probavit celeb. Schroedervs, obſervatt. ſelect. ad origines hebr Groeningae 1762. 4. cap. II, vocem עיר ſenſum habere aeſtus fervorisque, atque inprimis irae atque hoſtilitatis, eumque perſpicue cerni locis Hoſ. XI. 9 et Pſ. LXXIII. 20. Itaque vertere haec verba licet: *ob injurias*, quas patiuntur, *homines gemunt*, *qui occiduntur quiritant*, Deum vindicem implorant. Sed et formula ואלוה לא ישים תפלה, haud parum difficultatis habet. Convenit quidem inter recentiores interpretes, mutandam eſſe vocem תִּפְלָה in תְּפִלָּה, ut ſenſus ſit, Deus non curat precationem: quem ipſum Syrus quoque exprimit hiſce verbis ܘܐܠܗܐ ܠܐ ܡܩܒܠ ܨܠܘܬܗܘܢ, Deus non accipit preces eorum. Sed quae ſic ſtatuitur ellipſis verborum עַל־לִבּוֹ, vereor omnino ut exemplis atque uſu loquendi poſſit comprobari. At, cur non liceat vocabulo תפלה ſigni-

ſignificationem tribuere *judicii*, ex notiſſimo uſu verbi, unde ſuam trahit originem? Quid vetet ſtatuere, olim cum in oribus hominum viveret lingua hebraica, vocem תִּפְלָה, quae precationem notaret, a voce תִּפְלָה, quae judicii arbitriive poteſtatem haberet, ſono ac modo pronuntiandi diſtinctam fuiſſe? Ad ſenſum certe nihil hac ſignificatione opportunius cogitari poſſit, *Deus ſententiam non interponit*, ſummum ac juſtum rerum omnium arbitrum ſe non demonſtrat.

Vers. 13 verbis מורדי־אור, rebellantes contra lucem, communis opinio eſt notari homines lucifugos, tenebriones: in ſerie autem orationis conſtituenda in diverſa abeunt interpretes, dicentibus aliis, novum nunc ſceleratorum genus in ſcenam produci, quorum perditi mores in ſequentibus verſibus enarrentur, quae ven. Doederleinii eſt ſententia, phraſin לאור יקום רוצח vertentis, *contra lucem inſurgit latro*, ingenioſe quidem ac convenienter, ſed, quantum nos judicare valemus, fere invito uſu linguae; aliis putantibus, eosdem hic innui, de quibus antea ſermo fuerit, tyrannos atque oppreſſores. Sed primo ille ipſe loquendi modus, quo, qui lucem fugit, rebellare contra eam dicatur, inſolens eſſe videtur atque incertus. Deinde negari vix poteſt, הֵמָּה, ſi fieri id poſſit, referendum eſſe ad ſubjectum proxime antecedens. Et fieri omnino poteſt, ſi מרד eo ſenſu hic intelligatur, quem habet in lingua arabica, in qua idem valet ac قطع, *abſcidit*, *reſecuit*. Sunt igitur מֹרְדֵי אוֹר *abſciſſi à luce*, hoc eſt, homines aerumnoſi, a proſperitate omni remoti: lucem enim Hebraeis imaginem eſſe felicitatis, obvium eſt atque vulgatum. Itaque etiam דרכי אור et נתיבות אור ſunt *viae*, *quas lumen illuſtrat*, coll. cap. XXII. 28, id eſt, bona atque laeta

 vitae

vitae fortuna ac conditio. Quod vero Jobus, poſtquam dixit hominum alios ab aliis, potentioribus, impune vim pati atque trucidari, addit, miſeros hos per univerſam vitam iniquiore ſorte uſos eſſe, facit id eapropter, ut innuat, eo magis etiam mirum videri debere, quod talia permittere Deus poſſit. Pergit deinde vers. 14 in enumeratione ſcelerum, quae ab hominibus perpetrari videas. Verſu autem 18 incipit exponere, non quid reipſa eveniat, ſed quid deberi a Deo iſtiusmodi hominibus exiſtimet: quem ſermonis nexum Moldenhawervm quoque animo ſibi formaſſe video. Fas eſſe, ut flagitioſi illi celeriter abirent, inſtar rei alicujus leviculae, aquae innatantis, coll. Hoſ. X. 7. et diris premeretur ipſorum ſors. כְּרָמִים autem, vineae, quemnam locum in hoc ſermonis contextu habere poſſint, non perſpicitur. Itaque non uno modo tentatus eſt locus. Heathivs, conjecturae indulgens, pro כרמים ſubſtituit aliam lectionem, בְּרָמִים, via verſus loca excelſa, i. e. tuta. Ven. Doederleinivs: in terra viam non intuetur, ſicut oryges, כְּרֵמִים pro כראמים, ut ſit imago celeritatis tantae, qua ne via quidem, qua pergitur, attenditur. Moldenhawervs: deleta eſſe debebant vineae ipſius veſtigia, verbo יִפְנֶה ut videtur imperſonaliter accepto. Nobis כרמים videntur eſſe *viri boni*, *generoſi*; ex vulgatiſſimo uſu verbi arabici كَرُمَ, ut ſenſus ſit: *fas erat*, *ut viam generoſorum nunquam ſit ingreſſus*, hoc eſt, ut eam ſortem, qua nonniſi bonae indolis viros uti decet, nunquam ſit expertus. — Vers 19 verba שאול חטאו explenda ſunt hoc modo: יגזל שאול אשר חטאו *ut ſiccitas et aeſtus abſorbent aquas nivales, ita orcus debebat improbos.* Vers. 20 רחם *propinquitatem* denotat ut رَحِمٌ: רִמָּה poſitum eſt pro putredine

ne in quam defunctus ſolvitur: עץ ſignificat baculum ut Hoſ. IV. 12. *debebat propinquis adeo fama ipſius inviſa, unicumque ejus ad lectamentum putrido eſſe, debebat memoria ejus deleta, atque ſic iniquitas, baculi inſtar, fracta eſſe.* — Vers. 21 ad רָעָה ſupplendum יְהִי, quod ſuperius etiam vers 18 erat ſubintelligendum, verbum ipſum autem eo ſenſu ſumendum, quem habet Prov. XXIX. 3. *debebat nutriviſſe uxorem ſterilem, improlem, cui viduae factae nemo ſuccurriſſet.* — Enimvero, ſubdit Jobus, omnia prorſus evenire his contraria, impios ſtabilem habere proſperitatem, atque adeo longaevos placida tandem morte extingui. אבירים nobis ſubjectum eſſe videtur, non obſtante diverſitate numeri. Etenim, ut Schroedervs obſervat, Syntax. nominum reg. XXIV, nomen ſubjecti plurale interdum ſibi praedicatum jungit ſingulare, quod illi addat vim diſtributivam: et firmatur haec noſtra opinio etiam ex eo, quod procedente oratione praedicata in pluralem numerum tranſeunt. Itaque vertimus, *potentiorum illorum quisque firmiter tenet robur ſuum, reſurgit etiam tum, quum ipſe vitae ſuae diffiſus eſſet, concedit illis Deus ſecuritatem, quamvis vitae eorum ratio ipſi ſit bene perſpecta, ad ſummum evecti, ſubita morte tolluntur* (coll. cap. XXI. 13), *intereunt ut reliqui homines omnes, et ſpicae inſtar areſcunt.* Pro הָמַּכּוּ poſſis grammaticis regulis convenientius, ſtatuere הֻמַּכּוּ, ut ſi Hophal verbi מכך, quod arabice eſt *conſumere, perdere,* ימלו videtur ducendum eſſe à verbo מלל, quod arabice ſignificat *aſſare, torrere*: torrefieri autem idem eſt ac matureſcere. Longaevitatem itaque cum *ευθανασια* conjunctam hic delineari, quis negaverit?

Cap.

Cap. XXVII.

Hoc capite, quantum nos quidem judicare poſſumus, non ut vulgo putatur id agit Jobus, ut univerſe ab omni mendacio doloque alienum ſe profiteatur: ſed hoc nominatim mendacii genus negat ſe unquam, quoad viveret, commiſſurum, ut ſociorum ſententiam, qua ipſum ſceleris reum adeoque juſta a Deo poena affectum pronuntiaſſent, admittat atque probet. Itaque vers. 7 non quoscunque inimicos innuit, ſed illos ipſos, quibuscum in diſceptatione verſatur, adverſarios, eosdemque ſignificat pro illis habendos eſſe, qui injuſtam cauſam tueantur, adeoque male agant. Nunc vers. 8. 9. 10 novum illis argumentum proponit, ex quo intelligere debeant, ipſum recte factorum conſcientia gaudere: criminum enim conſcius ſi eſſet, profecto ſe non tam audacter ad ipſum Numen provocaturum, neque enim profanum hominem a Deo quidquam ſperare poſſe: qua ipſa argumentatione, ſed breviſſimis verbis, antea quoque uſus eſt cap. XIII, 16. Verba itaque ſic vertimus:

Etenim quaenam poſſit eſſe expectatio profani,
quum exſcinditur, exigitque Deus vitam ejus?
Num clamorem ejus percepturus ſit Deus,
quum evenerit ipſi calamitas?
Num omnipotente niſus fuerit,
Deum evocarit continue?

In voce יבצע ad eorum ſententiam accedo, qui putant pronuntiandum eſſe יְבַצַּע: quamquam etiam יִבְצַע ferri poteſt, ſi referatur ad ſequens nomen אלוה. Futurum יֵשֶׁל, cum verbi שלח ſignificatio huic loco parum apta videatur, aliis derivatur à נשל, evellere, aliis

aliis a שלל, ſpoliare. Quid ſi dixeris, ישל ſcriptum eſſe pro יִשְׁאַל, Arabum more, quibus ſollemne eſt يسل ſcribere pro يسأل, quamquam et in hebraicis non deſunt exempla ejusmodi ſcriptionis, qua א omittitur, velut in שלתך I Sam. I, 17. צעקה non eſt ſupplicatio vel imploratio auxilii, ſed clamor ortus ex ex ſenſu doloris. Verba אם על—שדי יתענג Alexandrinus ſcite vertit, *μη εχει τινα παρρησιαν εναντι αυτȣ*; ſimiliter etiam cap. XXII, 26 habet, *ειτα παρρησιασθηση εναντιον κυριȣ*, et videtur omnino haec ſignificatio *confidentiae* etiam reliquis locis, Eſai LVIII. 14 et Pſ. XXXVII. 4 convenientior eſſe, quam quae huic verbo plerumque tribuitur, delectari Deo: quamquam inter utramque non eſt magna disjunctio. Vers. 19 convenit inter recentiores, ישכב de morte accipiendum eſſe, ut ſenſus ſit, impium hominem nonnunquam ſubita morte abſtrahi à ſuis divitiis. Sed primo refragari videtur formula וְלֹא יֵאָסֵף; quam perill. Michaelis mutat in וְלֹא יֵאָסֹף, adſtipulante clar. Hufnagelio: Moldenhawerus autem in וְלֹא יוֹסִיף, ex auctoritate, ut videtur, Alexandrini, qui habet, *πλȣσιος κοιμηθησεται και ȣ προσθησει*. Deinde et ipſa mortis mentio videtur hoc loco fere intempeſtiva, cum porro commemorentur adverſitates, quibuscum illi ſit confligandum. Itaque putamus locum de eo intelligendum eſſe, quod nonnunquam impius repente, ac unius fere noctis ſpatio, omnibus ſuis opibus ſeſe nudatum videat, atque ad inopiam redactum. Modo tenendum, vocabulum לא, ut alibi, v. g. cap. VI. 21 הייתם לא, facti eſtis nihil, cap. XI. 11 לא יתבונן, nihil intelligit, ſubſtantivi nominis uſum habere, hoc modo, *dives eſt quum cubitum it, nec quidquam ablatum*; *evigilat et nihil ſupereſt*: quo fere ſenſu etiam Piscatorem hunc locum accepiſſe intelligo ex com-

Digitized by Google

commentario Schvltensii ad hunc locum. Verſ. 22 nomen, ad quod pertineat verbum ישלך, diverſimode ſuppletur. Major quidem pars interpretum *Deum* inſerit, qui projicere in impium dicatur *tela*, vel *lapides*, vel *ſupplicia*, et quae ſunt hujus generis alia. Ven. Doederlein ישלך ad impium refert, יחמל ad Deum, ut ſenſus ſit: *manum* quidem extendit ad Deum, ſed erit hic inexorabilis, atque à manibus ejus fugiet. Moldenhawervs repetit nomen קדים, vertitque: turbo depellit eum e loco ſuo, fugiendum illi ab ejus furore. Verum praeterea, quod עליו non poteſt eſſe, è loco ipſius, obſtat univerſe, quae ſequitur, locutio מידו ברוח יברח. Etenim neque Deus commode dicitur *fugere* à precibus impii, neque, quomodo impius fugere poſſit vel a furore turbinis, perſpicitur. Quidni autem eo maxime utamur, quod e propinquo petere poſſumus? Nimirum locus, in quo verſatur impius, is eſt qui perſona induitur, hominemque ſuis manibus ſurſum vibrare dicitur, hoc modo: *eumque locus ſuus ſurſum projicit inclementer, ut e manibus ipſius evolet*: quaequidem figura, quamquam audacior, minime incredibilis videri poteſt, cum Hebraeis ſaepiuſcule locus agnoſcere vel abnegare aliquem, immo pedeſtri adeo oratione, Levit. XVIII 25. 28. evomere terra ſuos incolas dicatur. Verſ. ultimo nolim Deo ipſi tribuere plauſus atque ſibila, cum quod non prorſus digna illo haec res videatur, tum quod ſibilus procedere dicitur ex illo ipſo, quem impius antea tenuit, loco. Imperſonaliter igitur accipienda ſunt verba, hac ratione: *plaudetur ſuper illo manibus, et ſibilabitur ex ipſo adeo loco, quem coactus eſt relinquere.*

Cap. XXXII, 22.

Magna eſt ac mira fere in explicandis verbis כי לא ידעתי אכנה interpretum varietas et diſſenſio, quorum prae-

praecipuos commemorare nobis nunc liceat. I Schvltensivs in commentario vertit: nam neſcio, circumloquerer, tanquam nullius pretii tolleret me factor meus: ſubintellecta, ut videtur, ante אכנה particula אם, formulaque לא ידעתי ſumta ut affirmantis, quod ſane ex conſuetudine loquendi vix probari poteſt. II Eodem fere ſenſu, nec minus arbitrarie, Heathivs: nonne enim novi, ſi partis ſtudioſus ſim, ſubito me interemturum conditorem meum? III Auctor Obſervationum miſcellan. in librum Jobi Amſtelaed. 1758. 8v. cui Bouillerii nomen eſt, ſcriptor neque indoctus neque ingenio carens, quamquam haud omnibus notus, novo ſed perquam dubio ſignificatu verbo כנה tributo, locum ſic reddit: ſi ea quae ignorem, affirmaverim, confeſtim conditor meus e medio me tolleret. IV Michaelis: neſcio enim a quanam parte cognomen ſumerem, cuinam cauſae me addicerem: duriuſcula, quod pace Viri celeberr. dictum ſit, ellipſi, cum deberet eſſe בְּשֵׁם מִי אכנה, coll. Eſai. XLIV. 5. Neque tamen aliter ven. Doederlein, niſi quod ſubſequens comma nova prorſus ratione ſic exponat: paululum tamen creator meus me rapiet, hoc eſt, de Numine quaedam diſſeram. VI Hvfnagelivs, duce Vulgata: neſcio enim quam diu ſubſiſtam, אכנה ducto a verbo כון, neſcio, nonne invita Grammatica. VII tandem ven. Moldenhawervs: ejus quem haud novi defenſionem in me ſuſcipiam, conditori meo me permittam. Sed haec verbi ſignificatio quibus argumentis probari queat, nos quidem haud perſpicimus. Illud vero certum eſt, in arabica lingua verbi כנה uſum in eo eſſe poſitum, ut ſit, rem vel perſonam alio quam ſuo proprio ſolitoque nomine notare, qui ipſe in utroque etiam Eſaiae loco eſt perquam conſpicuus. Etenim cap. XXXXIV. 5 בשם ישראל יכנה eſt: ab nomine Iſraël ſibi cognomen

men dabit, h. e. nomine utetur filii Iſraël, et cap. XXXXV. 4, nomine tuo proprio (אֲכַנְּךָ) te appellavi atque etiam aliis cognominibus te deſignavi, etſi tu me haud noveris. Sed ut uſum Arabicum exemplis quibusdam demonſtremus, Haririi Conſeſſu quinto 1), pag. 170, extat لا لي ابن به أكتنيتُ *filius mihi non eſt a quo cognomen ducam:* atque ibidem, pag. 118, Fatum القضاء dicitur المكنّي ابا العجب *cognominatum pater mirabilium*, utpote quod miros nonnunquam eventus producat. Hinc nomen كناية, quod ejusmodi circumlocutionem ſignificat, non infrequenter occurrit apud Grammaticos, veluti Excerpt. Hamaſae 2) pag. 332 nomen الولايا, *clitellae*, dicitur eſſe كناية عن النسا, *poſitum loco nominis mulierum*: ibid. pag. 453 (edit. Goetting. pag. 81) المراجل, *ahena*, كناية dicitur عن الحروب, *poſitum pro praeliis*: ibid. pag. 83) formula, *veſtivit eum Deus veſtimento operis ſui*, dicitur كناية pro aequipollente alia, *quisque prout operatus eſt*. Et ibid. pag. 320 (edit. Goetting. p. 42) ſcholiaſtes his verbis utitur, كني من الجوع بالغضب, *ponit* auctor *iram pro fame*. Praecipue autem commemorandus eſt locus a Schvltensio in commentario ſuo ad hunc verſum citatus ex Golii Adagiis 3) pag. 146. هي .

1) Conſeſſus Haririi quartus, quintus et ſextus, edidit Alb. Schvltens, Lugd. Bat. 1740. 4.

2) Subjuncta ſunt Erpenii grammat. arab. editae ab Alb. Schvltens, Lugd. Bat. 1748. 4.

3) Subjuncta ſunt Erpenii Grammat. Arab. Lugd. B. 1656. 4.

هي خمر وتكني الطلاء كما الذيب ✱ يكنى ابا جعدة ✱ *Vinum eſt* (lege vetitum ac noxium, quod propinas mihi) *et appellas defrutum* (linimentum vertit Schvltensivs, minus accurate); *ſicut lupatus vocatur pater ovis.* — Itaque כנה eſt, nomen nomini ſubſtituere, circumlocutionibus uti, etiam ad rem aliquam mitigandam ſeu excuſandam, et quaſi ſcapham non velle ſcapham dicere. Futurum autem אכנה poſitum eſſe putamus loco infinitivi כַּנּוֹת, ut v. c. cap. XIX. 3. quo nihil frequentius eſt in Arabico ſermone. vid. Jo. Dav. Michaelis Arab. Grammat. pag. 132 edit. novae. Senſus itaque eſt: ego quidem neſcio aſſentiri, rebusque minus probandis bona ac grata nomina praetexere, memor, me brevi forte ex hac vita a Deo ablatum iri. Atque hunc ipſum fere ſenſum Alexandrinus quoque exprimit, *ου γαρ επιϛαμαι θαυμασαι προσωπα*, quem ex ingenio fictum ego quidem haud exiſtimaverim. — Sed ad verſum quoque antecedentem aliquid monendum eſt breviter. Inſolens eſt adeoque haud parum ſuſpecta conſtructio כנה cum particula אֶל. Quare haud dubitaverimus אֶל in אַל mutato *), praeeunte Vulgata, quae habet: et Deum homini non aequabo, ſic verba reddere, *et Deum hominem haud appellabo,* ut ſenſus ſit, ſive Deo quae tribuenda ſunt, homini haud tribuam, ſive, ut Deus loco hominis habeatur, haud concedam: quamquam prius videtur vero multum ſimilius.

Cap.

*) [*quod factum eſſe in codice ſuo 597 teſtatur de Roſſi.*]

Cap. XXXIII. 7. 13. 23 ſq.

Verba ואכפי עליך לא יכבד optime perill. Michaelis interpretatus eſt: meum onus haud grave tibi incumbet: nam cum arabicum verbum أكف ſit, *clitellas imponere*, nomenque إكاف *clitellas* ſignificet, admodum credibile eſt., eadem poteſtate hebraicum quoque אכף praeditum olim fuiſſe. Nec alienus eſt alter locus, Prov. XVI. 30, ubi verba כי אכף עליו פיהו commodiſſime ſic vertuntur: *imponunt illi ſarcinam*, h. e. moleſtiam creant, *ipſius dicta*: et concinit Chaldaicus paraphraſtes, qui vocem ואכפי interpretatur וְטוֹנִי, onus meum. Sed in eo a vero aberrare mihi videtur vir ſummus, quod verbis Elihu eum ſenſum tribuit, qui non abſit a reprehenſione arrogantiae immodeſtiaeque. Primo enim non hoc dicit Elihu, apud Deum ſeſe parem eſſe Jobo, quod ſane ſpeciem aliquam inverecundiae habere poſſit, ſed id potius agit, ut ſignificet, ſe non minus aç Jobum mortalem aliquem eſſe a Deo conditum. Etenim Lamed voci לאל praefixum deſignare auctorem ac dominum, ut Pſ. XXXIV, 1 et alibi, membrorum parallelismus evidentiſſime evincit. Deinde vix dubitaverim, verba Elihu referenda eſſe ad illum Jobi ſermonem, quo cap. IX. 34 ſq. et XIII. 18 ſq. confidentiſſime affirmaverat, ſe cum Deo diſputationem habiturum, ſuamque cauſam penitus probaturum, hac tantum conditione, ut nec novis illum doloribus excruciet Deus, nec objectis omnipotentiae ſuae ſignis animum ipſius terrefaciat atque perturbet. Itaque Jobo ſignificat Elihu, ſecum ſi cauſam agere velit, ſibique ſuae innocentiae argumenta exponere, nihil fore quod extimeſcat, adeoque etiam, ſi cauſa ceciderit, nil quicquam excuſationis habiturum: in quo nos quidem

quidem haud reperimus, quod ſit admodum vituperandum. — Verſum 13 video pleroſque interpretari hoc modo: quare litigaſti cum Deo ea de cauſa, quod non factorum ſuorum omnium rationem reddat? Non ſatis accurate. Obſervandus enim erat idiotismus hebraicus, quo, ſi negandi particula cum voce כל conſtruatur, negatio non in ipſam hanc vocem, ſed in verbum cadat, ſitque univerſalis, velut Job. XXXIV. 27 כל דרכיו לא השכילו haud quidquam de ipſius praeceptis ſervarunt. Habac. II. 19 וכל רוח אין בקרבו, nullus in eo ſpiritus eſt, et alibi. Similiter hic vertendum: fruſtra eſt quod litem illi intendiſti, neque enim ullius facti explicabit rationem. In verbo רִיבוֹתָ diciture ſſe aphaereſis He praeformantis, pro הֲרִיבוֹתָ. Sed videmur nobis iſta anomalia commode ſuperſedere poſſe. Codices enim Regiomontanus uterque et Stutgardianus, forte etiam alii plures *) (deſideramus enim adhucdum cum aliis non ſine moleſtia alterum tomum Kennicottianae editionis) habent diverſam ab edita ſcriptionem רִיבַת, quod ipſum nomen extat quoque cap. XIII. 6. Itaque, ſubintellecto verbo ſubſtantivo, vertere poſſis: *quorſum lites cum Deo* etc. Verum haec levia videri poſſint: ſed liceat etiam de celebri loco vers. 23. 24 noſtram ſententiam exponere. Verba nos ſic interpretamur: *ſi ſit pro illo* homine morbo lethali afflicto *legatus quidam internuncius, unus e millenis, ut illum, quid officii ſui ſit, edoceat, hominisque* nunc reſipiſcentis *miſertus Deus jubeat* legatum *ſalutem illi nunciare* vitaeque prorogationem, *eo quod ſibi jam ſatisfactum ſit; tunc vigorem recipiet*. et quae ſequuntur. Verbum יחננו ad Deum referendum eſſe putamus, non ad legatum,

 propter-

*) [Septem alios codices, qui ריבות ſ. ריבת, ſine Kamez, habeant, refert DE ROSSI]

propterea quod et res ipſa maxime in Deum cadit, et verbum יחננו, ſi ad nomen מלאך pertineat, ſuperius ponendum erat ante להגיד. Itaque etiam פדעהו מרדת שחת Dei ad interpretem dictum eſſe debet. At mortis liberationem dixeris multo convenientius Deo ipſi tribui quam legato, quicunque tandem ille fuerit. Atque hoc nobis quidem veriſſimum omnino videtur. Verum putamus, adhibendum eſſe hoc loco quod alibi obſervatum eſt ab optimis interpretibus, legatos divinos nonnunquam facere ea juberi, quae hominibus ſignificanda tantum ab ipſis ſint. Igitur, ut locus Jerem. I. 10 הפקדתיך היום הזה על הגוים ועל הממלכות לנתוש ולנתוץ ולהאביד ולהרוס לבנות ולנטוע nonniſi hunc ſenſum habere poteſt, deſtinavi te, ut populorum aliis interitum denuncies, aliis ſalutem atque incrementum: ita ſimiliter verba פדעהו מרדת שחת intelligi poſſunt hoc modo, *indica liberum nunc illum eſſe ab interitu.* Quod vero ad illam quaeſtionem attinet, quis ſit qui illo nomine מלאך מליץ deſignetur; fatemur nos non perſpicere, quid de angelo, hoc eſt, coeleſte genio, cogitare nos jubeat. Etenim nec vocem מליץ, quae latiſſime ſignificat eum qui ſe interponit, ullibi de angelo uſurpatam reperias Gen. XLII. 22. II Paral. XXXII. 31. Eſai. XLIII. 27, nec nomen מלאך יהוה ita angelis peculiare eſt, quin etiam hominibus quandoque tribuatur, Jud. II. 1. cap. V. 23. Hagg. I. 13, nec reliqua, quae de legato interprete praedicantur, ita comparata ſunt, ut perſonam homine digniorem requirant. Itaque hominem ab Elihu, immo recte ſemet ipſum innui haud dubitamus. Nimirum argumentatio huc redire nobis videtur, duplicem fere rationem eſſe, qua Deus in homine ad meliorem ſenſum reducendo uti ſoleat, ut vel nocturnis eum ſomniis viſionibusque terreat moneatque (v. 16 pro יַחְתֹּם ſtatuendum eſt יְחִתֵּם, ut Mi-

Michaelis quoque exiſtimat Biblioth. Or. et Exeg. Part. VIII. pag 213), vel morbis gravioribus caſtiget atque excruciet: at ſi quis alius ſeſe interponat, a quo ille edoceri ſe patiatur, atque ad poenitentiam perduci, tangi Deum miſericordia, ut in gratiam hominem recipiat priſtinaeque incolumitati reſtituat. Haec itaque ſiquid valeant, nec ſine conſilio dicta ſint, omnino eo pertinere videntur, ut innuat Elihu, ſe ipſum poſſe eum eſſe, cujus opera atque miniſterio Deus uti velit ad Jobum erroris convincendum, atque in gratiam apud ſe reſtituendum.

Cap. XXXIV. 6. 14 ſqq.

Verſum 6 perill. Michaelis vertit hoc modo: ſententiam ejus de me latam demonſtrabo falſam eſſe, telum meum vibrabo purus ſceleris. Sed, ut primo de priori hemiſticho dicamus, habet illa verſio, quamquam et Doederleinio probata et Hufnagelio, duplicem difficultatem, primo quod opus eſt ſubintelligere accuſativum אותו, deinde quod verbo כִּזֵּב vis tranſitiva tribuitur, quae in alio loco non extat. Verum ſenſum eruiſſe Schultensius videtur, qui, quod obſervaret, particulae על eam hic poteſtatem eſſe, quae cap. X. 7 et XVI. 17 cernitur, locum ſic accipiendum eſſe docuit: non obſtante jure meo (in iſta mea innocentia) mendax tamen cenſeor: niſi quod dixerimus, אֲכַזֵּב mutandum eſſe in אֶכָּזֵב, coll. Prov. XXX. 6. In altero hemiſtichio אנוש derivatur a verbo נוש, quod ſit ultro citroque agitare, ad modum arabici ناس. Sed, ut hoc non urgeamus, ſignificationem ناس paſſivam eſſe, adeoque huic loco non prorſus congruam, parallelismus certe membrorum confirmat communem interpretationem, qua חֵץ ſumitur pro plagâ telo inflicta, ut Jerem. XV, 18. dici-

tur ומכתי אנושה. Suffixum autem paſſivo ſenſu accipi poſſe, haud quiſquam negabit, certe haud ille, qui vocem משפטי vertendam eſſe ſtatuit, ſententia de me lata. Quare haud opus eſt, cum MOLDENHAWERO nomini חץ ſignificationem ſortis tribuere, ductam ex eo, quod veteres ad ſortitionem adhibere ſolebant ſagittas ſive baculos.

Vers. 14 diverſimode intelligitur. Et SCHVLTENSIVS quidem, adſtipulante MICHAELIS atque MOLDENHAWERO, formulam חשים לבו אליו ſignificationem ſeveritatis hic habere ſtatuit, ut ſenſus ſit: ſi Deus cum homine ſevere agere velit: quod ex loquendi uſu probari poſſe vix putaverim, loca certe, quibus SCHVLTENSIVS utitur, Job. II. 3 et II Sam. XVIII. 3 illud efficere haud videntur. Aliter ven. DOEDERLEINIVS: ſi quis contra ſentiat, moliatur aliquid adverſus Deum, facile ſpiritus cum vita auferretur a Deo. Et cl. HVFNAGELIVS: ſi voluerit, ſpiritum ac vitam illis adimit: אליו ut videtur neutraliter accepto. At cum in altero hemiſtichio אליו indubie ſit ad Deum referendum, cur non idem ſtatuendum etiam de commate priori? Tum vero ſenſus eſt hic: *ſi Deus ſui unius curam habens ſpiritum ſuum halitumque*, omnia animantem Pſ. CIV. 30, *ad ſe retraheret; exſpirandum eſſet rebus animatis omnibus.* Atque hunc fere orationis nexus ac ſeries requirit. Etenim, poſtquam negaſſet Elihu vers. 11 et 12, Deum cuiquam facere injuriam poſſe, ut jam dubitationi occurreret, quae ſubire animum hominis poſſit, Deum haud ipſum res humanas omnes moderari, ſed humanorum regum more multa aliorum curae committere, negat vers. 13 quemquam praeter Deum terrae praeeſſe, quod et a nemine, praeter Deum ſolum, condita ſit. Hiſce nunc convenientiſſime additur hoc,

vers.

vers. 14. ſi Deus ſibi ſoli vivere velit, brevi omnibus pereundum fore: quo fere modo videas philoſophatum eſſe Eliphaſum, cap. IV. 17 ſq. Eodem ſenſu Alexandrinus etiam hunc noſtrum locum accepit, *ει γαϱ βϐλοιτο συνεχειν, και το πνευμα παϱ αυτω κατασχειν, τελευτησει πασα σαϱξ ομοθυμαδον*. Nec abludit Syrus ܐܢ ܡܦܢܐ ܠܘܬܗ ܠܒܗ ſi converteret ad ſe cor ſuum.

Vers. 16 novo quodam argumento uti incipit Elihu. Vel ex eo, Deum haud injuſtum eſſe, intelligi, quod, ſi juris curam non haberet, iſtiusmodi exprobrationes Jobo non eſſet tam clementer condonaturus in tanta ſua rerum omnium poteſtate. Nempe nos vers. 17 hoc modo interpretamur: *num iram, qui jus ſpernit, compeſceret* (חבש אף eodem modo dictum eſt quo Eſai. XXXXVIII, 9 חסם אף, coll. خطم capiſtravit), *et num juris amantem, ſi potens ſit, injuſtum pronuntiare auſus fueris?* Vers, 18 pro הַאֲמֹר ſtatuendum eſt הָאֹמֵר, ut bene docuit Michaelis, praeeuntibus antiquis nonnullis verſionibus: *) nam quae ſequuntur, dicta ſunt ad depraedicandam ſummam Dei potentiam. *Illum, qui regem adeo compellat hominem nequam; viros primarios, improbos?* Vs. 19 *non reſpicit principes, nec divitem anteponit tenui, quod uterque ab ipſo conditus eſt.* Vers. 20 *facit ut ſubito moriantur, et media nocte conturbati homines pereant, ut tollatur potens aliquis* (יסירו imperſonaliter ſumto ut Prov. IX, 11 יוסיפו) *vi occulta*. Vt ne vero, quod diceret, nonnunquam *ſubito* hominem tolli, putet aliquis, Deum praepropere agere, atque adeo falli poſſe, ſubjungit, Deum nil quidquam latere, neque ipſi opus

 eſſe,

*) [adſtipulante etiam cod. de Ross. 349.]

eſſe, hominem diu obſervare, ut poſſit delicti eum convincere. Verſum 23 Schultensius dicit abſtruſiſſimum locum, commemoratque undeviginti de eo variorum ſententias, quem numerum, haud ſane exiguum, augere facile poſſis ex recentiſſimorum interpretum operibus. Michaelis: non ponit homini tribunal, ut cum Deo in jus venire poſſit, voci עוד, ut Hufnagelius putat, notionem ſubjiciens tribunalis, ex Aethiopica lingua deſumtam; quod fere longius petitum eſſe videri poſſit. Hufnagelius ipſe, duce Reiskio, עוד illuſtrat arabico عيد, *feſtum*, et موعد, *dies condictus*, ut ſit: diem illi haud dicet etc. Moldenhawerus: homini non dat poteſtatem in jus veniendi cum Deo. Nobis elliptica videtur haec formula, לא ישים על איש, cui, quod deſit, poſſit è propinquo fere arceſſi. Nempe ſuppleri poteſt לבו ex loco Jobi I. 8 coll. II. 3. ubi clarum eſt, uſurpari phraſin de ſtudioſa obſervatione hominis eo fine inſtituta, ut criminis aliquid poſſit in illum conjici. Atque hoc ipſum noſtro loco eſt apprime accommodatum, ut ſenſus ſit, non eſſe, cur Deus hominem diu multumque notet atque obſervet, ſi velit illum in jus ſecum vocari criminiſque reum agi. — Verſum 26, qui varie accipitur, ſic interpretamur: *ob crimina contemtui illos exponit in loco publico*, collato תחת II Sam. XIX. 22 et arabico verbo سقع, *colaphis aliquem percuſſit*. Vers. 29 in verbis ישקט et ירשע alluſio eſt ad originem ſignificationis, a pauciſſimis obſervata. Etenim שקט, ut سقط, eſt *ſidere*, et proprie adhibetur de liquore ita ſidente, ut nullo motu exagitetur, et quicquid in eo turbidum atque faeculentum erat, ſubſidat: unde deinceps reliquae ſignificationes *quietis*, *tranquillitatis*, *ſecuritatis* ſunt natae. Contra vero רשע proprie ſignificat *turbidum* ſeu *turbulentum eſſe*, atque hinc

hinc demum vel cupiditatum aeſtu vel curarum fluctibus jactari, collato arabico شَرِهَ, *magna aviditate et concupiſcentia fuit*, et loco Eſai. LVII. 20. vid. Schroederi obſervatt. ſelectae ad origines hebr. cap. VI. Itaque ſenſus eſt, *Deus ſi quem pacaverit, quis eum turbaverit?* hoc eſt, Deus ſi cui faveat, a nemine quidquam timendum eſſe, contra ſi quem averſetur, non poſſe ipſi ullo modo extorqueri benignitatem. Sed quod ſequitur, ועל גוי ועל אדם יחד, *idque evenit tam genti, quam homini*, languidum eſſe ac fere ſupervacaneum, nemo facile negaverit. Eſt etiam difficile, verborum quae ſequuntur: *ut ne regnet homo impius, ut ne ſint laquei populi*, nexum aliquem cum antecedentibus oſtendere. Idcirco Michaelis verba ſic diſpeſcit, ut poſt vocem ישורנו initium fiat novi verſus, ac loco infinitivi מִמְּלֹךְ, praeeunte Alexandrino, Chaldaeo et Vulgato, ponit מַמְלִךְ, a quo participio particula על pendeat, hoc ſenſu: populis, atque adeo humano generi univerſo, reges conſtituit, qui ſunt numinis contemtores. Alii aliter rem expedire poſſe putant. Nobis videtur, poſita forma מַמְלִךְ, vocem יִחַר haberi poſſe pro futuro verbi חרר, quod arabice, حَدَّ, quando cum على, על, conſtruitur, ſignificat: *vehemens fuit, animo efferbuit contra aliquem*, unde حِدَّة eſt *vehementia et impetus animi.* Itaque ſenſus efficitur hic: *Si vel genti univerſae, vel ſingulis civibus indignatus fuerit Deus; regem praeficit hominem impium, talem aliquem, qui corruptor populi eſt atque peſtis.* Neque hoc alienum videri poteſt a ſerie orationis. Etenim cum vers. 24 dictum ſit, homines vi atque opibus praepollentes nonnunquam tolli a Deo, ob injurias aliis illatas; ſponte in mentem venit cogitatio rei

 oppe-

oppoſitae, permittere interdum divinam providentiam, ut in civitate, quae poenas Deo debeat, ſummas imperii obtineat ejusmodi aliquis, qui ſua impietate turbatam reddat rempublicam, variisque calamitatibus afflictam. — Verſum denique 31 ſic intelligendum eſſe putamus: *Deo enim quis dicere auſus fuerit: poenam luo, cum tamen obligatus haud ſim*, ad verbum נשאתי ſubintellecto nomine עָוֹן, et אֶחְבֹּל mutato in paſſivum אֶחֻבַּל. Etenim Arabibus, obſervante Schvltensio in commentario ad h. l. *oppigneratum eſſe* idem valet ac univerſe obſtrictum alicui eſſe atque obnoxium, velut in illa formula, كل امرئ بما كسب رهين *omnis vir pro eo quod patrat oppigneratus. eſt*, Sur. LII. 20 edit. Hinckelmann. (vers. 21 ed. Maracc.) coll. Sur. LXXIV. 41 ed. Hinckelm. (v. 38. ed. Maracc.). Sic clauſula haec non male convenit argumento reliquae orationis, quae potiſſimum in eo verſatur, ut et ſummum Dei imperium, et ſumma ejusdem in retribuendo juſtitia celebretur.

Cap. XXXV. 9 ſqq.

Expedite prorſus procedit oratio Elihui ad nonum usque verſum. Recte ille obſervat, Deo nec improbitatem hominis quidquam damni, nec illius probitatem commodi quidquam afferre poſſe, ſed actionum humanarum effectum unice in homines ipſos redundare, unde omnino eveniat, ut non deſint, quibus de vi atque inſolentia praepotentiorum ſit conquerendum, vers. 9, ubi non putem, ſolicitandam eſſe lectionem עֲשׁוּקִים, inque עוֹשְׁקִים mutandam. Etenim ut רַבִּים *homines* hoc loco ſignificare *validos ac violentos* certum eſt: ita quoque רוב de praepollentia ac vi accipiendum, ut ſenſus ſit, *ob violentiam oppreſſi clamant*

mant etc. Certe Alexandrinus non erat in ſubſidium lectionis עשוקים citandus, ut qui receptam planiſſime confirmat, cum ſi vertat, *απο πληθους συκοφαντουμενοι κεκραξονται*, a multitudine calumniis oppreſſi vociferabuntur. Sed inde vers. 10 abrupta omnia atque obſcura eſſe videntur, ut ipſe quoque ven. Doederleinius durum in orationis ſerie nodum hic eſſe fateatur. Etenim non intelligitur, cum formula איה אלוה ſit divinum auxilium implorantis, Jerem. II. 6. 8, cur univerſe neget oppreſſos vindictam Dei expoſcere, multo etiam minus, cur vers. 12 affirmet, clamare illos quidem ad Deum ſed fruſtra ac ſine eventu: haud enim credibile eſt, velle Elihuum caput cauſae concedere Jobo, qui hoc ipſum praecipue egit, ut hominum alios ab aliis impune vexari injuriisque opprimi affirmaret. Longum eſſet, aliorum ſententias commemorare: ſi, quid nobis videatur, liceat expromere, dixerimus, vocem ולא vers. 10 pronuntiandum eſſe הֲלֹא, ut II Sam. XVIII. 12. XIX. 7, ut quae ſequitur oratio, non quid Elihu ipſe ſtatuat, ſed quid alii homines ſentire poſſint, exponat. Igitur verba ſic interpretamur: *Tunc ſi quis dixerit, ubinam eſt Deus qui condidit me*, ac proinde tueri me atque integrum ſervare debet, *deditque cantica noctu*, h. e alio quoque tempore ex adverſitatibus nos expedivit, *qui nos ſecus ac beſtias ornavit intelligentia, ſecus ac aves ſapientia,* adeoque cum ſint homines brutis animalibus natura ſua multo excellentiores, ſane non vult permittere, ut alii alios invadant diripiantque, *ibi clamant* miſeri, *Deo non reſpondente*, clamant *ob inſolentiam pravorum, ſed fruſtra eſt, non audit Deus, omnipotens non reſpicit illud: immo quum dixeris te non videre eum,* nihil ab ipſo fieri, ex quo conjicere poſſis, ipſum ad auxilium venturum; *jam cauſa coram ipſo agitur*, jam in eo eſt ut jus reddat,

itaque

itaque expecta illum. Sic et oratio plana eſt atque conjuncta, et ſenſus ipſe talis, qui reliquae doctrinae, quam Elihu profitetur, apprime conveniat, ſcilicet, utplurimum, ubi de ultionis divinae tarditate conquerantur homines, Deum jamjam in eo eſſe ut ſcelerum ultorem et probitatis aſſertorem ſeſe demonſtret. In ſingulis vocibus non eſt quod difficultatem habeat. Vers. 14 pro תשורנו uſitatius quidem dictum eſſet אֲשׁוּרֶנּוּ, quod Syrus exprimit cum Arabe: ſed cum hujus rei aliud ſimillimum exemplum extet hoc ipſo capite, v. 3, ubi יסכן לך dictum eſt pro יסכן לי; non eſt, cur vel lectio ſolicitanda, vel ſenſus alio torquendus eſſe videatur.

X.

X.

PS. LXVIII.

Pſalmum *ſexageſimum octavum* reliquos, qui Davidem auctorem habent, omnes ſublimitate antecelliere, at plurimum etiam obſcuritatis habere ac difficultatis, pronuntiavit ill. MICHAELIS in *Epimetro ad praelect.* XXVII LOWTHII *de Sacra poëſi hebraeorum.* Habuit quidem inde ex illo tempore cum univerſus pſalmorum liber, tum hoc ipſum carmen eximium interpretes et plures et egregios, veluti, ut de hoc genere aliquos commemoremus, b. Jo. BAPT. LADVOCAT (*Interpretation hiſtorique et critique du Pſaume* LXVIII. *ouvrage poſthume.* 1767.) ven. Jo. AVG. STARCKE (*Sylloge commentationum et obſervationum philologico-criticarum. Vol. I.* 1769.) ven. FRANC. VOLKM. REINHARD (*Symbola ad interpretationem pſalmi ſexageſimi octavi.* Witteberg. 1778. 79.): neque tamen videntur omnia jam ita confecta eſſe atque expedita, ut aliorum ſtudiis nullum nunc locum ſupereſſe exiſtimandum ſit. Itaque viſum eſt, noſtram quoque qualemcunque operam conferre ad interpretationem nobiliſſimi poëmatis. Etenim quamquam alieniſſimi ſimus ab ea arrogantia, quae ſe prae aliis omnibus verum videre jactitet; haud tamen plane deſperandum eſſe putamus etiam de locis obſcurioribus. Tentabimus itaque, num forte nonnihil lucis affundi illis a nobis poſſit. In reliquis ita verſabimur, ut ex doctiſſimorum virorum ſcriptis ea, quae vere ac recte dicta videntur, ſeligamus, et ſi fieri poſſit confirmemus. Qua quidem opera id ſaltem effecturos nos eſſe con-

confidimus, ut haud ingratum vel inutile futurum ſit auditoribus, quae fuerunt haud ita pridem in ſcholis noſtris ſuper hoc pſalmo propoſita, litteris conſignata uſibusque ſuis accommodatiora nunc a nobis accipere.

Ad *argumentum* Pſalmi quod attinet, non dubitamus, ad eam opinionem accedere, quam, a Jo. Clerico propoſitam, ſecutus eſt b. Zachariae, aliique pſalmorum interpretes complures noſtrae aetatis, compoſitum eſſe hoc carmen a Davide ex occaſione illius ſolemnitatis, qua arca foederis translata eſt in Zionem montem, 2 Sam. VI. 12 ſqq. 1 Chron. XV. Neque obſtat auctoritas Apoſtoli, pſalmum ut videtur ad *Chriſtum* trahentis Ephes. IV. 8. Etenim pendet ibi omnis vis argumentationis a graeca verſione, qua Paulo locum pſalmi, vers. 19. reddere viſum eſt. In qua cum verba, *και εδωκε δοματα τοις ανθρώποις*, recedant plane a vero atque obvio ſenſu formulae hebraicae, לקחת מתנות באדם, qua Deus acceptor munerum, non auctor dicitur; haud difficulter intelligitur, non ad probandum ab Apoſtolo uſurpatam eſſe Pſalmi ſententiam, ſed ad rem aliam, de qua ipſi ſermo erat, tantummodo adcommodatam. conf. b. Zachariae ad Ephes. IV. 8.

Ita diſpoſitus eſſe Pſalmus videtur, ut inter ipſam pompam deducendae arcae poſſet cantari. Habet igitur intervalla quaedam ſua, et conſtat ex diſtinctis partibus, quas omnino haud opus eſt arctiſſimo nexu inter ſe cohaerere. Et initium quidem ejus cantandi factum eſſe dixerimus, cum arca e loco ad Zionem proximo, quo antea ſubſtitiſſet, ſolemniter procedere inciperet. Utitur enim Davides vs. 2. eadem plane formula, qua Moſes olim uti conſueverat, quotiescunque arca locum mutaret ſuum, Numer. X. 35.

Sed

Sed ita utitur Davides, ut eandem jure ſuo augeat atque amplificet vs. 3 4. הִנָּדֵף aliis dicitur infinitivus Niphal irregularis, aliis infinitivus formae ex Kal et Niphal mixtae: neutrum ſi placuerit, poſſis mutatis vocalibus ſubſtituere הִנָּדֵף. In voce תִּנְדֹּף antiqui Interpretes, Alexandrinus cum Vulgato et Arabe, Syrus etiam atque adeo Chaldaeus, aliam lectionem ſecuti eſſe videntur, יִנָּדְפוּ, quam probant Michaelis, (in *epimetro ad praelect. Lowth.* pag. 557.) Ladvocat, Starckivs, Knappivs: Koehlero (*Repertor. litteraturae bibl. atque orient.* Vol. XIII. pag. 98.) magis probante formam יִתְנַדְּפוּ, commendatam etiam ab Houbigantio. At recepta lectio, quam Michaelis etiam in verſione Pſalmorum vernacula ſecutus eſt, tenenda videtur, quod et cauſa non intelligitur, quapropter ינדפו tranſierit in תנדף, et admodum credibile eſt, antiquos interpretes accommodaſſe in vertendo lectionem תנדף ad verba ſubſequentia יאבדו ישמחו. Quod vero Houbigantivs monet, lectionem תִּנְדֹּף propterea locum habere non poſſe, quod verbum hoc activum non ſequatur caſus, id ſane magni momenti haud eſt: poteſt enim nomen e propinquo arceſſi. Illud gravius eſt, quod ill. Michaelis notavit, רשעים non eſſe malos, nefarios homines, ſed *reos*, qui malam cauſam habeant, hoc eſt barbaras gentes, Iſraëlitis inimicas: צדיקים contra eos, quorum cauſa ſit juſta, nempe Iſraelitas, a Jehova in tutelam receptos.

Hos igitur excitat vates, jubetque, incedenti Numini hymnos canere, viamque munire. ערָבוֹת haud neceſſe eſt de locis deſertis intelligi: ſignificat enim hoc nomen etiam planitiem, regionem campeſtrem. (vid. Bachiene *hiſtor. und geograph. Beſchreibung von Palaeſtina.* P. I. Vol. 1. cap. 9. pag. 340. ſq.) Sed, quo-

quomodocunque accipias, formula סלו לרכב בערבות non eſt admodum urgenda. Eſt enim mere poëtica, deſumta a moribus veterum regum, quibus, iter facturis, ſolebant praecedere, qui viam ſternerent complanarentque.

Formulae בְּיָהּ שְׁמוֹ explicandae triplex fere ratio obtinet. Vulgaris ſententia eſt, praefixum ב eum hic uſum habere, qui frequentiſſimus eſt in arabica lingua, qua ſi v. gr. Deus potens eſſe dicendus ſit, dicitur: Deus eſt *in* potente. Et quamquam illud Beth eſſentiae ſeu qualitatis, ut dicunt, plerumque conjungi ſolet cum praedicato; haud tamen, quod obſervat Michaelis (*Bibliothecae or. et exeget.* P. XII. pag. 106.) exempla deſunt, quae ſubjecto etiam illud praefigi demonſtrent. Alii, praeeunte Lud. Cappello (*Crit. ſacr.* pag. 639. edit. Halens.) lectionem ſtatuunt, vel hanc יָהּ שְׁמוֹ, vel hanc כִּי יָהּ שְׁמוֹ, auctoritate uſi veterum interpretum, Alexandrini cum Vulg. Syri, Chaldaei. Sed habemus receptae lectionis diſertos atque luculentos teſtes Symmachum nec non auctorem verſionis graecae *quintae*, quorum alter habet *δια τȣ Ια η ονομασια αυτȣ*, alter *εν τω Ια το ονομα αυτου*: et reliquos etiam illos ipſos eandem lectionem habuiſſe, at ex arabico uſu interpretatos eſſe, haud eſt incredibile. Quamquam vetus ad hunc locum ſcholion, a Ladvocato, (pag. 29.) deinde a celeb. Adlero (*Repertor. litter. bibl. et oriental.* vol. XIV. pag. 193.) e codice Vaticano, exhibitum: *το μεν Κυριος συνηθες παρ Εβραιοις Αδωναι· ενταυθα δε λεγεται Ια σεμω*, ſuſpicionem movet, non defuiſſe olim etiam hebraicos libros, qui haberent יה שמו. Tandem ill. Michaelis putat, mutatis vocalibus, בִּיָּה verbum eſſe, ejusdem ſignificationis cum ſyriaco ܒܝܳܐ, conſolatus eſt: neque tamen ipſe permultum tribuit

tribuit huic ſuae opinioni, quandoquidem in verſione pſalmorum vernacula locum ſic reddit, *er heist* Jehova: et poſſit omnino ſententia, *conſolatur* nomen ejus, nonnihil languida videri in carmine tam incitato ſublimique. Itaque et nos primam illam rationem amplectendam eſſe exiſtimaverimus. Caeterum Kleistium, divinum poëtam, in ſuo illo

Gros iſt der Herr! die Himmel ohne Zahl
Sind ſeine Wohnungen,
Sein Wagen Sturm und donnernde Gewölk,
Und Blize ſein Geſpann

ad hunc Pſalmi noſtri locum reſpexiſſe, quod Starkius innuit (pag. 145.) et Koehlerus affirmat (*loc. cit.* p. 99.) dubitari poſſit: nos potius locum Pſalm. XVIII. 10 ſqq. ab eo imitatione expreſſum eſſe dixerimus. Quae Alexandrinus interpres huic verſui ſubjuncta habet verba, *ταραχθησονται απο προσωπȣ αυτου*, pertinent, niſi nos omnia fallant, ad verſum tertium, atque in margine primum poſita irrepſerunt in textum, unde nunc ſunt iterum eliminanda. Vers. 6 אלהים במעון קדשו ſubjectum propoſitionis eſt, cui praedicatum, ut alias ſaepe, praemittitur. יחידים, vs. 7. ſunt *ſolitarii* (pſalm. XXV. 16.) patria ſeu domo extorres. Eſt hic conſtructio diverſa ab ea, quae conſpicitur Pſ. CXIII. 9. nempe talis, qualem *praegnantem* dicunt grammatici: etenim ה in voce ביתה notat motum ad locum, adeoque alio verbo ſubintellecto formula explenda eſt ſic: אלהים מֵשִׁיב יחידים ביתה וּמוֹשִׁיב אוֹתָם בּוֹ, niſi malueris, lectioni מושיב ſubſtituere hanc, מֵשִׁיב, quae vero, quod mireris, neque in libris ſcriptis, neque in verſionibus antiquis quicquam praeſidii habet. בַּוֹשָׁרוֹת, nec non quod

Syrus pro eo ponit nomen, ܟܘܫܪ̈ܬܐ optime explicatur ex arabica lingua, in qua كثر, verbum ſatis obvium, multitudinis, ac abundantiae ſignificationem habet. כושרות itaque poſſunt eſſe loca rebus omnibus affluentia: צחיח autem, nam ח iterum locale eſt, ſignificat proprie locum glabrum ac nudum, hoc eſt ſolum aſperum, torridum, ſterile. Quod Alexandrinus nec non Syrus צחיחה vertunt *ſepulchra*, feciſſe videntur, quod cogitarent, ſepulchra utplurimum in montanis petroſisque locis condi olim conſueviſſe. Rectius Aquila, *πλην αφισταμενοι εσκηνωσαν λεωπετριαν*, *laevem petram*, quo nomine Alexandrinus reddit צחיח סלע, Exech. XXIV. 7. 8. XXVI. 4. 14. Quod reliquum eſt, haud putaverim, locum communem tractari hoc verſu: eſt potius haud obſcura alluſio ad nobilem illam rerum converſionem, qua olim gens Iſraelitica, ſummi Dei beneficio, ab Aegyptiaca ſervitute eſſet liberata, inque terram bonis omnibus abundantiſſimam deducta, barbaris incolis partim deletis, partim e patria in loca vaſta atque horrida ejectis.

Jam Arca cum ſplendido ſuo comitatu ſolemniter procedente, abeſſe omnino haud potuit, quin animo vatis ſeſe offerret cogitatio priſtini illius temporis, quo populus, excuſſo Aegyptiorum jugo, duce ac auſpice Jehova, per deſerta arabica migrabat. Itaque, nulla tranſitus formula adhibita, ſermone ſubito ad Deum converſo, commemorat primo legem a Deo latam, deinde beneficia ab eo in itinere accepta, porro victorias ab hoſtibus reportatas, alia. Ad primum illud quod attinet, dubitari nequit, vers. 9 contineri deſcriptionem horrendae illius tempeſtatis, quam conjunctam fuiſſe cum divinae legis promulgatione ex

Exod

Exod. XIX. 16 ſqq. intelligitur, quoniam nominatur Sinai et quaſi digito commonſtratur, diciturque et ipſe praeſente Numine contremuiſſe. Et quidem Davides utitur formulis, a Debora olim Judic. V. 4 ſq. adhibitis, unde conſequitur, nobiliſſimi hujus carminis uſum iſta aetate haud obſcurum fuiſſe. Neque tamen probamus ſententiam celeb. Koehleri, putantis, (*loc. cit.* pag. 106.) etiam verba הרים נזלו מפני אלהים a Davide inde repetita fuiſſe, ſed mature a librariis, ob *ομοιοτελευτον*, omiſſa. — Sed haec parum difficultatis habent: quae ſequuntur, magis ſunt obſcura atque impedita.

Vers. 10 inprimis diſpiciendum, quid ſit נחלת יהוה. Ill. Michaelis *peculium Jehovae* exiſtimat eſſe montem Sinai cum regione ſubjecta, quae Exod. III. 5 dicatur אַדְמַת קֹדֶשׁ, ſolum ſacrum; *animalia Dei* dicit domeſticas ejus regionis feras, et ipſas ſacras, ac ſub tutela Numinis verſantes; *imbrem* denique putat proprie accipiendum eſſe de pluviis copioſis, beneficio Dei in eam terram effuſis, ut ſententia loci ſit haec: Deum exuſtas aeſtu ſolis regiones ſinaiticas rigaſſe largis imbribus, ut et ferae ibi habitare poſſent, et inops Iſraelitarum multitudo. Comprobat quidem haec omnia aſſenſione ſua confirmatque, praeter alios, ven. Reinhardus, vir ingenioſiſſimus: ſed nobis tamen aliter videtur, quoniam et loquendi formula, נחלת יהוה, certe haud raro obvia, nunquam hoc ſenſu occurrit, et rei ipſius, nempe regionis ſinaiticae frequentiore pluvia cultae ac fecundatae, veſtigium, quantum conſtat, nullum ſupereſt. Nec b. Zachariae adſtipulamur, exiſtimanti, ipſam terram Canaaniticam his verbis innui, atque a Deo, quo acceptior eſſet ipſius populo, לְדִירָתוֹ, ad inhabitandum, provide rigatam ac fecundatam deſcribi.

Non fert iſta orationis ordo ac ſeries: nam quae deinceps commemorantur, haud paullo ante occupatam Canaanitidem geſta ſunt. Optime vero rem omnem expoſuiſſe videtur Ladvocat, cui נחלת יהוה eſt ipſe populus Iſraeliticus, alibi etiam hoc nomine nobilitatus, veluti Devter. IX. 29. Pſ. XXVIII. 9. Pſ. XCIV. 5. גשם נדבות *Manna* eſt, quam per imaginem imbris repraeſentari, mirum profecto videri non poteſt, cum non poëtice tantum, ut Pſ. LXXVIII. 23 ſq. coll. Pſ. CV. 40. ſed oratione etiam plana ac ſimplici, Exod. XVI. 4. dicatur cibus coeleſtis, pluviae inſtar a Deo effuſus. — In voce וְנִלְאָה Vau praefixum vertendum eſt, *et quidem*, docente Schroedero, *Inſtitutt. ad fundam. ling. hebr.* ſect. IV. de Syntaxi partic. reg. CIX. 1. א. quod cum non animadverteret Ladvocat, ſuſpicatus eſt excidiſſe particulam עַל ante vocabulum נחלתך, Houbigantius vero putavit lectionem reſtituendam eſſe hoc modo: לנחלתך ונלאה ואתה כונ׳ . . . . praeter rem et ſatis infeliciter! — Jam vero animalia Jehovae quid ſint, in promtu eſt judicare. Etenim, ſi נחלת יהוה ſit agmen Iſraeliticum, et pronomen בָּהּ referri debeat ad נחלה, quod omnino aliter fieri nequit; certe animalia, quae dicuntur verſata eſſe in agmine Iſraëlitico, non poſſunt eſſe niſi שַׂלְוִים, hoc eſt ex plurimorum ſententia, *coturnices.* Atque haec ſententia mirifice confirmatur tum eo, quod loco antea citato, Pſ. LXXVIII. 28 Deus dicitur שלוים projeciſſe בקרב מחנהו, tum quod ibidem vers. 20. ubi de parandis *carnibus* ſermo eſt, videmus hoc ipſum verbum הכין adhibitum eſſe, quod eſt noſtro loco cum חַיָּה conjunctum.

Quae ſequuntur vers. 12 et 13. ad victorias referenda ſunt, potiſſimum a Sihone atque Ogo regibus reportatas, Numer. XXI. 21 ſq. Certe quidem non id

id agit vates, ut rem geſtam omnem ex ordine multis exponat, quod hiſtorici erat, non poëtae: choros tantum videt auribusque percipit feminarum ovantium, carminibusque celebrantium victorias, modo ex hoſtibus relatas. Feminarum enim permagnas partes fuiſſe in ejusmodi laetitia publica, intelligitur ex locis Exod. XV. 20. Jud. XI. 34. 1 Sam. XVIII. 6. 7. 2 Sam. I. 20. Nomen אֹמֶר, ſimpliciter poſitum, late patet, nec videtur jure poſſe ad *laetum nuntium* reſtringi. Sed cogitatione repetendum eſt hoc nomen, atque enuntiatum, quo monocolon eſſe videtur, et eſt ſi ſolam ſententiam ſpectes, in duo diſtribuendum, (conf. Lowth *de ſ. poëſi Hebraeorum.* pag. 388.) quorum prius poſteriore demum legitime circumſcribatur definiaturque. Quae autem ſequuntur verba: מלכי צבאות ידדון ידדון ונות בית תחלק שלל: non ipſius vatis ſunt, ſed feminarum tripudiantium: quod etiamſi a pauciſſimis obſervatum eſt, tamen haud obſcure ex eo colligitur, quod ſi vatis verba eſſent, praecedere illa debebant in ſerie orationis, quandoquidem clades hoſtium debet antecedere victoriae ſolemnem celebrationem. — נות בית poëtice dictum pro נָשִׁים, quoniam moris erat, atque adhucdum eſt, in iſtis regionibus, ut domi ſeſe contineant feminae, nec in celebritate hominum verſentur; quo etiam reſpicit illud, Jud. V. 24. תברך יעל באהל. Feminis, non viris, quod tribuitur praedae partitio, elegantiſſimum eſt atque ad rem ipſam accommodatiſſimum. Nempe viris ſatis eſt, hoſtes proſtraviſſe, praelioque viciſſe: praedam vero ipſorum virtute partam, ejusque aequabilem partitionem non admodum curare ſinit animi elatio atque liberalitas. Caeterum mirum videri poſſit, in loco non nimis obſcuro tantopere coecutire potuiſſe antiquos interpretes; veluti Alexandrinum, qui, nullo plane ſenſu, haec habet, *ο βασιλευς*

των δυναμεων τȣ αγαπητȣ, τȣ αγαπητȣ, και ωραιοτης τȣ οικȣ διελεσθαι σκυλα, preſſe repetita e vulgato, *rex virtutum dilecti, dilecti, et ſpeciei domus dividere ſpolia.* — Sed hiſce immorari non eſt operae pretium. Accedimus nunc ad eam carminis partem, quae plurimis difficultatibus laborare videtur.

Expugnata atque in poteſtatem redacta ditione Baſanitica, conſtat haud parvam partem populi, fertilitate atque amoenitate ſoli captam, petiiſſe a Moſe, ut liceret ſibi occupare iſtam regionem, rei pecuariae maxime aptam, relicto jure ſuo petendae portionis de terra a Deo promiſſa. Numer. XXXII. Ad haſce igitur tribus, immo ad univerſum populum, converſus eſt ſermo, cujus ſententia, ut hoc praemittamus, huc redit: *amoenam quidem, et montibus quoque, qui ad regiam ſedem Numinis apti eſſent, conſpicuam fuiſſe eam regionem, nec tamen ibi ſubſiſtere licuiſſe, ſed poſt novas demum victorias, poſt alia regna occupata, arma ponere optatoque otio frui Iſraelitas debuiſſe.* Obſcurum vocabulum שפתים omnium optime expoſuit Michaelis (Lowthii *praelect. de poëſi hebr.* pag. 562.) qui *canales* intelligit ſeu alveos, unde pecora bibunt. Sed in eo nos non habet adſentientes, quod putat, כנפי יונה dictum eſſe vel pro וכנפי vel pro בין כנפי, columbasque hic pertinere ad deſcriptionem vitae otioſae ac paſtoritiae, ut in loco Virgiliano, Eclog. I. 52. ſq.

Fortunate ſenex, hic inter flumina nota,
Et fontes ſacros, frigus captabis opacum.

— — — — —

Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.

Etenim

Etenim, in delineanda vita ruſtica, canalibus minus accommodata eſſe videtur columbarum, quam gregum balantium mentio, ut eſt in illo loco Jud. V. 16.

למה ישבת בין המשפתים
לשמע שרקות עדרים:

quare recubuiſti inter canales,
ad audienda ſibila gregum?

aut ſi columbis uti voluerit auctor, iisque colorum varietate conſpicuis, dicendum fere erat, לראות כנפי יונה, ad *ſpectandas* columbas. Itaque exiſtimaverimus, columbam hic imaginem eſſe ipſius agminis Iſraelitici, quod, ut columba longo volatu feſſa conſidet quieſcitque, longis itineribus exagitatum requirebat nunc locum, ubi ſuam tandem ſedem et domicilium habere poſſet. Atque hoc maxime inſequentis commatis ratio videtur exigere.

Vers. 25 haud parum moleſtiae interpretibus faceſſit vocabulum בָּהּ, quoniam, quo referendum ſit pronomen, haud adparet. Sunt qui בָּהּ dictum putant pro בָּאָרֶץ, e quorum numero videtur eſſe etiam cel. MENDELSSOHN, qui habet:

Die Allmacht ſtreckt dort Koenige hin;
Dann leuchtet Schnee im Düſtern.

Certe ven. REINHARDUS ita ſtatuit, exiſtimans, omiſſionem nominis, quantumvis duriorem, carminis brevitate excuſandam eſſe. Ven. DOEDERLEINII, in *Scholiis*, interpretatio haec eſt: *cum omnipotens reges in eo* (deſerto v. 11.) *disjecerit, poſt tenebras nitidum affulſit* deſertum: at verſus *undecimus* et longius abeſt, et caret nomine, quod deſerti ſignificationem habeat, nam

 נחלת

נחלת יהוה viro doctiſſimo eſt populus Deo ſacer. Ven. STARCKIVS autumat, ſive illud בת in בהם vel בם mutandum eſſe, ut ſenſus ſit, *cum altiſſimus reges inter ſe diffunderet*, ſive referendum ad ſuperius נחלת, deſertum nempe Arabiae, ubi ab Abrahamidis reges Phoenicum profligatos eſſe, hiſtoriae ſacrae memoriae prodiderint. Celeb. KOEHLERVM ſi audias, eliminandum eſt vocabulum בת, ut quod abfuerit olim a codice interpretis Alexandrini, et abſit a verſione arabica in msc. 13 bibliothecae regiae Pariſienſis, teſte STARCKIO pag. 175. Ill. MICHAELIS contra (*Biblioth. orient.* P. XII. pag. 170.) negat lectionem בת repudiari poſſe, ob auctoritatem veterum verſionum. Certe, ſi Alexandrini επ αυτης non ipſius Alexandrini ſit, ſed Theodotionis, ab Origene demum textui verſionis alexandrinae inſertum, extat tamen lectio בת apud Syrum, Chaldaeum, Hieronymum, Symmachum: nec poteſt diſſenſio unius interpretis detrahere quidquam ejus auctoritati, quoniam cauſa, cur in vertendo negligi potuerit, in promtu eſt, contra vero, cur textui ingeſta illa fuerit, excogitari nulla poteſt. Putavit aliquando Vir illuſtris (LOWTH *de ſacra poëſi hebr.* pag. 567.) pro צלמן legendum eſſe, ציון, ut pronomen, emphatice praemiſſum, reſpiciat ad ſubſequens nomen Zionis, nivis autem mentio ad refrigerium et laetitiam pertineat, ex uſu verbi arabici ثلج *laetari*, et أثلج *exhilarare*, hoc ſenſu:

Altiſſimo reges in ea conſtituente

Voluptate perfundebatur Sion.

Sed, repudiata hac ſententia, quod credibile haud ſit, nomen omnibus notum ציון ſeſe penitus ſubduxiſſe, ac

ac in obſcurum illud צלמון tranſiiſſe, atque etiam orationis ordo hic non ferat mentionem Zionis, aliam rationem inire tentavit (*Biblioth. Or.* P. XII. pag. 170 ſq.) hoc modo, ut prius hemiſtichium, mutato שַׁדַּי in שְׂדֵי, interpretetur, *quando agros regum* (Ogi et Sihonis) *partimini*, in poſteriori autem commate lectionem conſtituat vel hanc, בחתשלג בצלמון, *quando in opacis vallibus recreamini*, invita quidem grammatica, quae poſtulat בחשתלג בצלמון, adſtipulante tamen ven. Knappio (in *altera editione verſionis pſalmorum*), vel hanc בחת שלג בצלמון, *cum nix in Zalmonem*, vel, *in depreſſas valles Baſanis*, *effunditur*, adhibito verbo arabico هتّ, *effudit*. Ven. Reinhardo videtur ſermo eſſe de illuſtri praelio, duce Joſua cum rege Hieroſolymorum ejuſdemque ſociis commiſſo, Jos. X. in qua cum pars caeſi hoſtis fugerit verſus Bethhoronem ſuperiorem, et regiones urbi Sichem vicinas, ad quam Salmon mons ſitus erat Jud. IX. 48. acceſſeritque ingens grando divinitus in profugos immiſſa, potuiſſe vatem hanc rem in animo habuiſſe, ut ſenſus loci ſit hic, *cum Deus ſpargit per terram reges*, *albeſcit ad montem Salmonis*, ſeu *alba grandine tegitur regio Salmoni adjacens*: quamquam ipſe vir doctiſſimus haud diſſimulat, etiam hanc interpretationem multis laborare difficultatibus: quarum haud poſtrema nobis quidem haec eſſe videtur, quod ab hoc loco aliena eſt mentio rerum cis Jordanem, in ipſa terra Canaanaea, geſtarum. — Noſtra tandem ſententia huc fere redit. Primo, cum יוֹנָה nobis populum Iſraëliticum ipſum ſignificet, habemus quo pronomen commode referamus: neque obſtat, quod *tertiae* perſonae hoc eſt, non ſecundae, בָּהּ, cum ſint ejusmodi viciſſitudines perſonarum ſatis ſolemnes atque obviae in poëſi hebraica. Igitur prius hemiſtichium convertimus, *quando*

do diſperſerit omnipotens reges pro ea, ſeu *propter eam.* Deinde צלמון non eſt cur nomen proprium montis, ejusque plane ignobilis, eſſe debeat: habere vero poteſt, collato verbo ظَلِمَ, ſignificationem obſcuritatis ſeu *umbrae*, quod vidit etiam Theodotion, qui בצלמון interpretatus eſt ἐν σκιᾷ (vid. celeb. Adleri *Symbola ad Monteſalconii Hexapla ex cod. Vaticano* 754. *in Repertor. orient.* Vol. XIV. pag. 194.) Tandem quod hebraico verbo reſpondet arabicum ثَلَجَ, proprio quidem de coelo *ningente* dicitur, ſed tranſlate etiam de eo, qui *tranquillo*, *laeto eſt animo*, et in conjug. IV. أَثْلَجَ eſt, *laetitia aliquem affecit*, quaſi refrigeravit, quemadmodum etiam verbum قَرَّ primo eſt *friguit*, deinde, *laetus evaſit.* Itaque verba תשלג בצלמון, mutato תַּשְׁלֵג in תֻּשְׁלַג, reddimus, *refrigerabitur* ſeu *recreabitur in umbra.* Qua quidem ratione hoc ſaltem conſecuti eſſe nobis videmur, ut ſententiam habeamus non modo planam ac ſimplicem, ſed et neque a venuſtate carminis, neque ab iis quae antecedunt proxime et ſequuntur alienam. Poſſit quidem hoc forte reprehendi in hac interpretatione, quod nihil conjunctionis habere videtur *columba* cum *regibus* regno everſis. Sed conſtat apud intelligentes, non adeo delicatum eſſe Hebraeorum dicendi genus poëticum, ut ab miſcendo ſermone proprio tropicoque multum abhorreat.

In verbis הר אלהים הר בשן ſubjectum enuntiationis eſt הר בשן. *Dei mons* dicitur Baſan, haud eo ſenſu, quo vel *Horeb* Exod. XXIV. 13 alibi, vel *Zion*, Pſ. XXXIV. 3. II. 6 alibi, praeclaro hoc nomine inſigni-

ſignitur, eſt enim hoc ab univerſi pſalmi ratione ac argumento alieniſſimum: ſed intelligenda eſt formula ex conſuetudine Hebraeorum, qua quicquid in ſuo genere praeſtans eſt atque eximium, *Dei eſſe* dicere ſolent, veluti Pſ. XXXVI. 7. Atque hunc ſenſum parallelismus etiam membrorum planiſſime poſtulat. Minus commode verba הר בשן reddiderunt graeci interpretes, Alexandrinus et Symmachus, quorum alter habet *ορος πιον*, h. e. *λιπαρον η πλȣσιον*, ut habet margo libri Vaticani, a celeb. Adlero excerpti (*loc. cit. Repertor. orient.* Part. XIV.) alter, *ορος ευτροφιας*, quod putarent, Baſanem montem per metaphoram ſignificare montes Pingues atque fertiles univerſe: nec audiendus eſt Hovbigantivs, qui utroque loco pro חר בשן legere jubet חַר רֶשֶׁן. Formulam הר גבננים optime explicatam videas a Schvltensio, *Clav. dialectorum* pag. 196. ubi ita: "Radix גבן جبن primario ſignificavit *coagulari*, *concreſcere in grumos*; quas notiones conjug. 4 et 5. frequentant. Hinc גבינה *caſeus*, proprie *coagulatum et concretum in grumos* majores *lac*. Sed et animus *coagulatur* et *concreſcit* veluti, quum *puſillanimitate et ignavia conſtrictus torpeſcit*, (unde جبن pusillanimis.) Alio uſu adſpectuque جبّانة eſt *terra aſpera* et *ſcabroſa*; coemeterium. Hac anſa גִּבֵּן quoque *gibboſum* denotare coepit, et הרים גבננים in Ps. 68 *montes gibboſos*, *gibbis aſperos ſcabroſosque* venuſte conſignat." In quibus et nos acquieſcimus. Sed illud nobis dubitationem injicit, quod eadem vox גבננים modo ſingulari, modo plurali juncta hic ſit. Etenim, ſi ſubſtantivum ſit, recte quidem dicitur הר גבננים, ſed vitioſa eſt formula הרים גבננים: ſi adjectivum, locum habere non poteſt הר גבננים.

Poſſit.

Poſſit igitur ſuſpicio haud vana ſubnaſci depravatae lectionis: nec incredibile eſt, priore loco genuinam lectionem eſſe גַּבְנֻן, eamque degeneraſſe in גבננים, quod librario fraudem faceret vox גבננים proxime recurrens. Certe Alexandrinus interpres et Symmachus vocabulum גבננים habuiſſe videtur pro adjectivo, habet enim ille ορος τετυρωμενον et ορη τετυρωμενα, hic ορος υψηλοτατον et τα ορη τα υψηλα. Quamquam et illud diſſimulandum non eſt, Syrum utroque loco exhibere ܛܘܪܐ ܕܓܒܝܢܐ. Verbi תרצדון veram indolem Schultensius declaravit (*Animadvers. philolog. et crit. ad varia loca V. T.* pag. 162.) ex ſermone arabico, in quo رصد eſt παρατηρειν, *invidioſe aliquem obſervare.* Nimirum ad montes eminentiores univerſos convertitur oratio, quos vates elegantiſſime fingit invidere Zioni honorem illum eximium, quod dignus habitus eſſet, quo arcam, adeoque ſedem ſuam regiam collocaret Deus. Haud quidem nominatim commemoratur Zion mons, ſed potius digito quaſi monſtratur: quid enim opus erat nominare montem, qui nunc, inter canendum hoc carmen, omnium obverſaretur animis oculisque? Tandem id quam maxime obſervari velim, quam commode atque apte ad rem nunc redeat vates, unde digreſſio ab ipſo ſatis longa facta eſt.

Currus Dei vers. 18 nobis eſt ipſa arca, quae erat quaſi ſella Numinis, qua etiam quinto verſu dicitur *invehi.* Igitur non eſt, cur רֶכֶב mutetur in רֹכֵב ſeu רַכָּב, quod praeeunte Syro interprete ſtatuit ill. Michaelis et ven. Knappius: ſed in voce רבתים ellipſis eſt praefixi ב, quod haud infrequenter omitti conſtat. Incertis vocibus רבתים et שנאן non opus diutius immorari: ſive enim רבתים ſint *duae* myriades,

des ſive myriades *duplicatae*; illud in promtu eſt, ingentem quidem aliquem, nec tamen certum definitumque numerum his verbis deſignari. Formulam אלפי שנאן Alexandrinus vertit *χιλιαδες ευθηνουντων*, quod Hieronymus ſequitur *millia* abundantium ſ. *ευθημεντων*, quod Vulgata exprimit, *millia laetantium*; viderique poſſit habuiſſe lectionem שאנן vel שאננים, nam alio loco, Ps. CXXIII. 4. הלעג השאננים reddit ipſe *το ονειδος τοις ευθηνουσι*, et Symmachus, *επιλαλουντων των ευθηνουντων*. Sed poteſt etiam per incuriam confudiſſe inter ſe שנאן et שאנן: Symmachus, qui habet, *χιλιαδες ηχουντων*, videtur de verbo שאה cogitaſſe. *Coeleſtes* copias innui, pervulgata opinio eſt. Nos Iſraelitarum ingentem comitatum intelligimus, 1 Chron. XV. 3. 28. quos inter medios incedebat Arca. Quae ſequuntur verba, סיני בקדש, interpretes recentiores magno conſenſu ita accipiunt, ut putent vel ſubintelligendum eſſe praefixum ב ad vocem סיני, vel adeo re ipſa legendum בסיני, ex auctoritate Alexandrini, Vulgati, Arabis, Chaldaei. Habet omnino Alexandrinus *εν Σινα εν τω αγιω*, nec tamen inde certo effici poſſe videtur, vere eundem lectione בסיני uſum fuiſſe: Syrus vero diſerte exhibet ܒܣܝܢܝ ܒܩܘܕܫܗ. Et ſane admittit haec formula interpretationem haud contemnendam. Etenim Sinai mons dicitur hic per ſynecdochen universe pro ſede domicilioque Numinis, eſtque loquendi modus qualis obtinet in illo loco *Martialis*, Lib. IV. Ep. 60.

—— *in medio Tibure Sardinia eſt.*

vel apud *Themiſtium* orat. 31. *μετεληλυθεν ο Ελικων εις τον Βοσπορον*, *Helicon in Boſporum tranſiit.* (vid. *Annotations on the Pſalms.* by Jam. Merrick. pag. 141.) Senſus itaque eſt: *Qui in Sinai monte olim praeſentem ſe demonſtravit Deus, jam in hocce ſacrario ſedem ſuam habebit.*

Vers.

Vers. 19 apoſtrophe fit ad eundem, de quo proxime ſermo erat, Jehovam. Montem nunc conſcendit pompa: itaque dicit vates עלית למרום, utiturque eodem verbo, quod etiam alias hac de re uſurpatum videmus, Ps. XLVII. 6. 1 Chron. XV. 28. 2 Sam. VI. 15. Quae vero de captivis dicta ſunt, muneribusque acceptis, non ſunt ad vivum reſecanda, ſed pertinent ad amplificandam pompae magnificentiam. Tribuuntur Deo, quae ſolebant apud reges, bello feliciter geſto, locum habere, ut victos hoſtes ad ſervitutem deprimerent, et munera acciperent obſequii ac obſervantiae cauſa oblata. Et victoris perſona vere tribuitur Jehovae, qui brevi antea Zionem montem, quem nunc ipſe occupabat, vi armisque expugnaſſet, ejectis veteribus incolis. Ad vocem סוררים repetendum eſt praefixum Beth, nam שבית remotius eſt, ut trahi huc poſſit. Quod vero ab infenſis etiam hominibus munera oblata eſſe dicuntur, iterum pertinet ad declarandam triumphantis regis dignitatem ac potentiam. לִשְׁכֹּן conjungendum eſſe putamus cum עָלִיתָ, ut verbum eadem ſignificatione veniat, qua ante adfuit vers 17. Qui de ceſſatura hoſtium ira intelligunt, vereor ut hunc verbi uſum exemplis queant probare. Sed de verbis לקחת מתנות באדם adhuc dicendum. Etenim Apoſtolus Ephes. IV. 8 locum hunc noſtrum ſic commemorat: *αναβας εις υψος ηχμαλωτευσεν αιχμαλωσιαν, και εδωκε δοματα τοις ανθρωποις*, quod aperte recedit a proprietate ſermonis hebraici. Conſentit quidem cum Apoſtolo et Chaldaeus, יְהַבְתָּא לְחוֹן מַתְּנַן לִבְנֵי נָשָׁא, et Syrus ܘܝܗܒܬ ܡܘܗ̈ܒܬܐ ܠܒܢܝ̈ܢܫܐ. Et Kennicottus (*Diſſertat. gener.* pag. 31. coll. pag. 33. *edit. Bruns.* pag. 154 et 164.) exiſtimat, lectionem לקחת ortam eſſe transpoſitis literis

teris ex חלקת. Nam verba, inquit, *accepiſſe dona in homine*, vel *inter homines* contextui congruere non videntur: ſaltem hic verborum ſenſus valde diverſus eſt a חלקת באדם *dediſti* (vel *diviſiſti*) *dona inter homines*; prout Apoſtolus locum citat, Ephes. IV. 8. Sed haud multum momenti ineſſe videtur hisce rationibus. Etenim formula, *accepiſti* dona, melius etiam contextui congruit, quam altera illa, *diviſiſti* dona: et auctoritas apoſtoli eo certe haud valet, ut putemus, lectionem hebraicam ex ipſius citationibus aeſtimari debere et quaſi conſtitui. Alii, inter quos ven. Reinhardus, negant hic aliam lectionem ſubeſſe, et recte quidem, quantum nos judicamus: nam poſita lectione חלקת cauſa non intelligitur, cur vel Alexandrinus verbo *διδωμι*, quod nusquam reſpondet *τω* חלק, vel Chaldaeus Syrusque verbo יהב magis quam alio uſi ſint. Sed quod iidem obſervant, verba לקחת מתנות באדם recte verti poſſe, *accepiſti dona pro hominibus*, quoniam verbum לקח paſſim uſurpetur etiam de eo, qui accipit aliquid, ut aliis det, veluti Gen. XV. 9. 1 Reg. XVII. 10. huc non prorſus pertinere videtur, quoniam ex ſimilitudine locorum dicendum erat, non באדם, ſed לאדם. Itaque nos haud dubitamus, accedere ad ſententiam ven. Koppii, cui non incredibile eſt, de conſilio mutatum eſſe locum pſalmi ab Apoſtolo, quo eſſet ad rem ſuam adcommodatior. (vid. *Nov. Teſt. perpetua annotatione illuſtratum. Vol.* IV. pag. 348.)

Sequitur nunc laus Dei interpoſita vers. 20—24. Formulam יעמס לנו Alexandrinus vertit *κατευοδωσει ημιν*. Vulg. *proſperum iter faciet nobis.* Quo verbo cum ſatis conſtanter uti ſoleat interpres ille ad reddendum verbum צלח et הצליח, veluti Ps. I. 3. XXXVII. 7. XLV. 5. ſane haud aliena eſt opinio

Lad-

Ladvocati, exiſtimantis, adfuiſſe hic olim lectionem יצליח, eamque vulgari anteponendam eſſe. Nec tamen credibile, familiare ac obvium verbum transiiſſe in minus uſitatum minusque perſpicuum, et recepta lectio interpretationem admittit haud improbandam. Non quod putemus, verbum de *beneficiorum* quaſi *onere* accipiendum eſſe, quod nonnullis viſum eſt, eſt enim hoc alienum ab reliquo uſu verbi; neque ad Deum videtur verbum referendum eſſe, debebat enim tunc, loco הָאֵל, poſitum eſſe הוא: ſed eſt, ut bene vidit ven. Reinhardus, imperſonaliter dictum adeoque commode reddi ſententia poteſt hoc modo: *ſi oppreſſi ab hoſte fuerimus, hic Deus nobis fert opem.* Verba וליהוה אדני למות תוצאות plerumque ſic intelliguntur: Jehova multiplices habet vias modosque, quibus ſuos poſſit morti ſubducere. Enimvero תוצאות למות non poſſunt dici exitus ex morte. Recte vero Symmachus, *και τȣ Κυϱιȣ τȣ δεσποτȣ αι εις θανατον εξοδοι.* Eſt hic quidem parallelismus, nec vero ſimilium, ſed oppoſitorum. Etenim vox תוצאות uſu militari ſumenda, ut verbum יצא Ps. LV. 12. Habac. III. 13. ſignificatque exitus Dei ſeu impetus in hoſtes, cum ſtrage ac internecione ipſorum conjunctos. Eadem res ſequenti verſu aliis verbis deſcribitur.

Formulam מחץ ראש (Ps. CX. 6. Habac. III. 13) ex arabico ſermone aeſtimandam eſſe, ab aliis obſervatum eſt. Malim vero hebraicum verbum hoc loco conferre cum arabico محص, quam cum مخض, quod Schultensio placuit, *Clav. dialectorum* pag. 229. et *Origin. hebr.* pag. 347. 531. Etenim illud de eo uſurpatur, qui *concutit* terram vel rem aliam pede ſuo. Itaque מחץ ראש אויבין eſt, qui proſtratorum

torum hoſtium capita pedibus conculcat. קדקד שער, vertex capillatus, poëtice dictum pro ראש, ut et מתהלך באשמיו, verſans in culpa ſua, pro איב; nec videtur in hiſce locutionibus vis quaedam ſingularis quaerenda eſſe. Poſt verbum איב ex antecedentibus repetendum eſſe אֹיְבִים, tam clarum eſt atque obvium, praeſertim ex cohaerentia verſus 23 et 24, ut mirum etiam videri poſſit, interpretes nonnullos, et praeclaros etiam, ad Iſraëlitas hoc retuliſſe. ממצלות ים, poëtice dictum eſt pro מִיָּם, cumque *mare* hoc loco oppoſitum ſit Baſanitidi, regioni ad orientem ſitae, haud difficulter intelligitur, innui mare occidentale, ſeu mediterraneum. Neque vel maris vel Baſanitidis mentio aliam hic vim habet, quam quae poſita eſt in deſignanda plaga. Adeoque ſenſus eſt, *hoſtiles copias a Deo utrimque adductum, atque Iſraëlitico populo traditum iri ad internecionem.* Sed verbum מחץ hoc loco plane alia ratione adhibitum eſt quam in antecedentibus. Nunc enim reſpondet alteri verbo arabico مخض, quod ſignificat, *agitavit, concuſſit* rem in re, veluti ſitulam in puteo. Itaque verba למען תמחץ רגלך בדם vertimus, *ut agites pedem in ſanguine hoſtium:* eodem fere ſenſu, ac ſi dictum eſſet למען תרחץ, collato Ps. LVIII. 11. niſi quod תמחץ multo bellicoſius dictum eſt atque audacius. Quapropter non eſt, cur cum HARIO, LADVOCATO, aliisque ſtatuatur lectio תרחץ; nec poteſt haec, quod LADVOCATO viſum eſt, ex eo confirmari, quod veteres interpretes verbis uſi ſint, quae *tingendi* ſignificationem habeant; veluti Alexandrinus, *οπως αν βαφῃ ο πȣς σȣ εν αιματι*, hos enim ſenſum magis quam proprietatem verbi expreſſiſſe, atque aequo jure ad alterutram lectionem trahi poſſe, manifeſtum eſt. HOUBIGANTII autem in transformanda lectione temeritas modum ac fere fidem omnem excedit.

U Nempe

Nempe is locum ſic conſtituit למען תמחץ רגלך בדם אויביך׃ לשון כלביך תלקק מנהו, ut reſpergas pedem tuum ſanguine inimicorum tuorum, lingua canum tuorum lumbat ex eo. Noſtra quidem ſententia emendatione haud eget locus, ne ea quidem, qua ill. Michaelis utitur (*Biblioth. orient.* Part. XII. pag. 173.) qui מִנֵּהוּ, quoniam haud adpareat quo pronomen referendum ſit, convertit in מַנֵּהוּ, *da eum* (ſanguinem), collato verbo مَنَّ, cui donandi ſignificatio tribuitur. Neque opus eſt cum clariſſ. Koehlero in poſteriori commate ſubaudire verbum ישתה, aut aliud quoddam hujus generis: hoc enim, ſi ad ſenſum ſit neceſſarium, ſane haud relinqui debebat ab auctore ingenio lectorum auditorumve. Si quid judicamus, optima verborum interpretatio ea eſt, quam propoſuit Simonis in *Lexico* voce מִן, docens, hebraicam ſententiam ad verbum ſic reddendam eſſe: *ad linguam canum tuorum quod attinet, de hoſtibus ſit ejus portio.* Caeterum pertinet hoc ad illam priſtini temporis ferociam, qua proſtratorum hoſtium cadavera ſolebant nonnunquam inhumata relinqui, avibus, canibus, aliisque beſtiis voranda. vid. Jerem. XV. 3.

Redit ad ſuperius ſuum argumentum vates vers. 25. iterumque celebrat divinae pompae ſolemnitatem, ſed peractam illam atque abſolutam, quod jam ſedem ſuam occupaſſet arca: unde ratio intelligitur, cur verba nunc adhibita ſint temporis praeteriti. רָאוּ accipiendum eſt imperſonaliter. בַּקֹּדֶשׁ ſive vertas *in ſacrarium*, ſive *qui nunc eſt in ſacrario;* illud certum eſt, non poſſe hic aliud ſacrarium intelligi, quam quod nunc extabat in Zione monte: unde hoc ſequitur, verſu etiam 18 eodem ſenſu ſumendum eſſe vocabulum. שָׂרִים a graeco ſyroque interprete translatum eſt

eſt *principes*, quod vocem pronuntiarent שָׂרִים: ſed omnino praeferenda eſt recepta lectio ob ſeriem orationis. Pro בְּתוֹךְ cel. KOEHLERVS aptius efferri exiſtimat בְּתָוֶךְ; quod locus intermedius convenientior videatur turbae virginum quam extremus: qua de re aliis aliter videbitur. Puellarum apud Hebraeos in ſolemnitatibus publicis permagnas partes fuiſſe, ſupra obſervatum eſt, verſu 12. De *tympano* orientalium, quod eſt a noſtro plane diverſum, videndus praecipue eſt cel. PFEIFFERVS, *de Muſica veterum Hebraeorum*. pag. 50 ſq. בָּרְכוּ videtur ad ſimilitudinem praecedentium verborum in בָּרְכִי mutandum eſſe: quamquam haud multum repugnaverim, ſi interjectam hic apoſtrophen ad Iſraëlitas ſtatuere malueris. Ante vocem אדני; pro qua complures codices habent יְהוָֹה, repetendum eſt ברכו, ante ממקור ſubaudiendum אֲשֶׁר, auctores enim generis ab Hebraeis comparari cum fontibus, gentes cum aqua inde profluente, apparet ex locis Eſ. XLVIII. 1. Prov. V. 18. MICHAELIS locum vertit, *celebrant Dominum, quod Iſraëli ſtabilem ſedem praebuit*, conjicitque cel. KOEHLERVS, rationem hujus verſionis in eo ſitam eſſe, quod arabicum قارة ſit *monticulus, petra ingens*. At obvium eſt, virum ill. ſecutum eſſe ſignificationem nominis مَقَرّ, *locus firmus, quo quis quieſcit*. Quod vero idem addit in annotatt. ad hunc locum, aliam extare lectionem, ſibi etiam praeſtantiorem viſam, quae vertenda ſit, *vos de fontibus Iſraëlis*, haud dubie eo ſpectat, quod Alexandrinus habet, εκ πηγων Ισραηλ, quamquam nos cauſam omnino haud perſpicimus, cur, ſi ממקורי ישראל vertendum ſit, *ex fontibus Iſraël*, formula ממקור ישראל non aequo jure converti debeat, *ex fonte Iſraël*.

U 2 Verſ.

Vers. 28 commemorat vates tribus Iſraëliticas, quae laetitiae huic publicae intererant. Ex I Chron. XV. 3 quidem intelligitur, ex univerſo populo convocatam a rege multitudinem fuiſſe: ſed omnes tribus longo ordine recenſere, hiſtorici erat, non poëtae. Itaque nonnullas tantum nominat, et quidem duas, quae in proximo habitarent, adeoque primarias in hac celebritate partes haberent, duasque alias, quae longiſſime quidem abeſſent ab loco ſolemnitatis, nec tamen frequentes adeſſe recuſaſſent. Ac primo quidem Benjaminiticam tribum commemorat, eamque צעיר dicit, quod Benjamin eſſet fratrum natu minimus. Quod vero eandem etiam *dominantem caeteris* appellat, dicitur ea de cauſa factum eſſe, quod Saul, penes quem paulo ante ſumma poteſtas fuerat, genus ex ea duxiſſet. Quod alii putant, רֹדֵה ſignificare eum, qui prior incedat et reliquos quaſi ducat, ut Mendelsohnivs habet, *hier Benjamin, der jüngſte, führet ſie an*, vereor, ut ex linguae uſu probari queat. Sed nata eſt apud nos ſuſpicio, legendum forſitan eſſe רֹדֵם (אֲשֶׁר); quod verbum cum ſit minus vulgare ac obvium, facile evenire potuit, ut, leviſſima mutatione facta, degeneraret in רדם. Extat vero, et quidem de pompa deducenda uſurpatum a Davide, Pſ. XLII. 5. ubi pro אֶדַּדֵּם pronuntiandum eſſe videtur אֲרַדֵּם Pih. Aquila interpretante, προβιβαζων αυτȣς. Ab veteribus quidem interpretibus nihil auxilii peti poteſt pro hac conjectura. Alexandrinus enim habet εν εκϛασει, et nomen εκϛασις reſpondet hebraico תַּרְדֵּמָה Gen. II. 21. XV. 12. declaraturque ab Heſychio per υπνον, *ſomnum*. Eodem redit Syri ſententia, ܒܫܠܝܐ, *in tranquillitate*. Symmachus vertit, παιδευτης αυτων, et auctor *quintae* verſionis, διδασκων αυτȣς: non quod legiſſe cenſendi ſint יוֹרֵם, ſed uſi

uſi potius ſunt ea ſignificatione verbi רדה, quae apud Chaldaeos, Syros et Samaritanos uſitatior erat. Aquila denique, *επικρατων αυτων*, a quo haud differt Chaldaeus, quantum quidem ex obſcuro ejus dicendi genere cognoſci poteſt. Expreſſerunt itaque veteres hi interpretes omnino lectionem רדם, quid vero, ſi et ipſos habuiſſe tamen רדם, at, in magna verbi hujus infrequentia, cogitatione ſtatim ad רדם delapſos eſſe dixerimus? De nomine רגמתם dicto hic pro בְּרגמתם, quod alii ſignificatione *coetus* accipiunt, *purpurae* alii, certi quod ſtatuamus, habemus nihil: videtur tamen multitudinis notio ad hunc locum accommodatior eſſe. Caeterum nequeo mihi temperare, quo minus ven. Reinhardi verba hic exſcribam: *Quae alii ad hunc locum de Paullo apoſtolo, Benjaminita; de cognatis Domini, e tribu Judaica oriundis; de reliquis denique apoſtolis, Galilaeis, adeoque ducentibus forſitan genus e tribu Sabulonitica ac Naphthalitica, diſputant: ea magis pie dicuntur, quam erudite, et ad integri carminis naturam et ordinem accommodate.*

Sequitur nunc vers. 29 ſeq. brevis ad Deum ſupplicatio pro confirmanda atque augenda Iſraëlitarum republica. Antiqui interpretes omnes, Alexandrinus cum Vulg. et Arabe, Chaldaeus, Syrus et Symmachus, mirabili fere conſenſu, lectionem exprimunt hanc, עַוֵּה אלהים עזך, nec deſunt hebraici codices apud Kennicottum, qui et ipſi exhibent lectionem אלהים. Hanc itaque veterum auctoritatem ſecutus ill. Michaelis, in *vernacula pſalmorum verſione* verba primum ſic reddidit, *Gott, gebiete deiner Macht!* in altera vero libri editione, mutato conſilio, receptam lectionem tenendam eſſe putavit. Et poteſt haec omnino recte defendi, ſi verbis hisce ſermonem vel vatis, vel ſingulorum civium, ad rempublicam

converſum contineri dixeris, hoc ſenſu: *decrevit, o Iſraël, Deus tuus, firmandam atque amplificandam eſſe tuam rempublicam.* Poſſis vero etiam, immota lectione ipſa, ſententiam hanc efficere, צַוֵּה אֱלֹהִי בְּעֻזְּךָ, *impera, o Deus, pro tuo robore*, ut fere Ps. XLIV. 5. צִוָּה אֱלֹהִים mutandum videntur in אלהי מצוה, quemadmodum Alexandrinus habet, ο Θεος μȣ ο εντελλομενος. Alterius commatis verba preſſe ſunt ſic accipienda, *validum te demonſtra quoad id, quod noſtri cauſa jam feciſti.* Sed cur מהיכלך jungendum ſit, ut ut multis viſum eſt, cum verbo פָּעַלְתָּ, ſeu rectius cum verbo עוזה, (nam ex palatio nunc demum occupato nulla jam beneficia profecta eſſe poterant,) nos non perſpicimus. Sequimur potius, cum Luthero, Symmachum, qui habet, δια τον ναον σȣ τον επανω της Ιερȣσαλημ, ut ſenſus ſit, *ornando tuo, quod Hieroſolymis imminet, palatio a regibus etiam barbaris donaria contingant*: cujus rei illuſtre exemplum memoratum eſt 2 Sam. VIII. 6. 11.

Vers. 31 haud una difficultas eſt. חית קנה *beſtia arundineti* quid ſit, non convenit inter interpretes. Maxima tamen pars in eam ſententiam inclinat, qua ſtatuitur, *Aegyptum* ſeu regem Aegypti innui, imagine ducta a crocodilo, incola Nili, arundinibus conſiti: Eſ. XIX. 6. Sed quamquam negari nequit, aptam Aegypti imaginem eſſe crocodilum (coll. Ezech. XXIX. 3. 4. XXXII, 2. 3.) habet tamen haec res hanc dubitationem, quod plane non conſtat, Davidis aetate infenſo erga Iſraëliticam rempublicam animo fuiſſe Aegyptium. Nos *leonem* ſignificari, ejusque imagine *Syriae* regem deſcribi dixerimus. Nam primo leones in arundinetis maxime luſtra habere ſolent. Memorabilis eſt locus Ammiani Marcellini, a Lowtho (*de ſacra poëſi hebr.* pag. 110) commemoratus, qui lib. XVIII. cap. 7. inter

inter *arundineta*, ait, Meſopotamiae fluminum et fruteſta leones vagantur innumeri. Et Arabes vocabulo أَجَمَةٌ, quod proprie arundinetum ſignificat, utuntur ad luſtrum leonis denotandum. Deinde Syria abundat lacubus, iisque arundinoſis, teſte Abulfeda in *Geographia*, qui ſingulari capite agit de lacubus Syriae, commemoratque, praeter complures alios, lacum Damaſcenum, بحيرة دمشق eumque arundinetum habere affirmat, ولها غاب قصب, (vid. *Abulfedae Tabulae Syriae*, ed. a J. B. Koehlero. pag. 155 ſqq.) אבירים, *tauri populorum*, haud dubie ſunt populi, qui vi atque opibus pollent, עגלי עמים *vituli* contra ſunt gentes minus validae ac numeroſae. Quod ad verba attinet, מתרפס ברצי כסף, ratio maxime habenda eſſe videtur interpretationis a celeb. Schroedero propoſitae (*Obſervatt. ſel. &. ad origines hebraeas.* p. 98 ſq.) quamquam nec prorſus novae, proxime enim accedit ad *Lowthianam* (*de ſacra poëſi hebr. p.* 111.) nec ſupra omnes dubitationes poſitae. Nimirum vox רצים, a רצץ quatere, quaſſando concutere, notaſſe ipſi videtur *glaream*, ſeu *lapillos minutos* et quaſi *contuſos*, quorum plenus fluviorum et rivorum fundus eſſe ſolet, quoniam Arabibus رضاض eſt *glarea*, et ſolum مرضوض dicitur, quod *glarea fiſtucatum et ſolidatum* eſt, ut Golius exponit. Deinde רצי כסף *glaream argenti* poëtica phraſi dici exiſtimat vel *glaream argenteam*, id eſt, lapillos ad inſtar argenti candicantes et micantes, qui in fundo aquarum perlucidarum conſpiciuntur: vel, quod mavult, glaream *aquae argenteae*, i. e. limpidiſſimae et ad inſtar argenti nitentis, quale dicendi genus apud Graecos et Latinos crebro occurrit. Putat itaque, epitheton hoc, com-

conculcans glaream argenti, pulcherrima imagine expingere hoſtes turbulentos, et motibus bellicis pacatiſſimas regiones vexare atque conturbare ſolitos; plane ut Ezech. XXXII. 2. *conturbas aquas pedibus tuis.* Enimvero univerſa poëſis orientalis ignorare videtur illam metaphoram, ſolemnem poëtis aliis, qua aqua limpida dici ſolet *argentea*: nec ipſe SCHROEDERVS, cum in litteris orientalibus univerſis, tum arabica poëſi praeclariſſime verſatus, vel unicum ejus rei exemplum in promtu habet. Accedit, quod prorſus exploratum non eſt, رضاض *glaream* ſignificare: GOLIO certe eſt fragmentum contuſae et comminutae (rei cujuscunque), adeoque רצי כסף ſunt *ramenta argenti.* Denique verbum רפס in reliquis locis conſtruitur cum accuſativo rei quae conculcatur, nullo accedente praefixo Beth. *) Igitur videri poſſit, litteram ב ad radicem ipſam pertinere; et SIMONIS quidem (in *Lexico*

[*) Temperare nobis haud poſſumus, quo minus, quae ad has dubitationes privatis litteris amiciſſime reſcripſit celeb. SCHROEDERVS, pace viri ſummi in publico proponamus. Sunt haec. *Primo* putas, poëſin orientalem ignorare metaphoram, qua aqua limpida dicatur *argentea.* Fateor, cum mea ſcriberem, exemplum non fuiſſe in promtu. Nunc geminum accipe ex uno Motanabbio, qui principibus Arabum poëtis annumeratur. Is, omnem vini uſum ſibi interdicens, ita canit:

هجرت الخمر كالذهب المصفّي
فخمري ماء مزن كاللجين

valedixi vino, habenti inſtar auri depurati, et vinum meum eſt aqua nubium referens argentum.

Idem alibi de fluvio, quo trajecto Saifoddaula, princeps

Lexico voc. בְּרַצֵּי (רץ putat eſſe a ſingulari בֶּרֶץ, collato بريض *fluvius.* At quae nomini بريض tribuitur ſignificatio fluvii, nititur ſola auctoritate Giggeii, ex quo eandem repetiit Castellus in *Lexico*, nec poteſt ex uſu ipſo demonſtrari. III. Michaelis formulam בְּרַצֵּי כסף, ſic enim exprimendam putat, ex arab. برص interpretatur *maculoſa argento*, id eſt, pannos argento intertextos, pro מתרפס autem legendum eſſe ſuſpicatur מתפרס, coll. فرش, *inſtravit*: in quo potuerat uti auctoritate Syri; qui habet, *vitulos populorum obductos* ([illegible]) *argento*: unde ſententiam efficit hanc, *increpa eum*, *qui ſtrato utitur argenteo*, in quo putat deſcriptionem eſſe luxuriae atque inſolen-

U 5 tiae,

ceps fortiſſimus, Graecorum copias magna clade affecerat:

ركض الامير وكاللجين حبابه
وثنّى الاعنّة وهو كالعقيان

tranſiliit princeps, cum undae ejus (fluvii) *referrent argentum, mox habenas reflexit, cum illae auro factae eſſent ſimiles.*

Ubi Scholiaſtes:

يقول ركض خيله الى الروم والماء ابيض كالفضة فلما قتلهم وجرت فيه دماوهم وعاد وقد احمرّ كالذهب *

Secundo, dubitas rectene ex arab. رضاض exponatur רצים per *glaream* fluvii aut viri. Dubitationem eximet, puto,

tiae, quae iſta aetate in rege aliquo, infeſto genti Iſraeliticae, conſpicua fuerit. Sed haec nimis dubia ſunt, atque ita comparata, ut interpreti, qui certiora quaerit, ſatisfacere haud poſſe videantur. Neque veteres verſiones ſuppeditant quidquam, ex quo ſenſus bonus poſſit exſculpi. Alexandrinus habet, *τȣ μη αποκλειϑηναι* (omittentibus negationem Vulg. et Arabe) *τȣς δεδοκιμασμενȣς τω αργυριω*, in quo videmur nobis haud dubie deprehendere lectionem noſtram רצי כסף, ſed ita tractatam, ut רצי derivaretur a ver-

puto, ſaltem minuet, a رضّ manifeſti derivatum رضراض, *glarea*, *ſiliculi*, pec. *rivorum*, ut a Golio exponitur. Exemplum exſtat apud Jahjam citatum a Maraccio in Prodr. IV. ad Coran. pag. 78. col. 2. ubi ille fluvios paradiſi deſcribit: رضراضة الدرّ والياقوت, *glarea eorum conſtat unionibus et hyacinthis*. Mendoſe editum eſt ارضراضة. *Tertio*, ſcrupulus quidam in eo tibi haeret, quod רפס hic cum ב, alibi autem ſine eo, conſtruatur. Sed etiam alia talis ſignificationis verba geminam conſtructionem admittunt, modo ſine ב, modo cum eo. Sic רדה, ردي, propr. *calcare*, et hinc *dominari*, cum ב paſſim, ſine eo Jes. 14, 6. al. דרך, alibi cum ב, ſine eo Jes. 63, 3. et רמס, quod literis aeque ac ſignificatione ad noſtrum רפס proxime accedit, ſine ב Jes. 1, 12. cap. 63, 3. ſed cum eo Nahum. 3, 14. — Nihil tamen pugno pro mea loci perdifficilis interpretatione, quam et recte negas prorſus eſſe novam. Probabiliorem qui me docuerit, ei me obſtrictum profitebor. Ceterum in ultimo commate pro praet. בִּזַּר lego in imper. quem etiam praecedens גְּעַר requirit, בַּזֵּר, ut recte Alexandrinus, aliique veteres.]

a verbo רצה, quod etiam Symmacho viſum eſt, qui habet, *τοις διαλακτιζȣσι τȣτȣς αυτȣς ευδοκητȣς οντας ως δοκιμην αργυριȣ.* Quae cum ita ſeſe habeant, malumus ignorantiam fateri noſtram, et locum futuri cujusdam interpretis ingenio relinquere: hoc uno addito, eam interpretationem nobis acceptiſſimam fore, quae verba מתרפס ברצי כסף probabili ratione ita exponat, ut ad Deum ipſum, non ad hoſtem aliquem, referri queant, ob verbum quod ſequitur tertiae perſonae בִּזַּר. Eſt enim ea hebraici ſermonis proprietas, ut pronomen relativum, vel expreſſum vel *omiſſum*, quando ad primam vel *ſecundam* perſonam redit, ſaepe efficiat, ut ab ea ad tertiam tranſeatur: qua de re videndus eſt Schroederus in *regulis Syntax. hebr. Sect. II. de ſyntaxi pronominum, reg. XLIII.* חשמנים putamus bene ex arabico ſermone illuſtrari, in quo حاشم eſt *qui amplum famulitium, multos ſectatores habet*: nec littera נ quicquam difficultatis habet, ut ven. Reinhardo videtur, eſt enim Heemanticum, quod copiam notare ſolet, ut in צאנן pecoroſus Mich. I. 11. נעמן amoenus etc. Neque tamen repugnaverimus, ſi magis placeat, quod ill. Michaelis docet, חשמנים nomen proprium eſſe ejus regionis in Aegypto ſuperiore, quae arabice اشمونين, Aſchmunein, dicitur: qua de re vid. *Abulfedae deſcriptio Aegypti*, pag. 105. ידים *manus* per ſynecdochen dicuntur pro donariis, quae manibus tenentur. Quod vero Michaelis monet, recedendum ſibi a vocalibus fuiſſe, quoniam grammaticae repugnent inſigniter, eo nobis ſpectare videtur, quod pronomen in ידיו maſculini generis eſt, et verbum תָּרִיץ, quod idem nomen reſpicit, foeminini. Sed nomina propria populorum conſtrui modo ut ſingularia maſculina, modo ut

ut foeminina, obſervavit atque exemplis probavit SCHROEDERUS, *loc. cit. ſect. I. reg.* XXVIII.

Deſinit carmen verſ. 33. ſqq. in ſolemnem gentium omnium excitationem ad celebrandum Jehovam. Vana eſt HOUBIGANTII conjectura, etſi haud improbabilis viſa cel. KOEHLERO, pro אדני legendum eſſe לאדני, nam verbum זמר aeque conſtruitur cum accuſativo, ac cum dativo perſonae, ad לרכב autem repetendum verbum שירו. *Antiquum* dicitur coelum, ad ſignificandum, illud inde ab omni aevo occupatum a Jehova fuiſſe atque ab eodem conditum. Et quod apud gentes priſtinas valeret opinio, tonitrua cum fulminibus pertinere ad jus majeſtatemque unius ſummi Numinis, additur, *vocem* i. e. tonitru, *edit* (coll. Pſ. XLVI. 7) *et quidem validiſſime.* In formula תנו עז nomen עֹז idem valet quod כבוד, ex ſignificatione arabicae vocis عِزَّةٌ. Senſus eſt, ſummam Jehovae magnificentiam atque poteſtatem non minus eluceſcere ex gubernatione reipubl. Iſraeliticae, quam e tempeſtatibus, pendentibus ex ipſius arbitrio. In voce במקדשיך putatur ea vis ineſſe, ut reſpiciatur ad geminum Dei ſacrarium, alterum quod in coelis ſit, alterum quod in Zione monte. Sed cum haud deſint loca alia, quibus nomen מקדשים, pluraliter, uſurpatur de uno illo, quod Hieroſolymis erat, ſanctuario, velut Ezech. XXI. 7. Jer. LI. 57. coll. Pſ. LXXXIV. 1. CXXXII. 5. 8. unde etiam factum eſſe videtur, ut Symmachus verteret, *Φοβερος Θεε εν αγιασματι σȣ*, Syrus ܡܢ ܡܩܕܫܗ, Chaldaeus מִן בֵּית מַקְדְּשָׁךְ, aſſentientibus haud paucis codicibus apud KENNICOTTUM, qui lectionem exhibent ממקדשך, non dubitamus aſſerere, non niſi illud ſanctuarium hic ſignificari,

quod

quod nunc erat, Davidis opera, in Zione monte, arca huc translata, conditum.

Sequitur latina verſio carminis. *)

---

2 *Surgat Deus, disjiciantur ejus hoſtes, et fugiant inimici a conſpectu ejus.*

3 *Ut diſpellitur fumus* a vento, *diſpellas* eos, *ut ceram ignis liquefacit, deleat reos Deus.*

4 *At probi gaudeant, exſultent coram Deo, laetentur impenſe.*

5 *Canite Deo, pſallite ipſi, viam ſternite illi qui invehitur in planitie, Jah eſt nomen ipſius, itaque coram eo exſultate.*

6 *Pater orborum et vindex viduarum eſt Deus in domicilio ſuo ſancto.*

7 *Deus extorres facit domi habitare, vinctos educit in loca rerum omnium abundantia: at rebellibus incolendum ſterile ſolum.*

8 *Deus, cum exires ante populum tuum, cum incederes per ſolitudinem,*

9 *Terra contremuit, ac coelum ſtillavit praeſente Deo, hic* Sinai contremuit *praeſente Deo, Iſraëlitarum Deo.*

10

[*) Refert eam quoque M. Antonii Flaminii in librum pſalmorum brevis explanatio - denuo edita a ven. Sam. Theoph. Wald. 1785.]

10 *Imbrem largum ſparſiſti, o Deus, peculiarem tibi populum, eumque fatiſcentem, tu refoviſti.*

11 *Animalia tua praeſto erant ipſi, benigne ea te parante egentibus, o Deus.*

12 *Dominus fecit, ut vox audiretur feminarum laeta nuntiantium magno numero*, dicentium:

13 *Reges cum exercitibus fugerunt, fugerunt, et domiſeda partitur ſpolium.*

14 *Recubandumne erat inter canales, vos alae columbae, obductae argento, pennis flaviſſimo auro obductis?*

15 *Quando Omnipotens reges diſperſerit pro ea, tum demum refrigerabitur in umbra.*

16 *Deo dignus quidem mons eſt mons Baſan, mons gibboſus eſt mons Baſan.*

17 *Quare invidetis vos montes gibboſi huic monti, quem vult Deus ſedem ſuam eſſe? immo Jehòva occupabit eum perpetuo.*

18 *Currus Dei incedit inter myriadas, inter millies millia* comitum, *Dominus ipſe adeſt, in ſacrario* nunc eſt *Sinai.*

19 *Conſcendiſti altum, captivos ducens victos hoſtes, accipiens munera inter homines, rebelles etiam, ut habites hic, Jah, Deus.*

20 *Gratia habenda Deo quotidie: ſi quis nos oppreſſerit, hic Deus ſalutem fert nobis.*

21 *Hic Deus nobis eſt numen ſalutiferum, et Jehovae Domini ſunt impetus* in hoſtes *mortis pleni.*

22 *Certe Deus pede feriet capita hoſtium, vertices capillatos eorum, qui ſunt rei criminum.*

23 *Pronuntiavit Dominus: inde a Baſanitide adducam, adducam inde a profundo mari,*

24 *Quorum in ſanguine agites pedem tuum, qui canibus tuis in portionem cedant hoſtes.*

25 *Viſi ſunt inceſſus tui, o Deus, inceſſus Dei mei, regis mei, ad ſanctuarium.*

26 *Praeceſſere cantores, ſecuti ſunt fidicines, medias inter virgines tympana pulſantes.*

27 *Catervatim celebrarunt Deum, Dominum, qui ſunt ſtirpis Iſraëliticae.*

28 *Adfuit Benjamin, natu minimus ſed ordine primus, principes Iuda cum agmine ſuo, principes Sebulon, principes Naphthali.*

29 *Decrevit Deus tuus imperii tui robur. Confirma, o Deus, quod nobis dediſti.*

30 *Ob palatium tuum, quod imminet Hieroſolymis, tibi afferantur a regibus munera.*

31 *Reprime beſtiam inter arundines latentem, junctos inter ſe tauros populorum vituloſque, — — — — — — tu qui diſperſiſti populos, ad bella pronos.*

32 *Veniant magnates ex Aegypto, Aethiopes propere adferant ſua donaria Deo.*

33 *Regna orbis terrarum, canite Deo, pſallite Domino,*

34 *Qui vehitur coelo antiquo, en vocem ſuam edit, vocem validam.*

35 *Honorem habete Deo, cujus ſuper Iſraëlitis majeſtas, et potentia in nubibus* conſpicua eſt.

36 *Venerandum te demonſtrabis, o Deus, ex ſanctuario tuo. Deus Iſraelitarum eſt qui praebet robur ac vires populo.*

XI.

Digitized by Google

XI.

ESAI. XXVII. *)

Quod pertractandum nobis ſumimus caput Esaiae prophetae, adeo obſcurum atque impeditum, maxime ob dubiam ſuſpectamque lectionem, arbitratus eſt ill. Jo. Dav. Michaelis, ut non modo negaret editam lectionem, niſi adhibita vi, interpretationem admittere, quae ipſi quodammodo ſatisfacere poſſit, ſed et in *verſione* ſua *germanica*, etſi textum ſubinde ex auctoritate veterum mutaſſet, aliis litterarum formis exſcriptum, atque a reliquo corpore diſtinctum et quaſi ſegregatum eſſe vellet. Ven. etiam Doederleinius, qui in *bibliothecae* ſuae *theologicae* vol. I. celeberrimorum noſtrae aetatis interpretum, Lowthii, Koppii, Michaelis, Dathii ac ſua in Eſaia illuſtrando collocata praeclara ſtudia contendit et ſubtiliter aeſtimat, caput hoc locis obſcuris, forte vitiatis, abundare affirmat *loc. cit.* pag. 822. Celeb. Eichhornio denique haud videtur fieri poſſe, ut quis non invito prorſus, qui interpretem deceat, ſenſu ſingulas capitis partes ad unam continuamque orationem redire oſtendat. *Einleitung* III. pag. 114. Supervacaneum igitur dici haud poteſt, ſi cui viſum fuerit, etiam ſuam qualemcunque operam adhuc conferre ad expli-

*) Locum nacta eſt haec commentatio, inſcio auctore, in Selectis hiſtorico - philoſophico - theologicis, quorum Tomus I, editus eſt Lipſiae 1787. 8.

explicandum carmen hoc propheticum. Noſtra autem ſententia textus vulgatus haud eſt ita comparatus, ut ſenſus expers, vel mendis deformatus dici jure poſſit. Immo vero, quamquam ii nos haud ſumus, qui nefas putent à Maſorethico textu alicubi recedere, hic certe editam lectionem ubique tenemus ac defendimus: quam vero apte et probabiliter, noſtrum non eſt judicare, ſed lectoris aequi atque intelligentis.

Vers. 1. נחש בריח, quid ſit, ambigitur. Ingenioſe de hac re nuper commentatus eſt ill. Michaelis in *Supplement. ad lexica hebr.* part. I. pag. 219. Putat utroque loco, et noſtro et Job. XXVI. 13. ſidus eſſe, *ſerpentem borealem;* quoniam vox בריח proprie id quod laevum, ſiniſtrum eſt ſignificet, ſiniſtrum autem orientalibus, in geographia faciem convertentibus ad orientem, ſit ſeptentrionale: נחש עקלתון *ſerpentem* eſſe *Ophiuchi*, in medio fere coelo, denique תנין אשר בים, *hydram* in hemiſphaerio auſtrali. At primum ex eo, quod arabicum ברח, برح, dicitur de praeda, quae venatori, a dextra ad ſiniſtram tranſiens, corporis latus *ſiniſtrum* obvertit, non certo efficitur, בריח ſignificare id ipſum, quod eſt ſiniſtrum. Deinde cum certiſſimum ſit, ad Aegyptiacum regnum deſignandum alibi adhibita eſſe nomina לויתן et תנין, velut Ps. LXXIV. 13 ſq. Ezech XXIX. 3. cap. XXXII. 2; credibile eſt, etiam hunc locum referendum eſſe ad Aegyptum: maxime quod qui apud Eſaiam eſt התנין אשר בים, ab Ezechiele altero loco dicitur תנים בימים, altero diſertius etiam התנים הגדול הרבץ בתוך יארים, *in Nili fluminibus.* Et quidem triplici illa appellatione haud videtur aliud quodpiam imperium deſignari quam unum Aegyptiacum. Igitur נחש בריח hoc

hoc loco non poteſt eſſe nomen ſideris, quod et conjunctionem non habet cum Aegypto, et gladio feriri nequit, ſed beſtiam aquatilem ſignificet neceſſe eſt, qualis eſſe ſolet imago Aegypti. Vocem autem בריח quod attinet, malim eam ſenſu maxime obvio accipere, ut *fugiens* dictum ſit pro celere, quam cum Schvltensio in *Animadverſ.* ad Job. XXVI. 13 ominoſum, infauſtum vertere, quod opinionis illius, quae apud Arabes quidem obtinuit, infauſti ominis eſſe quod prodeunti ſiniſtrum latus obvertat, apud Hebraeos veſtigia certa non appareant.

De vocabulo תנין dicendum eſt hac occaſione copioſius, duce Edw. Pocockio in *commentar.* ad Mich. I. 8. Miſcentur, etiam in optimis lexicis, duo nomina, quae bene diſtinguenda eſſe cognoſci poterat ex dicto libro, centum et quod excurrit annis abhinc edito. Etenim ſyriaca librorum vet. teſt. verſio utitur modo voce ܬܢܝܢܐ, modo alio nomine ܝܪܘܪܐ, quod ſignificat beſtiarum genus, in Palaeſtina Syriaque frequentiſſimum, Arabibus, ducto nomine ab ejulatu, quem edere ſolent, dictum bâni ſeu benât Awi ſeu Wâwi, Europaeis perſico nomine Schagâl notum. Hiſtoriam animalis atque imaginem exhibet in *Nov. Commentar. Academ. Scient. imperialis Petropolitanae* Tom. X. pag. 449 A. J. Gueldenstaedt, qui aliam a Sam. Gottl. Gmelin Tom. III. *itinerarii* ſui exhibitam, quam repetiit Diederichs in *commentariolo ad hiſtoriam Simſonis* Goetting. 1778. 8. peſſimam pronuntiat. Nec vero promiſcue ac temere illis vocabulis utitur ſyriacus interpres, ſed ita, ut certam et conſtantem aliquam legem ſervaſſe facile intelligatur. Etenim vocabulum ירורא adhibuit, ubicunque in hebraico ſermone poſitum eſſet numero plurali תנים, ſeu תנין, ſeu תנות, excepto loco unico Ps. XLIV, 20.

 ubi

ubi במקום תנים redditur ܒܐܬܪܐ ܕܬܢܢ̈ܐ, quod neſcio an ſatis tuto vertitur: *in loco calamitoſo.* Contra vero, quotiescunque תנין occurrit numero ſingulari, quo etiam pertinet forma nominis תנים, ab Ezechiele bis, XXIX, 3. et XXXII, 3. adhibita, vel ejusdem pluralis תנינים, Syrus quoque adhibet nomen huic exacte congruum ܬܢܝܢܐ, quod draconem denotat, et quicquid ad ſerpentis ſimilitudinem accedit. Cum ſyriaca verſione conſpirat chaldaica hac ratione, ut ubi illa vocabulo ירורא utitur, haec ponat ירודא, quod quidem accipi ſolet ſignificatione draconis; ſed palam ortum eſt ex permutatione litterarum ſimilium ד et ר, adeoque reſtituendum in ירורא, eodemque ſenſu ſumendum, quem teſte Pocockio ſyriaci ſcriptores ipſi tribuunt voci ܝܪܘܪܐ, nempe *Schacalae.* Sunt igitur duo nomina, ſimilia quidem ſed tamen vere diverſa. Alterum eſt תן, Schacala, ſeu, ut Güldenstaedtio videtur, canis ferus, quod ſingulari numero haud extat in reliquiis hebraicis, habetque pluralem multiplicis formae, תנים, et תנין, et תנות. Alterum תנין, pro quo apud Ezechielem bis, forte nonniſi per negligentiam librariorum, occurrit תנים; numero plurali habet תנינים, ſignificatque draconem, et quae huic ſunt ſimilia. Mirifice haec confirmantur auctoritate et conſenſu dialecti arabicae, in qua تِنِّينٌ eſt draco, ſerpens magnus: تِيْنَانٌ vero lupus, qui eſt cum cane illo fero proxima cognatione conjunctus. Accedit, quod R. Tanchum, Judaeus Hieroſolymitanus, et praeſtantiſſimus commentator, in commentario ſuo arabico, cujus exemplum extat in bibliotheca Bodleiana Oxonii, com-

plu-

pluribus locis (ad Mich. I. 8. Jerem. IX. 10. Thren. IV. 3. Malach. I. 3.) negat draconis ſignificationem locum habere poſſe, et beſtiam, cui nomen ſit ابن اوي ſeu ابن واوي intelligendam eſſe praecipit.

Senſus verborum eſt, fore, ut in Aegyptum graviſſime animadvertat Jehova, idque eventurum tum, quum Judaeorum reſpublica ex Babylonica ſervitute eſſet reſtituta: neque enim dubitamus, ad hunc eventum maxime memorabilem referre duo proxima capita, quae ſerie continua conjungi cum antecedenti oratione cap. XXIV. neceſſe haud eſt. Memorat autem hiſtoria inde ab hoc tempore triplicem maxime rerum in Aegypto converſionem, primam cum opprimeretur a Perſis, alteram cum in Alexandri M. eoque defuncto Ptolomaeorum, tertiam cum in Romanorum deveniret poteſtatem. Quarum quaenam ſit a propheta hoc loco praedicta, non nimis ambiguum eſſe poteſt. Etenim res ipſa poſtulare videtur, ut, ſi ejusdem vaticinii plures eventus exhibeat hiſtoria, a propheta ſpectatus eſſe exiſtimetur, qui proxime abeſt ab ipſius tempore: eratque Perſarum praecipue dominatio dura omnino atque acerba Aegyptiis, ut verbis prophetae apprime illa conveniat.

Verſiculum *ſecundum* putamus ad verbum converti poſſe hoc modo: *tum, vineam quod attinet, canite de ea.* De lectione diſputatur, חמר aliis, aliis חמד probantibus. Hanc Alexandrinus exprimit, nec non ut videtur Chaldaeus, qui reddit, *vinea plantata in terra bona*, illam Syrus et Vulgatus: editiones ac libri ſcripti in diverſa abeunt. Vtraque ſenſum exhibet et poteſt probari: illa quidem videri poſſit inſolentiorem habere loquendi modum: verum hanc ipſam ob cauſam lectionem חמד dixeris habere ſpeciem emendationis, forte ex cap. XXXII. 12. Quae cum ita ſeſe

habeant, putamus, nullo unquam tempore fieri poſſe, ut quidquam de hac quaeſtione ſtatuatur. Codices certe nihil efficere poſſunt, cum tanta ſit litterarum ר et ד ſimilitudo, ut facillime poſſint permutari, immo, teſte clariſſ. De Rossi in *variis lectionibus vet. Teſt.* ad Gen. X, 3. in quibusdam mstis tanta, ut non queant a ſe invicem diſtingui. — Vineam vero imaginem eſſe reipublicae judaicae, vix eſt quod moneatur.

Ordo et ſtructura orationis requirebat, ut, cum formula carminis proponatur, ejusque non a Jehova, ſed ab hominibus recitandi, nomen rei ipſum poneretur, non pronomen, et Jehovae mentio fieret in perſona tertia, hoc fere modo יהוה נצר את הכרם. Sed erat illa aetas minus ſtudioſa artis atque elegantiae: et poſſit ſubintelligi formula, אמר יהוה. — Vox לרגעים poteſt nonnullam lucem accipere ex lingua arabica. Etenim رَجْعٌ, quod univerſe dicitur de ea re, quae iteratur, ex frequentiſſimo uſu verbi رجع, *rediit*, ſpeciatim de pluvia adhibetur, *ſi una alteram ſubſequatur.* Itaque לרגעים אשקנה eſt, repetitis vicibus, ſaepe multumque eam rigabo. Quod vero ill. Michaelis affert in *Additam. ad bibliothec. orient. et exeget.* part. XIV. pag. 72. אשקנה referri poſſe ad verbum נשק, *accendit*, ut ſenſus ſit, *alio tempore eandem accendam*, id quidem nobis videtur ab hoc loco plane alienum. — In verbis פן יפקד עליה tutiſſimum omnino eſt, eam ſignificationem adhibere, quae poſita eſt in propinquo, et in primo hujus cap. commate cernitur, nempe laeſionis atque offenſionis, ut, verbo imperſonaliter ſumto, ſenſus ſit, ne quis eam laedat. Atque hoc quidem nobis videtur tam aptum atque evidens, ut mirari ſubeat, doctiſſimos etiam interpre-

terpretes in his verbis haerere potuiſſe atque argutari. Ven. Doederlein ex conjectura ponit פָּנַי פֹּקְדוֹ עָלֶיהָ, *obſervo eam ejusque curam gero*; cujus formulae neſcio an aliud exemplum monſtrari poſſit. Nec ipſe alienus eſt ab ea opinione, qua פֶּן abjicitur, ac יפקד mutatur in אפקד, quod reverend. Lowthio placet, nec non ven. Seilero, eſtque ob concinnitatem ſermonis et ſenſus facilitatem perquam ſpecioſum. Veteres quidem verſiones, praeter Vulgatam, quae habet, *ne forte viſitetur contra eam*, non exprimunt vocem פן, nec deſunt apud Kennicottum et codices et editiones, in quibus loco יפקד legitur אפקד. Sed recte negat ill. Michaelis loc. cit. vocem פן, etiamſi haud parum moleſtam atque incommodam, repudiari poſſe, quod primo in nullo codice Kennicott. deſideretur, deinde, quod omnino eſt gravius, quod non ſatis tuto conſequatur, a veterum exemplis illam abfuiſſe, denique quod probabilis ratio concipi non queat, quomodo in ſeriem orationis irrepere eadem potuerit. Ipſe interpretatur, *nullum foliorum ejus deſiderabitur*, Jos. Kimchium ſecutus, cui Gussetius quoque acceſſit in *commentar. ling. hebr.* voce פן pag. 668.

Vers. 4 verba חמה אין לי facilem ſenſum habent, ſi ad Jehovae orationem pertineant, junganturque verſui antecedenti. Poſſint quoque ad vineam, h. e. populum judaicum, referri, ſi חמה paſſivo ſenſu accipiatur, de ira aliunde proficiſcente, quemadmodum חמס Gen. XVI. 5. Jerem. LI. 35. Jud. IX. 24 injuria eſt quam quis patitur, קללה 2 Sam. XVI. 12 maledictio, qua quis petitur. Verum vineae verba haec ſi fuerint, ſane non intelligitur, quaenam eorum cum proxime ſequentibus poſſit eſſe cohaerentia. Hoc enim ut certum ſumimus atque exploratum, formu-

lam מי יתנני non poſſe non eſſe vocem optantis, ob conſtantem uſum, qui cernitur Jerem. IX. 1. Job. XI. 5. cap. XXIX. 2. Cantic. VIII. 1. al. adeoque locum non poſſe converti, *quis me repribus et ſpinis obſevit*, ſed cum ven. Dathio exprimendum eſſe hac ratione: quis me ſentibus et vepribus munitam reddat, ſeu, utinam — — munita ſim! Vepribus in Syria ſepiri vineas ex Rauwolfii itinerario docet rever. Lowthius, eſtque idem apud noſtrates etiam perquam familiare. Abſonum autem foret, vineam, quae ſepimento ſe deſtitutam eſſe conqueritur, celebrare ſimul ſuam ab omni incurſione ac damno immunitatem. Quapropter non dubitamus, ad eorum opinionem accedere, qui praeeunte Alexandrino interprete ac Syro pro חֵמָה ſtatuunt חֹמָה, *murus*. Spectat vero hoc ad exilem reipublicae judaicae ſtatum proximo poſt reditum ex Babylonia tempore. Quod additur verbum במלחמה, ad vineam quidem relationem habet nullam, ſed pertinet ad civitatem judaicam, quae latet ſub imagine vineae: et complura hujus generis loca, quae tropico ſermoni aliquid proprii admixtum habent, extare apud prophetas, non poſſunt non obſervaſſe interpretes intelligentiores.

In verbis אפשעה בה אציתנה יחד inſignis eſt interpretum diſſenſus. Ven. Doederleinius pronomen refert ad שמיר שית, vertitque: quis me vepribus et ſpinis obſevit? equidem bello invadam eas atque incendam. Sed obſtat diſcrepantia generis, nec ſatis commode dicitur vinea ipſa ſuas ſentes ſpinasque evellere ac comburere. Illud vix dubitari poſſe videtur, pronomen foemininum ſpectare ad nomen כרם, quod alibi quidem, veluti cap. V. maſculinum eſt, hic vero vers. 2. 3. ut foemininum habetur, forte eam ſolam ob cauſam, quod locum occupat nominis הארץ,

הארץ, terrae judaicae. Neque tamen verum ſenſum aſſecutus eſſe videtur ill. MICHAELIS, qui, mutato אפשׂעה in אפשׂעת, vertit: belli tempore deſtituo illam, eandemque accendo. Talia enim quomodo cum ſolemni illa profeſſione Jehovae, אני יהוה נצרה, conciliari queant, haud intelligitur. Hinc ven. DATHIVS contrarium plane ſenſum exprimit: belli tempore eam ingrediar, ejusque curam geram; derivando vocem אצירנה a verbo צרת, quod ſyriace eſt attendere ad aliquid: in qua ſententia praeeuntem habuit Jo. HENR. WALTHERVM in *verſione Eſaiae germanica*, edita ann. 1774. Verumtamen, quomodocunque vertantur haec verba, habitus ac ordo orationis univerſae aegre permittere videtur, ad Jehovam ea referri. Equidem exiſtimaverim, hoſtium voces minaces illis contineri, quod vidit etiam ven. SEILERVS. Neceſſe tamen haud eſt, alternantium choros ſtatuere, et hoſtibus quoque tamen ſuam quaſi perſonam tribuere. Videtur nobis potius tota oratio eſſe una ac continens, omiſſis tantum formulis illis, quas in grandiori prophetarum hebraicorum ſtilo omitti frequentiſſimum eſt. Itaque poſt vocem במלחמה ſubintelligendum, *cum dicit hoſtis*: et ante verba חמה אין לי ſupplendum, *dicet vinea*, vel ſi mavis ſermone ad vineam converſo, *dices, vinea*.

Verſu 5. pergit verba facere vinea, ſed ea ratione, ut miſſa allegoria proprio nunc ſermone utatur, hoc eſt tali, qui ſubjecto proprio, i. e. genti ſeu terrae judaicae ſit adcommodatus. Moleſtiam hic creat particula או, cujus familiaris uſus quomodo hic locum habere poſſit, non facile perſpicitur. LUDOV. DE DIEU in *Animadverſ. in vet. teſt. libros omnes*, Lugd. Bat. 1648 putat, poſſe exclamandi particulam eſſe,

 ut

ut ſyriacum ܐܘ, probantibus id Walthero aliisque. Sed bene monet ill. Michaelis, ex graeco loquendi uſu traxiſſe hoc linguam ſyriacam, adeoque ad probandum uſum hebraicae linguae valere id non poſſe. Kennicottus ex *Rabboth*, h. e. antiquis expoſitionibus Pentateuchi et Megilloth, a Jo. Gillio excerptis, profert lectionem אִי, commodam illam quidem, ſed idonea auctoritate deſtitutam. Poſſit ſuſpicio naſci, illud אר per ſcripturae lapſum factum eſſe ex הוא, quo nihil convenientius eſſet hoc loco. Quomodocunque res ſe habet, de ſenſu vix dubitari poſſe videtur. Nempe eſt hic quaedam quaſi ἐπανορθωσις, qua, quod de ſepimenti abſentia dixit modo vinea, corrigit nunc ita, ut unius Jehovae praeſidium ſufficere ad ſalutem atque immunitatem affirmet. Ad Jehovam enim verba יחזק et יעשה referenda eſſe, dubitationem non habet, cum hoſtium obiter tantum mentio ſit facta, et alia perſona non ſit in promtu. Formula, *propugnaculum meum prehendet et tenebit*, idem valet ac firmum illud efficiet atque ſuſtentabit ipſe, ut everti ab hoſtibus nequeat. שלום non de pace ſola, ſed omnis generis ſalute atque incolumitate eſt intelligendum. — Atque hic quidem, quantum nos judicare poſſumus, finis eſt formulae carminis; pergit nunc ſuo ipſius nomine verba facere propheta, et argumentum de incrementis reſtauratae ex Babylonica oppreſſione civitatis perſequi.

Vers. 6. loco vulgatae lectionis הבאים ישרש יעקב יציץ ופרח ישראל reverend. Lowthio legendum eſſe videtur hoc modo: הבאים מִשֹּׁרֶשׁ יצִיצוּ יעקב פרח ישׂראל, *prodituri e radice Jacobi florebunt, germinabit Iſraël.* Sed mirum eſt, ſollicitari lectionem editam, quae nititur diſerto teſtimonio Aquilae, Symmachi et Theodotionis, יַשְׁרֵשׁ reddentium ῥιζώσει, et

et tam facilis eſt atque concinna, ut quid deſiderari in ea poſſit nos non perſpiciamus. Modo יציץ hic non vertatur, *florebit*; neque enim flos illud eſt, quod primo loco ex radice conſequitur: ſed, quod cel. Schroedervs docuit, *Obſerv. ſelect. ad orig. hebr.* pag. 155. צוץ ſaepius eſt *propullulare*. Comparatio, inquit, fit cum arbore, quae poſtquam radices egit, in altam ſtirpem emicat, atque profert ramos, frondes, flores, fructusque; quae poſtrema omnia uno verbo פרח comprehenduntur. — הבאים elliptice dictum eſſe pro ימים באים, exemplo quidem caret: nec tamen poteſt quidquam juſtae dubitationis habere. — Eſt vero etiam illud obſervatu haud indignum, futurae reſtitutionis blanda cogitatione tantopere commoveri animum prophetae ac totum occupari, ut, immemor tantiſper imminentis miſeriae, civium ab exilio in patriam reditum veluti praeſentem ipſe contueatur, ſibique intereſſe etiam rebus illis ſecundis videatur: hinc enim factum eſt, quod in proxima oratione utitur verbis praeteriti temporis, הִכָּה, הֹרַג, etc. populique calamitatem, quae tum omnino inſtabat adhuc, deſcribit ut rem praeteritam, atque olim penitus transactam.

Verſum 7. adeo obſcurum atque impeditum judicat ill. Michaelis in *annotatt. verſioni germanicae* ſubjunctis, ut ab explicando eo plane abſtinendum ſibi eſſe exiſtimet. Neque enim perſpici poſſe putat, quis ſit, qui reddat plagas, Deusne an Iſraël? quis prior percuſſerit, et quinam ſit ab hoc percuſſus? Sed nobis primo vix dubium eſſe videtur, ſuffixum הו ſpectare ad Iſraëlem, hujus enim mentio proxime facta eſt nominatim, adeoque, quod ſponte conſequitur, verbum הכה non ad eundem referri debere, ſed ad Jehovam, quem nominare minus neceſſe erat, quod audienti-

audientibus vel legentibus ſponte debebat in mentem venire. Deinde מכה ישראל, percuſſorem Iſraëlis, in hac verborum ſerie Babylonium eſſe, non minus ſponte quaſi ſuccurrit. Eſt igitur ſenſus, Jehovam non id voluiſſe, ut ad internecionem caederetur populus Iſraëliticus, hunc jam reſtitui, tyrannum contra Babylonium eam ſtragem paſſum eſſe, e qua nunquam ſit emerſurus. Vocabulum הֲרֻגָיו etiam ea qua editum extat forma admittit quidem explicationem haud ineptam, poteſt enim ſuffixum referri ad Jehovam, ut הֲרֻגֵי יְהֹוָה ſint illi ipſi, qui, quod percuſſores eſſent Iſraëlitici populi, debebant viciſſim a Jehova percuti. Vix tamen negaveris, multo concinniorem fore orationem, ſi in locum participii paſſivi הֲרֻגָיו ſubſtituatur הֹרְגָיו, et ut ſuffixum ad idem nomen redeat, quo reſpicit ſuff. חו antecedens, et הרג reſpondeat parallelo vocabulo מַכֵּה. At הֶרֶג mutare in הֹרֵג, quod ill. Michaelis, praeeunte Syro interprete ſtatuit, ſupervacaneum videtur, atque etiam ob pronominis abſentiam commode locum habere non poteſt.

Vers. 8. quo ſuffixum foemininum reſpiciat, disquiritur. Etenim ad nomen כרם illud referri, non bene permittit natura verborum, *repudiare* et *objurgare*, quae ad vineam haud poſſunt quidquam relationis habere. Ven. Koppio videtur ſeries verſuum inde a ſeptimo ad duodecimum usque fragmentum eſſe orationis propheticae, a proxima prorſus diſtinctae, cujus particula perdita habuerit formulas ישראל et עיר ירושלים ſeu בת ציון, aliasve ſimiles, ad quas ſuffixa conformata fuerint: quod nos tanquam rem dubiam ac incertam, quae nonniſi ſenſu atque opinione nititur, in medio relinquimus. Equidem exiſtimaverim, rationem, cur propheta, de Iſraële verba

faciens,

faciens, uti potuerit pronomine foeminini generis, inde petendam eſſe, quod animo loquentis obverſaretur imago conjugis perfidae, qua ad adumbrandam gentem judaicam, ob ſummam ipſius levitatem atque inconſtantiam in religione, familiariſſime uſos eſſe prophetas conſtat. Certe verbi שלח ſolemnis uſus poſitus eſt in dimiſſione conjugis: et repudiatus eſt a Jehova populus, cum Babyloniorum poteſtati traderetur ac libidini. Quod autem propheta, ſermone ad Jehovam converſo, dicit תריבנה ſecunda perſona, nihil habet quod lectorem offendere debeat: familiare enim eſt Hebraeis, prophetis maxime, in ſtilo concitatiore variare ſermonem, atque ad aliam ſubinde perſonam ſeſe convertere: quapropter haud erat, cur Waltherus pronuntiaret, haud dubie legendum eſſe הריבנה. — Sed vocabulum בסאסאה difficultatem habet haud exiguam. Ex forma vocis conſequitur, eſſe eam ſpeciem dictam geminatam verbi vel סאא vel סוא, at neutrius certa veſtigia in reliquiis hebraicis ſuperſunt. Affirmat ven. Koppius in *annotatt.* ad h. l. סאא ſignificationem habere *migrandi*, adeoque סאסא ſynonymum fere eſſe verbi שלח: quod ſane eſſet ad ſenſum loci perquam commendabile. Sumta ea ſunt ex bonae frugis pleno lexico heptaglotto Edm. Castelli, qui col. 2445 habet haec: סַאסְאָה f. menſura; *al.* à סַאסֵא migrare fecit, ה *Aff. vid.* סאא, *ſic conveniret cum ſeq.* שלחה Eſai XXVII. 8. Ad vocem autem סאא col. 2444 ſic differit: סַא migravit, נסע transtulit, *DP. GF.* (hoc eſt, David Pomis et Guido Fabricius, in lexicis ſuis) *Aruch. Hiph.* הסיאו *quaſi à* סוא *transtulerunt ad rem aliam.* Haec Castellus: Sed neſcio, an dictae auctoritates ſufficiant ad ſtabiliendam ſignificationem migrandi. Simonis in *lexico* vult, סַאסְאָה *facundiam* eſſe, vel *acumen redarguendi*, collato aethiopico סאסא (ſaſa) *facundia,* et

ei rad. arabica ساسا *arguit*: ſed ignorant lexica arabica hunc uſum verbi ساسا. Reſpondet hebraico סאס arabicum شَبِيَ, ſed poteſtas verbi, *voluit*, aliena eſt a verborum contextu: rurſus verbum سَاءَ, quod ſignificationem habet non plane ineptam, *malus fuit, malefecit*, huc trahi non bene poteſt, reſpondet enim fere hebraico שׁוא. Aliorum itaque diligentiae atque ingenio relinquimus expediendum hoc vocabulum obſcurum ac incertum: illud certo perſuaſi, ſignificationem *menſurae* huic loco minus eſſe accommodatam, quamquam eadem placuit antiquiſſimis interpretibus tantum non omnibus, Aq. Symm. Theod. Vulg. Syr. Chaldaeo: qui quidem conſenſus egregie facit ad confirmandam lectionem editam. Quapropter ven. Doederleinii conjecturam probare haud poſſumus, putantis, *biblioth. theolog.* vol. I. pag. 825. legi poſſe שׁאשׁאה, quod ſit ſynonymum emphaticum vocis שׁוֹאָה, et loco בשׁלחה, בסלחה, nec non תריבנו pro תריבנה, ut haec verſio prodeat: *impetuoſe quidem, nec tamen inclementer, puniviſti eum.* Ill. autem Michaelis, quomodo a ſuo ingenio impetrare potuerit, ut, ſumta lectione בסאה סאה et בְּשַׁלְּחָהּ mutato in בְּשַׁלְּחָהּ à שָׁלַח, interpretaretur: *menſura pro menſura! ſuo ipſius telo tu petis eam*, nos vix aſſequimur: ſed videtur totam hanc Eſaiae ſectionem iniquiore animo tractaſſe ac fere inauſpicato. — In altera verſiculi ſententia requiritur nomen ſeu pronomen quarti caſus: poſſis autem הָגָה transformare in paſſivum הֹגָה, *ejectus* eſt, ſcil. Jacob. De ſignificatione atque uſu verbi egit Schultensius in *commentar. ad Proverb.* XXV. 4. — קדים Eurum plerumque ſignificat, ventum in Syria Palaeſtinaque mire fervidum, (cf. Büschingii *geograph. Aſiae* pag. 243 edit. Hamburg. anni 1771.) ut brevi plantas herbasque

que exurat atque enecet, Ezech. XVII. 10. XIX. 12. Hos. XIII. 15. Jon. IV. 8. dictum quoque ventum deſerti Jerem. IV. 11. XIII. 24. al. At quoniam hoc loco vis venti poſita eſt, non in exurendo, ſed in propellendo abigendoque, exiſtimaverim, latiore ſenſu tempeſtatis ac procellae vocem hic eſſe accipiendam, veluti Ps. XLVIII. 9. Jerem. XVIII. 17. al. Ill. Michaelis, mutato הַקָּשָׁה in הִקְשָׁה, vertit: *ferbuit halitu ſuo, duriter egit die Euri.* Ven. Doederleinivs, poſtquam in *verſione latina* Eſaiae hunc locum interpretatus eſſet ſic: ſed *hoſtis* atrociora animo conſilia agitabat tempore inclementi, mutata ſententia, loc. cit. bibliothecae ſuae theolog. pag. 826 exiſtimat, ſenſum effici poſſe hunc: *ingemiſcit gravi malo noſtro die fervido*, h. e. miſeret ipſum noſtrae calamitatis.

Vers. 9 tritus vocabuli לכן uſus locum habere non poteſt, ſed qui in arabico لَكِنْ *verumtamen* cernitur, eſt adhibendus. Senſus enim loci eſt hic: graviter puniri quidem à Jehova, atque vaſtata patria et deleta urbe in exilium agi populum ex Jacobo oriundum, verumtamen hanc rem eum effectum eſſe habituram, ut poena perſoluta culpa quoque omnis populi deleta ſit atque ſublata. זה neutraliter ſumendum reſpicit id, quod proxime de expiando populi crimine dictum eſt. חטאת non eſt delictum ipſum, neque, quod ven. Koppio videtur, perpetrati criminis poena, ſed id in quo peccatum verſatum eſt. Hoc ſenſu nomen occurrit etiam apud Hoſeam X. 8. ונשמדו במות און חטאת ישראל, deſtruentur nefanda illa loca excelſa, objectum peccati Iſraëlis, nec non Devt. IX. 21. ואת־חטאתכם אשר עשיתם את־העגל לקחתי ואשרף אתו באש, objectum peccati veſtri, quod confeceratis, nempe vitulum, ſumtum combuſſi.

Ean-

Eandem vero vocis חטאת vim et poteſtatem etiam hoc noſtro loco obtinere, ex eo perſpicitur, quod latior formula, הסר חטאת, ſtatim illuſtratur ac definitur commemorandis nominatim aris, lucis, ſimulacris. — Sed in eo maxime falli nobis videntur plerique interpretes, quod pronomen in voce בשׂומו referendum eſſe exiſtimant ad populum. Pertinet enim omnino ad eam perſonam, ad quam verbum הסר reſpicit: populus autem judaicus dici vere non poteſt ipſe removiſſe atque abjeciſſe inſtrumenta vanae religionis: ſed Jehova eſt qui aras diruit, lucosque ac ſtatuas dejecit, tum cum omnem terram judaicam vaſtandam diripiendamque traderet Babyloniis. Igitur ad Jehovam referri debet שׂומו. — Formula, *lapides altarium reddere ut fragmenta calcis diſſipata*, inde orta eſſe videtur, quod ubi ſtructura lapidum calce vinctorum diruitur, fragmenta calcis induratae ſparſa conſpiciuntur. Codex bibliothecae Bodleianae Oxonienſis, qui eſt inter Kennicottianos primus, pro גר exhibet lectionem קיר, omnino haud ineptam. Poſſit etiam ſuſpicio ſubnaſci, ſcriptum primitus fuiſſe כאבני גדר, velut lapides *maceriae*, i. e. ſtructurae vilis atque ignobilis: ſed abjicienda eſt conjectura, quae nullius veteris verſionis auctoritate confirmatur. Supervacanea quoque eſt mutatio vocis פָּרִי in פָּרִי *juvenci*, qua in verſione ſua uſus eſt ill. Michaelis, ut ex *biblioth. orient.* loc. cit. intelligitur. אשׁרים non lucos, ſed ſimulacra eſſe contendit ven. Koppius: ſed argumenta ab ipſo ad Eſai. XVII. 8 commemorata nobis non eam vim habere videntur, ut vulgatam opinionem deſerendam eſſe putemus. Ante verbum יקומך ſubintelligendum אם, nam et בשׂומו reſolvi debet in אם ישׂום, verbum autem קום non reſurgendi ſignificationem hic habet, ſed conſiſtendi permanendique.

Quae

Quae ſequuntur verſ. 10 et 11 de excidio et vaſtitate Urbis, ſolent ad Babylonici imperii ſedem referri, invito admodum, ut nobis videtur, contextu: nos de Hieroſolymis ea exponimus, ſtatuimusque, quae proxime dicta ſunt de aris deſtruendis excidendisque lucis, ampliori oratione nunc declarari. Ven. Doederleinii interpretatio commatis decimi eſt haec: Quando ſolitaria fuerit *vinea* ceu urbs munita, ceu dimiſſa ſtatio, et derelicta deſerti inſtar, in quo paſti recubant vituli, palmites ejus abſumituri; putat enim continuari adhuc allegoriam de vinea ſupra inceptam, atque ad עיר ſubintelligendam eſſe comparandi formulam כ. Enim vero עיר בצורה haud dubie ſubjectum eſt orationis, et ſuppleri debet ante nomen בדד verbum תִּהְיֶה: נוה autem d/ɛtum eſt pro כְּנוה, etenim formula נוה משלח, in qua, ut et in verbis כֵּן מְשֻׁלָּח Eſai. XVI. 2 metonymia eſt, qualis eſt in dictione הָעִיר הַיֹּצֵאת Amos V. 3, הָאָרֶץ תֵּשֵׁב et ſimilibus, reſpondet voci מדבר, quemadmodum parallela quoque ſunt בדד et נעזב. Senſus itaque eſt, in urbe nunc munitiſſima eam futuram eſſe hominum infrequentiam, eamque ſolitudinem, qualis ſoleat eſſe in paſcuo, unde abacti ejectique ſint greges. Additur, Urbis ſolum ipſum agri faciem habiturum eſſe gramine fruticibusque obducti, ut et vituli ibi paſtum, et mulieres lignatum ire poſſint. Ad quae egregie monet ven. Dathius, non eſſe argutandum in explicandis membris ſingulis orationis poëticae, nec quaerendum, quinam ſint vituli, quaenam ſint mulieres: ſed eſſe haec ornamenta deſcriptionis, in qua ſingularum partium non quaerenda ſit ſignificatio. Verum alluſionis ad vineam, quam vir celeberr. hic videre ſibi viſus eſt, veſtigia nos conſpicimus nulla. Etenim סעיפים non ſunt vitium palmites, ſunt vero ramuſculi arborum fruticumque, quos boves nonnunquam carpere

pere notum eſt (vid. BOCHARTI *Hierozoicon*, part. I. lib. II. cap. 31. pag. 299) dicunturque rami *urbis*, quod ſint eo in loco quem antea urbs occupaverat. Neque opus eſt ſignificatione vocis arabicae شَعَفَةٌ, *vertex montis*: qua KOPPIUS utitur nec non MICHAELIS, qui vertunt, *ac depaſcent colles ejus*. קצירה collective ſumendum pro קצירות. Et poſſunt quidem nomina collectiva conſtrui ut pluralia: ſed cum nomen ſit maſculini generis, praeſtat verbum תשברנה referre ad mulieres, adeoque editam formam תִּשָּׁבַרְנָה mutare, non ut ill. MICHAELIS ſuadet in תְּשַׂבֵּרְנָה, *expectabunt*, (nam rei, quae expectanda eſſet, mentio nulla facta) ſed תְּשַׁבֵּרְנָה, *frangent*. Pronomen autem אותה non debet referri ad קציר, quod maſculinum eſt, ſed reſpicit, ut reliqua pronomina foeminina, ad nomen עיר, id vero eſt ad locum de quo ſermo eſt, quem ipſum illuminant adventantes mulieres, dum paſſim, collectis frondibus ſarmentiſque, ignem accendunt, vel ad coquendos cibos, vel ad corpus calefaciendum. — Quod additur, indocilem eſſe populum atque imprudentem, indignum idcirco, qui longiore conditoris ſui venia fruatur atque indulgentia, ita comparatum eſſe, ut Judaico populo optime conveniat, aegre Babylonico, quilibet facile intelligit: et vana ſunt, quibus ad contrariam ſententiam defendendam VITRINGA in *Commentar.* ad. h. l. utitur, argumenta, velut quum magna imperia omnia, magnaſque urbes cenſeri eſſe magna opera divinae providentiae affirmat. Quod veriſſimum quidem eſt, ſed ad hunc locum non pertinet. Haud enim obſcure illud ſignificat propheta, populum, de quo agitur, omnino quidem eſſe Deo cariorem atque conjunctiorem reliquis omnibus, nec tamen poſſe diutius a Deo veniam impetrare atque a poenis immunitatem.

Tan-

Tandem, exeunte oratione, ut fere ſolet, denuntiationem calamitatum mitigat et quaſi temperat propheta praedictione reditus ab exilio et reſtitutionis in exoptatam patriam. Atque in hac re ita verſatur, ut imaginem ducat inde, quum in pomario arbores baculo excutiuntur, et poma humi collecta in unum acervum congeruntur. Quam quidem verborum vers. 12 interpretationem non dubitamus aptiorem pronuntiare ea, qua de granis baculo excutiendis ſermonem hic eſſe dicitur. Verbi enim לקט propria vis ac poteſtas eſt, *humi legere*, grana vero, quae baculo excutiuntur, acervantur quidem, ſed non ſolent ſingula humi colligi. Verbum autem חבט, *ῥαβδίζειν*, uſurpari de arbore excutienda, certum eſt ex loco Devter. XXIV. 20 כי תחבט זיתך, quando oleam tuam excuſſeris, non ſingulos ramos poſtmodum denuo excutias. — Senſus eſt, utrimque ab Euphrate inde atque inde ex Aegypto redituros eſſe Judaeos extorres, ac novam in patria civitatem inſtituturos. — Quae de שבלת הנהר et נחל מצרים crudite hic diſſerit ill. Michaelis in *annotatt. ad vers. germanicam*, non opus eſt exſcribere.

Atque haec ipſa res poſtremo loco aliis, magis propriis planioribusque verbis deſcribitur ſic, fore ut buccina magno clangatur, veniantque et ex Aſſyria et ex Aegypto exules Hieroſolymas. In quo orationis ſchemate ineptiſſimum eſſet quaerere, quidnam illud ſit, cujus imaginem buccina, eaque praegrandis, hic ſuſtineat? Etenim conſtat ſolemne fuiſſe cum Judaeis, tum aliis populis, ad excitandam convocandamque multitudinem adhibere buccinas. Senſus itaque eſt, fore, ut velut claſſico evocati advolent, et Hieroſolymas, ad reſtauranda ibi priſtina ſacra, concurrant, qui eſſent per Aſſyriae Aegyptique latos fines diſperſi

 Judaei:

Judaei: quod juſto tempore eventum ſuum habuiſſe, non eſt quod hoc loco demonſtremus.

Sequitur nunc capitis converſio latina.

---

1. *Tunc animadvertet Jehova gladio ſuo duro et magno et valido in Leviathanem ſerpentem celerem, atque in Leviathanem ſerpentem ſinuoſum, interficietque draconem marinum.*

2. *Tum de vinea canite ſic:*

3. "*Ego Jehova cuſtodio eam, ſubinde eam rigabo: ne quis damnum illi inferat, noctu diuque eam cuſtodiam.*

4. (Dices, vinea:) *murrus* quidem *mihi non eſt*, *ſentibus et vepribus o ſi munita ſim tempore belli*, (quum dicitur:) *invadam eam, penitusque comburam:*

5. *At* (Jehova) *firmabit propugnaculum meum; parabit ſalutem mihi, ſalutem parabit mihi*„ —

6. *Olim radices aget Jacob, pullulabit germinabitque Iſraël, et plena erit tota regio proventuum.*

7. *Neque enim ea, qua percuſſores ejus, plaga eum percuſſit, non ea, qua interfectores ejus, caede affecit.*

8. — — — *cum dimitteret eam* (perfidam), *illam objurgabat; ejectus eſt* (populus) *vento Ipſius valido, ſaeviente tempeſtate.*

9. *Verum hoc ipſo expiatur crimen populi, eritque haec expiatio fructus inde oriundus, quod delebit* (Jehova) *objecta peccati ejus, quum reddet omnes ararum lapides ut calcis fruſtra diſperſa, quum delebuntur luci atque ſimulcra.*

10. *Et enim urbs munita erit ſolitudo inſtar paſcui absque gregibus, derelicta inſtar deſerti: ibi paſcent vituli, ibique recubabunt, et abſument ejus ramos.*

11. *Arefactos ejus ramos frangent mulieres adventantes, locum* (ignibus) *illuſtrantes: neque enim populus prudens eſt, idcirco creator ejus miſericordia, et conditor ejus clementia non utetur erga ipſum.*

12. *Sed poſtmodum excutiet Jehova inde ab Euphrate ad Aegyptum usque, vosque humi legemini ſigillatim, Iſraëlitae.*

13. *Tunc ſignum dabitur buccina grandi, venientque qui perituri erant in Aegypto et qui exulabant in Aſſyria, atque adorabunt Jehovam in monte ſancto Hieroſolymis.*

XII.

CHABACVC. III.

De carmine *Chabacuci* prophetae ſic ſtatuit reverend. LOWTHVS (*de ſacra poëſi Hearaeorum* pag. 174.) ut dicat: niſi una atque altera ei inſideret obſcuritatis nebula, vetuſtate ut videatur inducta, vix quidquam hoc poëmate in ſuo genere extaret luculentius aut perfectius. Similiter ill. EICHHORNIVS negat, ſe quidquam magnificentius et ſublimius noſſe divino hocce hymno.(*Einleitung ins alte Teſtament.* III. pag. 379.) Itaque dignum ſane eſt carmen, quod ſubinde ſtudioſius tractetur excolaturque, ut tandem, quantum fieri poſſit, disjectis quae ipſi inſident nebulis, ſolutisque difficultatibus varii generis, quibus adhuc premitur, vim ſuam univerſam exſerere et nativa quaſi luce ſua radiare poſſit. Nactum illud eſt haud ita pridem commentatorem perquam idoneum. JOH. WILH. ADOLPH. SCHROEDERVM, *Herborna - Naſſavium*, nunc V. D. Min. Corjumi in Friſia, cujus diſſertatio philologica in canticum Chabacuci prodiit *Groningae*, MDCCLXXXI. eſtque plena bonae frugis ac, ut verbo dicamus, *Schroederiano* nomine haud indigna. Hanc ſi in noſtros uſus converterimus, ſperamus lectoribus nos rem eo gratiorem eſſe facturos, quo major eſſe ſolet librorum academicorum, ex Belgio oriundorum, apud nos, atque adeo in maxima Germaniae parte infrequentia. Utamur autem omnino ita, prout par eſt et decet, ut noſtrum quoque ſenſum ſequamur ac judicium, et quae nobis de locis diffici-

difficilioribus ſententia ſit exponamus, excitaturi forte etiam aliorum, qui in hisce litteris plurimum valent, ſtudium atque operam, ad divinum carmen magis magisque expoliendum, ac plane expediendum.

Argumentum autem carminis, ejusque formam atque diſpoſitionem quod attinet, equidem haud exiſtimaverim illud reſpectum habere ad dicta prophetae proxime antecedentia. Etenim cap. II. illud clarum eſt et perſpicuum, ſignificari a propheta viciſſitudinem regis cujusdam impotentiſſimi intemperantiſſimique, qui poſtquam armis omnia oppreſſiſſet, e ſummo honoris ac potentiae faſtigio dejiciendus ſit, gentibus adeo, quas in ſuam poteſtatem redegiſſet, fabula futurus et ludibrium: quae de rege Chaldaeo-Babylonico intelligenda eſſe vix quisquam dubitaverit. Haec autem rerum converſio ut permultis aliis gentibus laetiſſima accidit, ita Judaeis inprimis erat omnium auſpicatiſſima, quod opportunitatem praeberet redeundi ab exilio in patriam, ad remp. denuo inſtituendam atque ordinandam. Oratio igitur cum a querimoniis exordiatur et deprecationibus, orta omnino eſſe nequit ex imagine rei admodum laetabilis, ſed eſt potius ex alio fonte derivanda. Reſpicit illa quidem oraculum quoddam, vati divinitus datum, atque etiam ab hoc haud dubie in vulgus editum, ſed quod prorſus intercidit, neque magis aetatem tulit, quam divina ejusmodi effata alia haud pauca, quae extitiſſe olim opinabile eſt, quantumvis ab oblivione ea vindicare et poſterorum cognitioni reſervare viſum Deo haud fuerit. Neque vero admodum difficile eſt, quale illud fuerit, quove ſpectaverit, ex adjunctis intelligere. Etenim ex graviſſima, quae ex eo conſecuta eſt, vatis perturbatione ac ſollicitudine haud perperam colligitur, fuiſſe ex illorum genere, quae com-

minationes haberent et denuntiationes calamitatum, qualia in prophetarum declamationibus extare quam plurima notum eſt. Imo vero haud dubie affirmaverim, eo maxime ſummam illius rediiſſe, ut everſionem urbis, templi, univerſae reipublicae, atque ipſius populi exilium, idque certo annorum ſpatio circumſcriptum, ſignificaret; eo fere modo, quem in primo etiam capite conſpicimus: quod, ſi tertium nullo interveniente antecederet, in promtu foret, ad quod hoc non incommode referri poſſet. Talem igitur juſtam illam quidem, ſed diram Numinis merito infenſi ſententiam cum percepiſſet propheta; vehementer perculſus, Deum obteſtatur, velit in tanta iſta calamitate ſervare populum, ab ſe quaſi factum formatumque, atque iram miſericordia temperare, verſu 2. Subit animum recordatio ſuperiorum temporum, occurrit vniverſa illa mirabilium facinorum ſeries, in gratiam dilecti populi quondam, maxime in migratione ex Aegypto, divinitus editorum; in hanc igitur graviſſimam materiam ſubito ingreditur, et quaſi irrumpit, hic excurrit et vagatur longius, atque animo tantopere indulget, ut haec pars orationis juſtum modum fere excedere videri poſſit. Verſu tandem 16 redit unde digreſſus eſt, et quod antea verbo dixerat, exterritum ſe eſſe, id nunc repetit, adhibitisque variis loquendi formulis amplificat. Incipit nunc vers. 17 delineare diram faciem, quam mox habitura ſit patria: ſed protinus deſiſtit, abhorrens quaſi animo ab illa triſtiſſima imagine, atque ad Jehovam ſeſe convertit, cujus praeſidium ſibi haud defuturum eſſe laetus confidit: ut quae a querimoniis exorſa eſſet oratio, eadem nunc in triumphum fere deſinat.

Sublimitatis, qualis in oda Hebraeorum cernitur, triplicem rationem ſtatuit reverend. Lowthus, (*de poëſi*

poëſi Hebr. pag. 533) docens, eandem exſurgere vel ex ipſo potiſſimum habitu poëmatis, et univerſae diſpoſitionis et formae magnificentia, vel ex communibus fontibus, conceptuum granditate et vi dictionis, vel denique ex horum utrisque ſimul conjunctis, cum totius formae pulchritudini et dignitati ſenſuum inſuper excelſiſſimorum et ſplendidiſſimae dictionis omniumque virtutum quaſi cumulus accedit. Et ipſe quidem vir ſummus Chabacuci orationem ad tertium genus referre haud dubitat (pag. 572.) Enimvero ſi noſtro ſenſui quidquam tribuere liceat, exiſtimaverimus, ad alterum magis genus eam pertinere, cujus ſublimitatem unice ſuſtentat conceptuum magnitudo et vis dictionis, ſine peculiari aliqua totius formae magnificentia et pulchritudine diſpoſitionis. Atque hic eſt, quem nos animo concipimus, nobiliſſimi poëmatis habitus ac forma.

Aliter clar. Schroedero viſum eſt, exiſtimanti, carmen in alternos choros diſtribuendum eſſe, hoc modo, ut chorus I precetur, velit Deus maturare populi liberationem, hoſtiumque interitum, vers. 2. chorus II profiteatur bonam ſpem opis divinae, et fundet in priſtinis Dei beneficiis, quae ordine paene hiſtorico, ſtilo tamen poëtico enarret, vers. 3—15. chorus I ſermonem reſumat, de gravitate ſui metus et conſternationis ob imminentes calamitates conqueratur, ſimul tamen declaret animum divino judicio et voluntati ſubmittendum vers. 16 et 17. chorus II plenus ſpei ex priſtinis Dei beneficiis conceptae, certam fiduciam de futura liberatione ex captivitate, reditu in patriam, et reipublicae inſtauratione teſtetur vers. 18 et 19. Enimvero quid ſit quod prohibeat, quo minus ſermo omnis pro uno et continenti haberi queat, nos non perſpicimus. Neque in eo nos conſentien-

tes habet vir doctiſſimus, quod perſonam, quae verba facit, non prophetam ipſum eſſe ſtatuit, ſed populum Judaicum, ſive potius chorum aliquem, qui hujus perſonam ſuſtineat. Nos communem ſententiam tenemus, vatem eſſe, qui a primo ad extremum usque ſui ipſius nomine ſermonem inſtituat.

De lectione תפלה ſuſpicionem ſibi ortam eſſe, quod hymno quam precationi ſimilius eſſe videatur hoc carmen, nec tamen eam a quoquam codice hebraeo confirmari, monet ill. Michaelis (*bibliotheca orient. et exeget.* Part. XXIII. p. 179.) Sed ſi recte dicta ſint, quae de argumento et forma carminis praemiſimus, lectionis תהלה, etiamſi multi adeo libri eandem ſuppeditarent, auctoritas poteſt eſſe nulla. De formula על שגינות nihil habemus certi atque explorati. Quae profert auctor libri, novem abhinc annis editi, *Habakuk, vates olim hebraeus, imprimis ipſius hymnus denuo illuſtratus*, שגיון nomen eſſe verbi שגע arabice سجع *rhytmice loqui*, *gemere*, adeoque tale genus carminis ſignificare, quod ſit lugubri modulatione decantandum, probari haud poſſunt: pertinet enim nomen שגיון ad radicem שגה, cujus vis ac poteſtas non debet peti ex uſu verbi سجع, multum ab illa diverſi. Rectius Venema (*Commentar. ad Pſ.* VII. 1) adhibet verbum شَجِيَ, *anxius*, *moeſtus fuit*, ut שגיון ſit carmen viri moerore oppreſſi. Verum haec omnis inſcriptio videtur nobis haud a propheta ipſo profecta eſſe, ſed ab alio nonnemine poſtea demum adjecta: quapropter non eſt magnopere de ea laborandum.

Initium itaque dicendi propheta facit ab eo, ut ex oraculo, quod modo percepiſſet, animum vehementer

menter commotum eſſe profitetur. Verbum יראתי quidem, ſi ſeorſim illud ſpectaveris, ambiguum eſt, et poſſit ut terroris, ita venerationis quoque ſignificationem habere, qua poſita conſequeretur, effatum illud divinum grati et laetabilis argumenti fuiſſe. Sed cum vates ipſe poſtea vers. 16 in locum verbi יראתי ſubſtituat formulas loquendi alias, easque tales, quae metum trepidationemque ſignificent; dubitari nequit, eodem plane ſenſu etiam יראתי eſſe accipiendum. Ad vocem פעלך, in qua eſt nominativus abſolutus, quod attinet, ad eorum ſententiam accedimus, qui Judaicum populum hoc nomine deſignari exiſtimant, ut Eſai. XLV. 11. utpote a Deo eximia cura formatum exornatumque, unde etiam בֹּרֵא, יֹצֵר, et עֹשֵׂה hujus populi dicitur Jehova Eſai. XLIII. 1. XLIV. 2. 24. Quod cl. Schroedervs monet, locutionem *opus Dei* talem ſenſum improprium non habere, quando abſolute poſita ſit, nullo alio epitheto, quo ſenſus figuratus declaretur, adjecto, uti factum Eſai. XLV. 11. ubi populus Iſraëliticus dicatur *opus manuum Dei*, haud admodum grave videtur: nam quid veri diſcriminis eſſe poſſit inter יְדֵי יְהוָה et פֹּעַל יְהוָה, omnino vix intelligitur. De verbo חַיֵּהוּ adhibenda eſt tritiſſima obſervatio, uſurpari quoque de illis, qui vivere alium concedunt, cum interficere poterant. Formula בקרב שנים idem valet ac בשנים, et optime vertitur cum ven. Dathio, *intra illud tempus*: neque vero, quod quibusdam viſum eſt, reſpicit locum cap. II. 3. quo oraculi (de proſternendo rege Chaldaeo) eventus dicitur definitum ſuum tempus expectare debere: ſed credibile eſt, Jehovam in denuntiandis calamitatibus, populo eventuris, ſignificaſſe prophetae, non eas perennes futuras eſſe, ſed juſto annorum ſpatio circumſcriptas; atque hosce ipſos annos, triſtes illos ac calamitoſos, eſſe qui animo prophetae ſint obverſati

Poſſis

Poſſis loco בְּקֶרֶב pronuntiare בִּקְרֹב ut Aquila habet, et altera vice etiam Alexandrinus interpres, *ἐν τω ἐγγιζειν τα ἐτη*, quos ſequitur ill. MICHAELIS, qui negat, בְּקֶרֶב שָׁנִים commodum aliquem ſenſum admittere. Sed eſt omnino ſenſus fere idem, ſive dixeris, *intra illud tempus*, ſive *circa illud tempus*: quare ſupervacanea dici poſſit vulgatae pronuntiationis mutatio. Minus etiam probamus ven. HERDERI (*vom Geiſt der ebraeiſchen Poëſie.* II. pag. 102.) ſententiam, exiſtimantis pararellismum flagitare lectionem חַוְּדֵהוּ *notum fac illud*, praeeuntibus CAPPELLO et HOUBIGANTIO. Etenim neque verſiones antiquae habent quidquam, quod huic ſententiae patrocinetur, neque in membris duobus פעלך בקרב שנים חייהו et בקרב שנים תּודיע parallelismus eſt niſi laxior quidam, isque in ſententiis magis quam verborum formulis poſitus: nequit enim commode verbum תודיע eadem ratione ad nomen פעלך referri, qua ad illud pertinet alterum verbum חייהו. Vult quidem HOUBIGANTIUS, legendum eſſe תודיעו, declara *illud*: ſed nonniſi conjectura eſt, quae auctoritatem non habet, et quamquam codex Kennicottianus 223. hoc eſt Regiomontanus I ineunte ſaeculo decimo quarto ſcriptus, exhibet תודיעו, parum tamen tribuendum eſt ſuffragio unius codicis, ut recte monet ill. MICHAELIS (*loc. cit.* pag. 180.) quamquam et ipſe ab ea lectione non plane alienus. GREENIUS (*Commentar über einige poëtiſche Stücke des alten Teſt. aus dem engliſchen.* pag. 285.) ſuſpicatur, excidiſſe e contextu nomen חֶסֶד, reſtituendum ex ſimili loco Pſ. LXXXV. 6—8. At non eſt e longinquo petendum, quod adeſt in promtu. Nihil enim vetat, רַחֵם ad utrumque verbum תודיע et תזכר ſimul referre, ut cl. SCHROEDERO obſervatum eſt. Poſſis vero etiam in locum תודיע ſubſtituere Niphal תִּוָּדֵעַ, reciproce, ut uſus fert conjugationis Niphal, accipien-

piendum, hoc ſenſu: praeſentem te populo atque adjutorem factis declara. Deſunt quidem apud Kennicottum codices, qui exhiberent vocem defective ſcriptam תודע: ſed in tanta illa librariorum in ſcribendis negligendisque litteris Vav et Jod inconſtantia, et admodum opinabile eſt, extitiſſe atque etiamnum extare libros haud paucos, in quibus ſcriptum eſſet תודע, et antiquiſſimorum interpretum nonnulli hac ipſa forma uſi eſſe deprehenduntur, veluti Alexandrinus et alius graecus, qui uterque habet, *ἐν τω ἐγγιζειν τα ἐτη ἐπιγνωϑηση, ἐν τω παρειναι τον καιρον ἀναδειχϑηση* (ubi, ut hoc obiter moneamus, alterutra formula margini primum ex alia quadam recenſione adſcripta, poſtea incautius in contextum ipſum admiſſa fuiſſe videtur,) nec non Syrus cujus ܬܬܝܕܥ pariter prodit lectionem תִּוָּדַע.

Quae ſequuntur vers. 5—15 ven. Dathius, induci paſſus ab anonymo auctore ſuperius citato, putat eſſe deſcriptionem rerum tum temporis futurarum, ſcilicet evertendae reipublicae chaldaicae in ſalutem Judaeorum; hoc quomodo effecturus ſit Deus, deſcribere prophetam ſic, ut imagine poëtica utatur, qua et alii vates ſacri uti ſoleant, ſi divinum auxilium in defenſione aut ſalute populo judaico praeſtita celebrare velint: nimirum fingere Deum appariturum in tempeſtate aliqua horrida, inter fulgura et tonitrua, conjuncta cum ingenti terrae motu, imbrium et aquarum effuſione et inundatione; quam imaginem ſumere ſoleant vividius effingere poëtae ſacri ab illa magnifica Dei apparitione in monte Sinai. Jam quidem veriſſimum illud eſt, poëtas hebraicos, ubi adventus Dei vel ad judicium exercendum vel ad ſalutem praeſtandam deſcribendus ſit, ſcenam plerumque inſtitue-

re

re ſic, ut eundem procella, eaque graviſſima obvolutum exhibeant. Neque illud dubium eſt, petitam eſſe hanc imaginem ex auguſto illo horribilique apparatu, quo olim Deus in montem Sinam ſolemniter deſcendit. (vid. *de ſacra poëſi hebr.* pag. 173.) Sed hic videtur magna difficultas in eo poſita eſſe, quod ex Themane, ex monte Pharan advehi Jehova dicitur: quod quomodo de Deo Chaldaeos petituro praedicari recte poſſit, nos non intelligimus. Vulgatiorem itaque, ut diximus, ſententiam ſequimur, quae haec eſt, animo prophetam repetere mirabilia illa beneficia, populo olim a Jehova in itinere ex Aegypto exhibita. Neque obſtat, quod verbum primum, יָבֹא, poſitum eſt in futuro. Proxime enim ſequentia cum ſint praeteriti temporis, etiam יבא accipiendum eſt tanquam praeteritum, ac ſi ſcriptum eſſet hoc modo: — — — בְּבוֹא אלוה מתימן וקדוש מהר פארן כסה. Caeterum tempeſtatem aliquam inſigniorem deſcribi comm. 3 et 4. dubium habere nequit: quaenam vero illa ſit, quonam pertineat, quove conſilio hic relata ſit, minus eſt evidens. Nulli tamen dubitaverimus, illam innui, quae eſſet conjuncta cum Dei in montem Zinai deſcenſu legisque divinae promulgatione, Exod. XIX. 16 ſq. Haec enim in ſimili loco, Jud. V. 4. diſerte dicitur ex Seir, ex Edom, id vero eſt, ex ea coeli plaga, quae Idumaeam ſpectaret, exorta eſſe atque in montem Sinam ingruiſſe. Formula autem, qua Chabacucus utitur, אלוה מתימן בא, eadem plane eſt cum illa Deborae, משׂרה ארום, משׂעיר, quod Theman terrae Idumaeae urbs eſſet primaria, Amos I, 11. 12. Obad. vers. 8. 9. Accedit, quod et Moſes, de eodem auguſtiſſimo ſpectaculo verba faciens, Devter. XXXIII. 2. Jehovam dicit effulſiſſe ex monte Pharan, qui trium dierum itinere abeſt a deſerto Sinai, Numer. X. 12. 33. et vicinam ſibi habet urbem

urbem Kadeſch, Numer. XIII. 26. ſitam in limite Idumaeorum, cap. XX. 16. (quamquam in illo loco vox מִשְׂגָּב moleſtiam faceſſit interpretibus.) Commemorat autem vates hancce tempeſtatem propterea, quod conjuncta illa eſſet cum maximo honorificentiſſimoque Dei in populum beneficio, foedere illo Sinaitico, quo Deus rempublicam Iſraëliticam legibus ordinavit, ſeque ipſum ducem atque regem populi ſolemniter declaravit: adeoque hoc vere innuit propheta, Jehovam olim in tutelam recepiſſe populum, arctiſſimoque ſecum vinculo conjunxiſſe. Atque haec de ſenſu univerſe: nunc de ſingulis locutionibus dicendum.

Vocem הוֹד accipimus de magnifico horribilique apparatu nubium, tonitruum, fulgurum, quo Jehova utebatur, cum ad montem Sinai accederet. Qui quod non poſſet non ſpectatores in admirationem magnificentiae divinae rapere, et horrore Numinis perfundere; additur: וּתְהִלָּתוֹ מָלְאָה הָאָרֶץ, neque opus eſt voci תהלה *ſplendoris* ſignificationem hic obtrudere. תִּהְיֶה etiamſi Vav converſivum futuri praefixum ſibi non habeat, habet tamen vim praeteriti (vid.) celeb. Schroederi *Syntax. verb.* reg. XLIX. pag. 343.) quod valet etiam de ſequentibus verbis יֵצֵא, יֵלֵךְ. כָּאוֹר poſitum loco כְּנֹגַהּ הָאוֹר, habetque nomen אוֹר hoc loco ſignificationem ſolis, ut Job. XXXI. 26. Pro נגה Greenius legendum putat נגהו, Houbigantius ונגהו, haud improbante cl. Schroedero, quod veteres interpretes omnes pronomen hoc adfixum adhibeant. Nobis vero recte abeſſe videtur, aptiſſime enim verba reddas, *ein Glanz wars wie der Sonne Glanz*, h. e. ex atris nubibus, quibus obvolutus erat Deus, fulgor prodibat, qualis ſolet in ſole conſpici. Nominis קַרְנַיִם uſitatam ſignificationem alienam ab hoc

hoc loco eſſe, facile perſuaderi ſibi patitur, qui monſtroſis perverſisque imaginibus haud delectatur. Obſervarunt dudum viri docti: et exemplis idoneis probavit cl. SCHROEDERVS, arabicum קרן etiam de *radiis* uſurpari, quem ipſum uſum in hebraica quoque dialecto viguiſſe haud obſcure docet locus Exod. XXXIV. 29. Verum nec radii videntur apte tribui poſſe *manui* Jehovae, quam fulminibus armatam hic conſpicere malueris. Itaque vel ſtatuendum, radium hoc loco dictum eſſe pro fulmine, modo ex hebraico loquendi uſu probari id poſſit, transferenda huc eſt illa obſervatio, qua dicitur, Hebraeos perſonam exprimere per partes corporis, quarum qualiscunque ſit conjunctio cum re ea, quae iis tribuitur, idque dum faciant nihil de iſtis partibus cogitare, ſed totam perſouam animo contueri, (ERNESTI *opuſcula philolog. crit.* pag. 173 edit. ſecund. ann. 1776.) ut מִיָּדוֹ dictum ſit pro מִמֶּנּוּ, veluti Ps. XVIII. 19 גחלים בערו ממנו. Sunt qui מידו reddunt, a latere ejus, ut ſenſus ſit, undique radios emicuiſſe, ut fere ill. MICHAELIS, *Strahlen ſchoſſen um ihn herum.* Sed recte monet cl. SCHROEDERVS, hoc ſenſu dicendum fuiſſe vel מסביב, circumquaque. Quod vero ipſe ab alio quodam docto viro propoſitum amplectitur, יד hic denotare columnam dictam *nubis et ignis*, veremur, ne alienum ſit ab hoc loco, in quo nubis illius mentionem fieri inopinata res eſt. Numerum vocis קַרְנַיִם quod attinet, dualis quidem potiſſimum uſurpari ſolet de iis rebus, quae vel natura vel arte geminae ſunt. Sed cum exempla extent, ſervari dualem etiam tum, quando numerus duobus major additur, veluti Levit. XI. 23. Eſai. VI. 2. Zachar. III. 9. exinde colligitur, in ejusmodi nominibus dualem formam locum habuiſſe etiam in ſignificatione multitudinis. Verba וְשָׁם חֶבְיוֹן עֻזֹּה lucem accipiunt ex ſimili loco Ps. XVIII. ubi pariter

riter in deſcribenda tempeſtate Jehova dicitur verſu 12 tenebris uti ut penetrali et tabernaculum habere undique. Eodem plane ſenſu propheta dicit divinae majeſtatis ſplendorem fuiſſe occultatum, h. e. atris denſisque nubibus obvolutum. Simonium ſi audias, in *Lexico*, חבין עז eſt *ardor vehementiae* i. e. *ardor vehemens*, ex ſignificatione radicis arabicae خبا, *ſaeviit*, *arſit*, et Syr. חבב, *accenſus*, *incenſus fuit*, *exarſit*. Sed primo huc plane non trahi debet verbum חבב, a noſtro חבה vere diverſum; deinde ſignificatio *ardere*, quae verbo خبي tribuitur, petita quidem eſt ex Lexico Castelli, voc. חבו col. 1099. qui vero ſolius Fabricii auctoritate nititur, *Specim. Arabic. quo exhibentur ſcripta aliquot arabica* etc. Roſtoch. 1638. pag. 60. ubi haec leguntur: "Radix خبي abſcondere item ſaevire, ardere, accendere:" ſed vana eſt haec ſignificatio et commentitia; neque enim خبي valet, arſit ignis, ſed contra, obtectus eſt atque obtegendo exſtinctus. Ven. Dathius vertit, praeeunte Grotio: *abſconditam ſuam potentiam patefacit*, verbis ut videtur ſic intellectis: et ibi adeſt occultatio potentiae i. e. abſcondita ejus potentia. Verum ſi de patefacta declarataque potentia Dei, quae antea abſcondita eſſet, ſermo ſit, ejusmodi aliquod verbum, quod declarandi ſenſum habeat, vix videtur abeſſe poſſe. שָׁם, *ibi*, ill. Michaelis permutat cum שָׂם, *poſuit*, praeeunte Alexandrino Syroque interprete: nos in antiquo more vocem pronuntiandi videmur nobis poſſe acquieſcere.

Perſequitur propheta orationem ſic, ut proximis verſibus commemoret, Jehovam ipſum jam praefuiſſe Iſraelitico agmini iter ſuum perſequenti, horrendasque, quoquo veniſſet, ſtrages edidiſſe, ut maxima inter vicinas gentes orta eſſet trepidatio rerumque perturbatio. In verbis, *ipſum praeceſſit peſtis, ſecutae ſunt ali-*

 ter,

tes, mira ineſt vis atque brevitas cum perſpicuitate conjuncta. Neque enim dubium cuiquam eſſe poteſt, aves easque carnivoras memorari ad innuendam caeſorum hoſtium foedam multitudinem, coll. Ezech. XXXIX. 4. 17. Jerem. VII. 33. al. Sumimus quidem vocem רֶשֶׁף cum plurimis aliis eo ſenſu, quem primus recentiori aevo illi tribuit ill. MICHAELIS, quamquam quod monet cl. SCHROEDERVS, ſignificationem, *in altum ſeſe extulit*, in lexico adſcriptam verbi arabici רשף conjugationi octavae, admodum dubiam eſſe ac incertam, nobis haud videtur eſſe nullius momenti. Nolimus autem vertere cum ven. HERDERO, *Raubvögel flogen zu Füſſen ihm hervor*, quod haec poſſint videri hunc ſenſum habere, rapaces aves inſediſſe cadaveribus, ſed accedente Jehova interturbatas ſubito evolaſſe: qui ſane eſt ab hoc loco perquam alienus. Neque in eo conſentientes nos habet vir ingenioſiſſimus, quod ſtatuit, lectionem וימדד vitioſam eſſe et permutandam cum וימט, *concuſſit terram*, ob parallelismum, ut putat, et verſionis veteris haud unius auctoritatem. Habet quidem Alexandrinus, *και ἐσαλευθη ἡ γη*, unde HOUBIGANTIVS lectionem exſculpſit ותרגז, quamquam huic verbo nullibi reſpondet apud LXX *σαλευομαι*, habet etiam chaldaeus interpres יַזִיעַ אַרְעָא, *et commovit terram.* Sed recepta lectio nititur ſuffragiis Vulgati, Syri et graeci cujusdam interpretis, qui vertit: *ϛας διεμετρησε την γην*· habetque ſenſum non modo commodum, ſed elegantem quoque exquiſitumque. Fingit propheta, Jehovam praeeuntem agmini Iſraëlitico, gradum ſiſtere in itinere, objectam omnem regionem oculis perluſtrare et quaſi metiri, animoque ſecum reputare, quinam tractus et capacior eſſet et accommodatior recipiendo ſuo populo: ſed horrendum Numinis obtutum neque homines ferre poſſe, neque res inanimatas: quocunque

que ipſe convertat oculos, gentes diſſipari, montes diſſilire, colles ſubſidere. Atque ad augendam rei magnitudinem montes collesque dicuntur *antiqui*, ut qui ex hominum memoria eundem locum, eandemque formam ſervaſſent conſtanter, inque aeternum ſervaturi viſi eſſent, nec tamen Jehovae aſpectum ferre potuerint. In verbis הֲלִיכוֹת עוֹלָם לוֹ magna eſt opinionum diverſitas. De lectione haud dubitandum, cum in ea conſentiant antiquiſſimi interpretes, Alexandr. Vulg. Syr. et Chaldaeus, praeter unum aliquem graecum, ex quo haec refert Montefalconius: *ἁι ὁδοι ἁι ἐξ ἀρχης ἀλλοιωθησονται*, unde cel. Bahrdtius (*Apparatus crit.* Vol. I. pag. 195.) effecit lectionem, הליכות עולם גלו, *der Gang der Dinge ſeit Jahrhunderten ward — geändert*, voce גלו relata ad verbum גלל, quod a graecis reddi ſoleat *περιαιρεω*, *ἀφαιρεω*, *φυρομαι*, ut adeo et *ἀλλοιοω* verti potuerit. Ven. Dathius verba primum reddidit: totum hoc univerſum ejus imperio ſubeſt, in quibus videtur ſecutus eſſe Grotium, qui ita: omnia quae in mundo ſunt, ipſi ſubſunt; quamquam hunc ſenſum quomodo verba admittere poſſint, haud facile intelligitur: nunc vero habet: minas aeternas infert, praeeunte anonymo illo, qui poteſtatem arabici nominis هَلَكَةٌ, exitium ingens et fatale, a rad. هلك periit, huc transtulit. Cl. Schroederus vero putat, *inceſſus perpetuitatis* ſignificare *continuos* itinerum, bellorum et victoriarum *progreſſus*, qui omnia obſtacula ſuperent, nulliſque difficultatibus hoſtiumve viribus cohiberi aut retardari poſſint. Sed nobis videtur nomen עולם hic non poſſe alio ſenſu accipi quam eo, quo proxime colles dicti ſunt גבעות עולם, colles perantiqui. Itaque הליכות עולם ſunt itinera antiqua, id vero eſt talia, quae non nunc demum primo tentantur, ſed fuere antiqui-

tiquitus peracta, ſaepiusque repetita, adeoque nunc promta ſunt atque expedita, nec quidquam habens quod noviter et praeter opinionem accidere poſſit: ut ſenſus ſit, antiquitus hanc omnem regionem a Jehova peragratam, ipſius imperio ſubjectam, adeoque penitus ipſi cognitam fuiſſe exploratamque. Vocem כּוּשָׁן idem valere ac כּוּשׁ, et Arabiae partem ſignificare, vel ex eo recte colligitur, quod commemoratur Cuſchan ſimul cum terra Midian, quam certum eſt ad Arabiam pertinuiſſe. Nominantur autem hae gentes, non quod vel ſolae, vel vehementius reliquis trepidaſſent, ſed exempli cauſa, quod omnes ordine recenſere nimis longum erat. אָוֶן videtur mutandum eſſe in אוֹן. Haud enim raro, quod ill. Michaelis obſervat (*ſupplement. ad Lexica hebr.* pag. 43.) in hac voce puncta male poſita ſunt, et אָוֶן legitur, ubi ſenſus אוֹן dolorem requirit. Caeterum ſingularis plane eſt dicendi formula, qua quis תחת און, ſub dolore, vel, poſito תחת pro בְּתַחַת; in loco ubi dolor eſt, verſari dicitur, nec alibi facile obvia: neque tamen Houbigantii conjectura, legendum eſſe חתחתים, *tremefacta*, etiamſi probata Greenio, quidquam habet veriſimilitudinis. *Vidiſſe ſe* (רָאִיתִי) iſta dicere poterat propheta, vel quod per viſionem propheticam iſtarum rerum omnium perfecta quaedam ſpecies ipſi a Deo propoſita fuiſſet vel quod modo prorſus naturali animus acti temporis imaginibus adeo totus repletus eſſet et captus, ut interfuiſſe rebus geſtis ſibi ipſe videretur propheta.

Occurrit nunc animo vatis imago Jordanis diviſi, eademque fere non poterat non excitare cogitationem maris arabici, pariter fiſſi exſiccatique. Perculſus magnitudine rei haud curat eandem, prout geſta erat, longius enarrare, ſed ſubito cauſſam facti reputans, ſermone ad Jeho-

Jehovam converſo quaerit, num fluvius, num mare offenſum ſibi iratumque Numen reddiderit? mox autem ipſe reſpondet hoc modo, ut affirmet, ſalutem populi unice id eſſe, cujus cauſſa talia a Deo perficiantur. Ill. Michaelis exiſtimat, ſermonem הבנהרים חרה יהוה אם בנהרים אפך אם בים עברתך non ipſius prophetae eſſe, ſed trepidantium Arabiae gentium, quarum modo mentio facta ſit: at ſi his, non ſibi, verba haec tribui voluerit vates, putaverim eum vel nullam, vel certe negativam interrogandi formulam adhibiturum fuiſſe. Vult quidem anonymus interpres, הֲ ſequenti אִם non interrogativum eſſe ſed affirmativum, utiturque auctoritate Lvd. Dedieu (in *Animadvers.* ad h. l.) ſed contra uſum linguae, cui frequentiſſimum eſt, אִם interrogando adhibere, ſi הֲ anteceſſerit. Cl. Schroedervs putat, verbis כי תרכב על סוסיך novum verſum inchoandum fuiſſe: etiam ven. Herdero viſum eſt ſequenti ratione ea propius admovere. Ex noſtra opinione probanda eſt textus vulgata diſtributio, et verba ſunt ſic accipienda: ***immo vero cum vehereris equis tuis, currus tuus venit auxilio.*** Nimirum ſolemne eſt poëſi hebraicae, tonanti Numini currum tribuere et equos, quibus media in tempeſtate vehatur (vid. Michaelis *ad Lowthum* pag. 189.) Tranſitum vero ſinus arabici conjunctum fuiſſe cum inſigni tempeſtate, et in ſe, etiam tacente hiſtoria, perquam opinabile eſt, et ex loco Ps. LXXVII. 17 ſq. quantumvis poëtico, certiſſime efficitur. Ac in Jordanis diviſione idem accidiſſe, quis ſit tam difficilis ut admittere recuſet? Itaque ſenſus hic eſt: cum in horrenda tempeſtate invehereris ad fluvium, ad mare increpandum; unice id factum eſt ad ſalutem populo tuo praeſtandam. Neque huic ſententiae quidquam officit, ſi locum habere debeat lectio ומרכבותיך, cum praefixa copula, quam nos quidem defendere

 nulli

nulli dubitamus, quod et teſtes habeat, praeter codices apud Kennicottum haud paucos, Alexandrinum, Vulgatum et Syrum interpretem, et omiſſae copulae ratio probabilis intelligi poſſit haec, quod ſupervacanea videri poterat librariis. Hac igitur lectione poſita eundem plane habebis verborum ordinem, qualis conſpicitur Hos. XI. 1. כי נער ישראל ואהבהו. conf. celeberr. Schroederi Syntax. reg. CIX. 23.

Vers. 9 formula עֶרְיָה תֵעוֹר קַשְׁתֶּךָ ad verbum ſic vertenda: *tanquam nudum quid excitatus eſt arcus tuus.* Poſſis etiam, ſi ita videatur, pro תעור ſumere תְעַר, hocque ad radicem ערה referre, ut ſit תְּעַר *nudaſti.* Nec tamen opus eſt hac mutatione, quam codices parum adjuvant, qui mira fere conſtantia omnes hic exhibent תעור, haud enim infrequens eſt Hebraeis, voces diverſas quidem ſed litteris vicinas conjungere. Reſpicitur autem, obſervante cl. Schroedero, ad morem veterum, arcum, dum otioſus eſt, in theca recondendi, qualis dicta eſt Graecis *γωρυτος*, Latinis corytus, Arabibus autem مغوس vel لحاف, unde *nudare* arcum idem eſt ac depromere, prouti Eſai. XXII. 6. ערה מגן dicitur, *nudavit* clypeum, i. e. prehendit aptavitque; et Arabibus quoque عُرْيَان nudus uſurpatur de gladio ſtricto, evaginato. Quae ſequuntur verba, שְׁבֻעוֹת מַטּוֹת אֹמֶר inſigni obſcuritate laborant. In antiquis verſionibus nihil hic certi adjumenti ſuppetit, quod et ipſae obſcurae ſint, et praeter vulgatam lectionem haud quidquam exhibeant, niſi quod Graecus aliquis habet, *ἐξεγερθη το τοξον σου, ἐχορτασας βολιδας της φαρετρας αὐτου*, unde Houbigantius lectionem efficit שבעת מטות אשפתו, mutans tamen ex ſua auctoritate אשפתו in אשפתך,

Bahrd-

Bahrdtivs vero שִׁבְעַת מַטּוֹת אָצְרְךָ, putans', אוצר apothecam haud incommode uſurpari poſſe ad ſignificandam pharetram. Senſus, quo haec verba plerumque accipi ſolebant, *exiſtunt juramenta tribuum* (i. e. tribubus data) *et promiſſio*, tam eſt exilis et languidus, atque ab orationis ſerie alienus, ut mirum videri haud poſſit, minus eum ſatisfeciſſe recentioribus interpretibus, quorum proinde alii alia tentarunt ad expediendum locum difficillimum. Nos potiora tantum recenſebimus. Anonymus interpres nomini עֶרְיָה tribuit poteſtatem arabicae vocis عُرْوِيّ *imbrium vehemens effuſio*, תעור exponit ex uſu verbi arabici عَارَ, *fruſtratus eſt, repulit petentem et expectantem*, קשׁת ipſi non eſt arcus militaris, ſed coeleſtis arcus, id eſt *iris*, שׁבעות jusjurandum ſynecdochice pro *ſigno ſanctionis* dictum eſt, מטות eſt participium Hiphil verbi נטות, et tandem אֹמֶר *promiſſio*: unde haec loci verſio exoritur, *pluviarum effuſione ignominia afficis arcum tuum coeleſtem, hoc ſanctionis ſignum, quod demittit promiſſionem* (olim Noacho datam) — quae ſi placuerint aliis ut ingenioſa, poëtica, pulchra; nos quidem non refragabimur: noſtro qualicunque ſenſu arguta ſunt, longius petita, turgida. Ven. Herdervm ſi audias, שְׁבֻעוֹת numerale eſt, ac אֹמֶר participium verbi אמר, hoc loco *multiplicandi* ſignificationem habentis, ut ſenſus ſit: *ſeptempliciter ſagittas multiplicas*. Sed quam in verbo אמר frequentem et tritam eſſe aſſerit vir doctiſſimus multiplicandi poteſtatem, etſi arabico verbo أَمَرَ tributam eſſe haud ignoremus, vehementer tamen dubitamus ex hebraicae linguae uſu comprobari poſſe. Eundem fere ſenſum, ſed ratione prorſus alia, erueerat ven. Doederlein, qui, שׁבעות mutato in שׁבעת, vertit, *verbum tuum erat ſeptem virgae*, i. e. ſeptupli-

citer

citer (magnopere) feris inimicos tuos. Monet autem Schroedervs, אמר pro אמרך duriorem eſſe ellipſin, et pro שְׁבעת מטות rationem conſtruendi Hebraeorum potius requirere שְׂבע מטות. Ipſe cel. Schroedervs tandem locum ſic tractat, ut pro שְׁבֻעוֹת pronuntiet שְׂבֵעוֹת, praeeunte Syro interprete, qui vertit ܘܢܣܒܥܘܢ ܓܐܪܝܟ ܒܡܐܡܪܟ ܡܫܒܚܐ *et ſaturabuntur tela ad juſſum tuum glorioſum*, nec non graeco illo, cujus ἐχορτασας reſpondet voci שִׂבַּעְתָּ. Saturata autem tela monet dici ea, quae hauſto ſanguine hoſtium plena et quaſi ebria ſint, figura orientalibus admodum grata, quod vel unicus locus comprobare poſſit Devter. XXXII. 42. אשכיר חצי מדם *inebriabo tela mea ſanguine*, comprobantque praeter loca Arabum, a Schroedero commemorata, etiam haec, deprompta ex *Hamaſae excerptis* a Schvltensio ſuae editioni grammaticae Erpenianae ſubjunctis, veluti pag. 348 (edit. Goettingens. pag. 50.) ubi poëta, ſermone ad amicam converſo, ſic ait:

ذَكَرْتُكِ وَٱلْخَطِّيُّ يَخْطِرُ بَيْنَنَا

وَقَدْ نَهِلَتْ مِنَّا ٱلْمُثَقَّفَةُ ٱلسُّمْرُ

Memor tui ſum, etiam quum haſtae agitatae tremiſcunt inter nos,
et bibunt ex nobis haſtae rectae, fuſcae.

Alius pag. 352 (locum Goettingenſis editio non habet) hunc in modum:

نُشَقُّ

نَشُقُّ بِهَا رُؤُوسَ آلْقَوْمِ شَقًّا
وَنُخْلِيهَا آلرِّقَابَ فَتَخْتَلِينَا

diffindimus illis (gladiis) capita hominum, findendo, illisque pabulum damus cervices (hoſtium), ut illis paſcant ſe.

Iterumque alius pag. 438. (ed. Goetting. pag. 76) de ſemet ipſo:

يُنْهِلُ آلصَّعْدَةَ حَتَّي إِذَا مَا نَهِلَتْ وَكَانَ
لَهَا مِنْهُ عَلٌّ

potare facit haſtam, donec ſit potu expleta, concediturque illi potare adeo altera vice.

Tandem pag. 531 (edit. Goetting. pag. 114.)

مَا زَالَ مَعْرُوفًا لِمُرَّةَ فِي آلْوَغَي
عَلُّ آلْقَنَا وَعَلَيْهِمْ إِنْهَالُهَا

Non ceſſat innoteſcere Morritis in proelio hauſtus ſecundus haſtarum, eorumque eſt, primnm illis potum praebere. *)

Z 5 Formu-

[*) Addimus ex *Bohaddini vita Saladini*, edita ab *Alb. Schultenſio* 1755. ſocum pag. 127.

وشربت السيوف من دمايهم حتي رويت واكلت

Formulam מַטּוֹת אֹמֶר, *tela imperii*, exiſtimat ſignificare ejusmodi tela, quae quaſi imperium jaculantis promte exſequantur, ſintque validiſſima et alte penetrantia. Atque hanc Schroederianam interpretationem haud dubitaverimus caeteris praeſtantiorem pronuntiare: modo quae de voce אֹמֶר dicta ſunt non plane ſatisfaciunt. Etenim ex analogia atque uſu linguae מטות אמר ſunt potius tela, quae imperio ipſa funguntur, quam quae, quod imperatum eſt, ſtrenue perficiant: ea contra, quae dictis obtemperent ſuamque vim exſerant, videntur dicenda fuiſſe tela *obedientiae* vel *ſubmiſſionis*. Ill. Michaelis habet: tela tua ſanguinem hauriunt, *ut erat abs te promiſſum*. At vix credibile eſt, prophetam, ubi dicendum erat כאמרך, poſuiſſe tantum אמר, deinde et hoc ipſum כאמרך languidum videri poſſit et ſupervacaneum. — Noſtra quidem ſententia difficultas omnis tolli poſſit fere hac ratione. Ps. LXVIII. 12. qui locus in eodem plane argumento verſatur, clarum eſt vocem אֹמֶר ſignificare nuntium de reportata ab hoſtibus victoria, atque adeo carmen triumphale. Verba igitur ſic reddimus: *depromſiſti arcum*, *ſaturata ſunt tela*, *canitur triumphus*. Nulla nunc ellipſis niſi ſolius verbi ſubſtantivi, quod vel in plana humilique oratione haud infrequenter omitti conſtat. Senſus eſt integer et congruens, dictionis mira brevitas haud mediocrem habet vim et gravitatem. Sed quae ſuperſunt hujus commatis verba pertinere magis videntur ad ſubſequentia, et ſtichorum diſtributio poſſit eſſe haec:

עריה

واكلت اسد الوغي باسنان الظفر منهم

حتي شبعت de ſanguine eorum biberunt tum gladii, donec inebriati forent: leonesque praeliorum dentibus victoriae ad ſatietatem usque de iis comederunt.]

עריה תעור קשתך
שבעות מטות אמר כלו[illegible]:
נהרות תבקע ארץ
ראוך יחילו הרים:

Verba נחרות תבקע ארץ non uno modo accipiuntur ab interpretibus. Plerique ארץ dictum putant pro בארץ, ut eſt Job. XXVIII. 10 בַּצּוּרוֹת יְאֹרִים בִּקֵּעַ Ill. Michaelis peculiari ratione ſic reddit: fluvios fidiſti, ut terra conſpiceretur: quae quomodo hebraicis reſpondeant, nos non perſpicimus. Cl. Schroedervs putat, verborum ſtructuram talem eſſe, qualis Arabibus plane familiaris, Hebraeis haud prorſus infrequens eſt, qua nomen plur. foemin. quod rem denotat, non perſonam, verbum ſibi jungit ejusdem generis ſingulare. (vid Schroederi *Syntax.* reg. LXII. IV.) Nobis nomen ארץ videtur primo caſu poſitum eſſe, hoc ſenſu: terra fidit fluvios, h. e. fiſſa, terra effudit tantam aquae copiam, ut fluvii inde naſcerentur. Cave autem haec dicta putes de aqua olim ex fiſſa rupe emiſſa Exod. XVII. 6. Numer. XX. 11. Hoc enim ſi ſpectaſſet vates; omnino non erat vox ארץ ſubſtituenda in locum vocis צור vel סלע. Noſter certe is non eſt, qui vocabulum rei geſtae proprium, idque obvium, repudiaret quaſi, et ſubſtitueret aliud, quod aptum eſſet ad rei ſtupendae magnitudinem minuendam, ac fere omnem tollendam. Ad maris autem Jordanisve diviſionem haec referre, non ſinit verborum ſtructura et ſignificatio. Schroedero *flumina perrumpentia* imago ſunt Iſraëliticorum agminum, facta in Cananaeam invaſione totam eam perrumpentium, *montes* vero *concuſſi* emblema ſuſtinent regnorum ejusdem provinciae brevi labefactorum everſorumque: quae nobis videntur ingenioſa magis eſſe quam clara

et

et certa. Nos ſi quidquam videmus, dixerimus, etiamnum ſermonem verſari in deſcribendo itinere agminis Iſraëlitici per deſerta arabica, duce et rege Jehova. In eo eſt vates, ut, quoquo ſe convertiſſet Jehova, timoris omnia plena facta eſſe ediſſerat. Maximi igitur conſummatique terroris imaginem ut exhiberet, fingit, naturam adeo univerſam penitus concitatam fuiſſe et perturbatam; terram fluvios, ubi nulli eſſent, effudiſſe; montes contremuiſſe; coelo imbres delapſos eſſe; ſaeviiſſe mare turgidum. Quae ſi ſingula urgere, atque ad rerum vere geſtarum narrationem conferre atque examinare volueris; feceris omnino rem a mente et ſenſu vatis longe alieniſſimam. Neque enim in hujusmodi picturis poëticis ſingula ſeorſim quidquam valent, ſed ſunt omnia conjunctim ſpectanda, eſtque rei quaſi ſumma ſola tenenda. — Verbis ראוך יחילו הרים terrae motum indigitari, ſponte unusquisque intelligit, ſuccurritque ſimile illud Virgilii

Silvarum juga coepta moveri

Adventante Dea.

Formulam זרם מים עבר de imbribus accipimus omnia inundantibus, haud ſupervacaneum rati obſervaſſe, verbum עבר de aquae vi obruente ac inundante uſurpari quoque Es. VIII. 8 et Dan. XI. 10. 40. Ill. Michaelis reddit: inde a mari tempeſtas cum grandine ingruit, מַיִם mutato in מִיָּם (*loc. cit.* pag. 181.) In ea enim opinione eſt, agi hic de famoſo praelio, cujus narratio extat apud Joſuam cap. X. quod nos quidem aegre perſuaderi nobis patiamur. רום elliptice dictum pro לרום aut ברום, et pendet verbum נשא a nomine תהום: *manus* autem *maris* ex natura hujus loci non poſſunt eſſe niſi fluctus tempeſtate ſaeviente in altum

altum ſublati exaggeratique. Aliter quidem ven. Herdervs: *loca edita ſupplicarunt.* Sed non videtur inter *fluctus* et *loca edita* juſta eſſe conjunctio. Caeterum locus Ps. LXXVII. 17 ſq. habet quidem cum noſtro notabilem aliquam ſimilitudinem, poteſtque ex eo dicendi quasdam formas petiiſſe Chabacucus: nec tamen alius, quam qui in verbis conſpicitur, inter utrumque conſenſus eſt: nam pſalmus agit de tranſitu ſinus arabici, ad quem locus noſter nequaquam poteſt transferri.

Quae vers. 11 de *ſole ac luna in habitaculo ſuo haerentibus* dicta ſunt, ad celebrem locum Jos. X. 12 ſq. reſpicere, tantum abeſt ut perſuadere mihi poſſim, ut potius mirari ſubeat, a plerisque interpretibus potuiſſe hunc locum ad illam hiſtoriam trahi. Primo enim nomen זְבוּל, cui adfixum eſt He paragogicum, quietem in loco ſignificans ut in אַרְצָה Gen. XXVIII. 12. בָּבֶלָה Jerem. XXIX. 15. non denotat locum quemcunque, ſed eum in quo quis ſedem habet et ſuum quaſi domicilium: ſol autem ac luna, ſi currentes ſubito ſubſiſtant, atque in eodem loco haereant, dici non poſſunt remanere in ſua habitatione. Deinde refragantur vulgatae illi opinioni, quae ſtatim ſequuntur de fulminibus, agmini iter facienti lucem et quaſi diem praebentibus: etenim ubi ſol differre abitum et diutius ſolito orbem illuſtrare a Deo juſſus fuerit, langueat oportet ſplendor fulminum luce lubenter carere poteſt, qui ſolis ipſius multo majori lumine utitur. Denotat vero זבול locum illum, in quem occidens ſol deſcendere atque intrare fingitur, ut nocte ibidem peracta prodeat iterum, curſum ſuum denuo peracturus. Trita eſt Hebraeorum loquendi forma, qua ſol occidens dicitur *intrare*, בוֹא, oriens *exire*, צאת: et tentorium ſeu habitaculum diſerte ſoli tribuitur

Pſ.

Pſ. XIX. 5. Itaque ſol ac luna ſi perſtitiſſe dicantur in habitatione ſua, quid quaeſo ſignificare illud poſſit niſi hoc: abſtinuiſſe haec ſidera ab oriendo, adeoque nil quidquam lucis orbi adſperſiſſe? Atquae haec nobis quidem videntur tam plana eſſe atque obvia, ut cauſſam aſſequi haud valeamus, cur vulgatam lectionem זבולה ſuſpectam habeat ven. Herdervs, ſuffecturus in ejus locum lectionem בִּמְסִלָּה, petitam ex loco ſimili Jud. V. 20, quem autem noſtro loco diſſimillimum pronuntiare haud dubitaverimus. — In verbis, quae ſequuntur, ambiguum eſt, quo referri debeat verbum יהלכו. Sunt qui ad nomen חציך referunt, idque duplici ratione, vel ſic, ut לאור abſolute poſitum ſit, hoc ſenſu: ad lucem praebendam ibant ſagittae tuae, vel ſubintellecto ante יהלכו pronomine אשר, quod Herdero, quantum quidem conjicimus ex verſione, *ad fulgorem telorum tuorum volitantium*, viſum eſt, exiſtimanti, fictionem hic eſſe ſolis lunaeque in medio curſu ſuo ſubſiſtentium propterea, quod obſtupeſcerent ſplendorem fulminum, et quodam quaſi pudore afficerentur. Sed videtur utrumque cnnjunctum eſſe cum quadam difficultate. Et hoc quidem locum habere nequit niſi adſcita lectione בִּמְסִלָּה, cujus vero auctoritas eo profecto haud eſt, ut locum illi cedere debeat recepta lectio: neque enim ex formula Alexandrini, ἐν τῃ ταξει αὐτης, quae huic loco et Jud. V. 20 communis eſt, certo efficitur lectio במסלה, cum nomen ταξις uſurpatum ſit ab Alexandrino interprete etiam ad reddendum nomen מָקוֹם Job. XXXVIII. 12. atque hoc ſenſu non male reſpondeat voci זבול. Illud vero, quo ſtatuitur, לאור abſolute accipiendum eſſe, videtur aliquid duri ac nimis abrupti habere, dicendum enim potius erat, לְהָאִיר, vel לְהָאִיר אֶת־תֵּבֵל ut eſt Pſalm. LXXVII. 19. Minus etiam placet ratio anonymi interpretis, qua יהלכו adhi-

adhibita ſignificatione *periit*, quae eſt arabico verbo هلك familiariſſima, refertur ad ipſum ſolem lunamque, hoc ſenſu: "ſol lunaque morantur in tegumento, prae ſplendore tuarum ſagittarum (h. e. radiorum) evaneſcunt (h. e. non conſpiciuntur) prae lumine fulguris haſtae tuae." Malumus igitur ad eorum ſententiam accedere, qui יהלכו de Iſraëlitis dictum eſſe exiſtimant, vel, ſi tanti videatur dubitatio anonymi, monentis, Iſraëlitarum in proximo ſermone mentionem factam eſſe nullam, ſtatuere, imperſonaliter hic poſitum eſſe verbum יהלכו. חצים ſagittae, dictae ſunt pro fulminibus, ut Pſ. LXXVII. 18. XVIII. 15. CXLIV. 6. בְּרַק חֲנִית, fulgur haſtae, eſt ejusdem acies micans, ut Nahum. III. 3. Sunt codices apud Kennicottum, qui lectionem exhibent חניתיך, numero plurali, neque alienus ab ea eſt clar. Schroederus, uſus etiam auctoritate Syri interpretis, qui habet: in ſplendore fulgurum haſtarum tuarum. Ven. Herderus quoque in ſua verſione adhibet pluralem numerum. Sed lectio חניתיך oppido incommoda eſt: nam unius plures quidem poſſunt eſſe ſagittae, ſed idem haſtam non poteſt niſi unicam tractare. Caeterum fictionem hanc de tanta fulminum multitudine, tantoque haſtae a Deo agitatae ſplendore, ut ſolis lunaeque vicem reddens iter facientibus viam colluſtraret, inſigniter hyperbolicam eſſe, vix eſt quod moneamus. Verbi צעד, vers. 12. ſolemnis uſus in eo poſitus eſt, ut dicatur de Jehova, univerſum agmen Iſraëliticum ducente ac regente, Jud. V. 4. Pſ. LXVIII. 8. ארץ, quod dictum eſt pro בארץ, regio eſt inter Aegyptum et Cananaeam terram media, peragrata a populo Iſraëlitico, גוים gentes, hisce finibus conterminae. *Triturationem*, quae in eo poſita erat, ut grana e ſpicis extererentur, quod effici ſolebat vel jumentis in frumentum inactis, vel circumacto

tribulo,

tribulo, transferri apud Hebraeos ad ſtrages, quibus copiae hoſtiles conteruntur quaſi et comminuuntur, nota res eſt et pervulgata. Conf. Lowth. *de poëſi ſacra Hebraeorum*, pag. 122.

Quae ſequuntur vers. 13. 14. 15. cl. Schroederus refert ad illa tempora, quibus Iſraëlitarum respublica regibus uſa eſt, quam opinionem tuetur quoque ven. Herdervs: ven. Dathivs autem de expugnata a Medis Ninive interpretatur, et ill. Michaelis de capta a Cyro Babylone. Nos cum illis facimus, qui ſermonem adhuc in commemorandis rebus in Arabia, et quidem in tranſitu ſinus arabici geſtis verſari autumant. Neque nos ab hac opinione avertunt, quae contra eandem a cl. Schroedero moventur, dubia: nullam ſic temporis rationem haberi, neque credibile eſſe, quod carmen in beneficiis, quae ad antiquiora tempora pertineant, recenſendis ſubſiſtat, et quae deinceps, plurium ſaeculorum lapſu, et quae haud ita pridem in maximam populi ſalutem praeſtita eſſent, ſilentio praetermittat. Haud enim hiſtoricum agit propheta, qui res omnes eodem, quo geſtae eſſent, ordine recenſeat, ſed poëtam, qui ſuo quaſi jure utitur, legibusque, quibus ille continetur, ſeſe minus adſtrictum eſſe putat: et poſſis, ſi ita videatur, in vertendis verbis יצאת, מחצת rel. uti *plusquamperfecto* tempore quod apud Hebraeos, quibus duo tantum tempora eſſent, praeteritum complecti ſatis notum eſt. Sed nunc id maxime ſpectandum, quo redeant verba, quibus propheta uſus eſt, quae omnino habent non unam difficultatem.

Verba יצאת לישע עמך לישע את משיחך fuere qui verterent: egreſſus es ad ſalutem populi tui *unacum Uncto tuo*, praeeuntibus Aquila et verſionis quintae

tae auctore, qui teſte Hieronymo habent: *εις σωτηριαν συν Χριςω σȣ*, nec non Vulgato: in ſalutem cum Chriſto tuo. Et orationis quidem ſtructura bene fert hanc interpretationem: poſſis enim ex antecedentibus repetere vocabulum עמך, ut alterum comma eandem ſententiam exhibeat quam prius, ſed pleniorem illam ac magis definitam; cujus generis extant exempla quamplurima. Sed negari nequit, primo hoc ipſum nonnihil offenſionis habere, quod Jehova in auxilio ſuis parando comitem aliquem ac ſocium ſibi adjunxerit: deinde prorſus incertum ac dubium fore, quemnam ſocium intelligi voluerit propheta. Fuerunt quidem non recentiores modo, ſed antiquiores etiam interpretes, qui Unctum Dei putarent eſſe Jeſum, ſalutis noſtrae auctorem, velut auctor ſextae editionis teſte Hieronymo vertit, *εισηλθες τȣ σωσαι τον λαον σȣ δια Ιησȣν τον Χριςον σȣ* (l. *δια Ιησȣ τȣ Χριςȣ σȣ.*) at alienum hoc eſt ab univerſi carminis ratione atque argumento, in quo nihil eſt, quod talem ſententiam juvare et commendare poſſit. Malumus igitur cum Dathio משיחך ut ſynonymum accipere *τȣ* עמך. Etiamſi enim populus Iſraëliticus vere unctus haud eſſet, uncti tamen nomine ornari recte poterat propterea, quod eſſet ex univerſa populorum multitudine delectus a Deo ipſique dicatus conſecratusque: conſecratio autem cum peragi ſoleret antiquiſſimis temporibus ungendo; fieri facile potuit, ut permutarentur nomina Sacri atque Uncti, et hoc de illis etiam uſurparetur, qui ſacri eſſent et haberentur, etiamſi locus haud fuiſſet unctionis ſolemnitati. Sic Ps. CV. 15 tres primarii Iſraëlitarum patriarchae dicuntur משיחי יהוה, *Χριςοι*, non quod uncti, ſed quod Jehovae cari ſacrique eſſent. Ps. XXVIII. 8. משיח יהוה aeque poſſis de ipſo populo intelligere, ac de populi rege. Ebr. XI. 26 *τον ὀνειδισμον τȣ Χριςȣ* idem eſſe

 ac

ac *τον ὀνειδισμον τȣ λαȣ τȣ Θεȣ* (vers. 25.) affirmarunt complures iique praeclari interpretes, et eſt omnino hic ſignificatus loco illi convenientiſſimus. Quibus accedit hoc, commemorari a Montefalconio veterem aliquem graecum interpretem, qui משיחך reddit *τȣς ἐκλεκτȣς σȣ*. Neque vero probamus Greenii conjecturam, exiſtimantis, particulam את tollendam eſſe ſuo loco atque ad ſequens nomen ראש admovendam: nam רשע, quod eſt nomen actionis, ſequitur hic conſtructionem verbi ſui finiti, ut Eſai. X. 9 רֵעָה אֶת יְהוָה (vid. celeb. Schroederi *Syntax.* reg. LXXXVI. et Glassii *philolog. S.* pag. 125 *ed. Dath.*) Nec eſt cur משיחך permutetur cum משיחיך, quod Houbigantius ſtatuit, neque averſatur ill. Michaelis. Alexandrinus quidem uſus eſt numero plurali, *τȣ σωσαι τȣς Χριςȣς σȣ*, quod teſtatur Hieronymus, et confirmat verſio arabica, facta ex Alexandrina; eſtque, ut diximus, alius quidam graecus interpres, qui habet *ῥυσαϑαι τȣς ἐκλεκτȣς σȣ*, nec codices plane deſunt qui exhibeant lectionem משיחיך. Sed primo hi ſunt oppido pauci; deinde interpretes illi potuerunt משיחך pro collectivo nomine accipere; et receptam lectionem tuentur praeter Chaldaeum, Syrum et Vulgatum, Aquila, Symmachus, Theodotion, cum V. et VI editione.

Quae ſequuntur verba מחצת ראש מבית רשע ערות יסוד עד צואר vertit clar. Schroederus: quasſaſti caput de domo injuſti, nudando fundamentum usque ad collum. Eandem rationem ſecutus eſt ven. Herderus. Vtrique videtur imago deſumta eſſe ab aedificio, cujus faſtigium disjectum, et fundamentum adeo ad iina usque nudatum ſit. In hac vero interpretandi ratione obſtat praecipue vocabulum צואר, collum, quod quo ſenſu tribui poſſit aedificio, non facile

facile intelligitur. Herdervs quidem videtur uti velle lectione צור, rupes cui fundamentum ſuperſtructum, quam poſt Cappellvm Houbigantivs quoque commendavit Greenivsque. Sed hoc non permittit auctoritas veterum verſionum, in confirmanda hodierna lectione conſpirantium: etenim Alexandrinus habet *ἕως τραχηλȣ*, Vulg. usque ad collum, Syrus ܥܕܡܐ ܠܨܘܪܐ, Chaldaeus עַל צַוְרֵי סָנְאֵיהוֹן, Theodotion et quinta: usque ad collum. Quamobrem Schroedervs, ſervata lectione צואר, interpretatur de collo aedificii improprie ſic dicto, h. e. de parte ejus, quae capiti ſeu faſtigio proxima ſit, atque ideo fundamento, ſeu parti infimae, directe opponatur. Enimvero quis non ſentiat, perverſum fere loquendi modum tribui ſic prophetae, cui dicendum potius fuerat מן צואר עד ערות יסוד. Etenim in aedificio penitus deſtruendo, ſi faſtigium dejectum fuerit, deſtrui ſolet deinceps pars media, donec ad ipſum fundamentum perventum fuerit; a denudando autem fundamento initium facere, et ſurſum rem perſequi, perverſum omnino foret ac praepoſterum. Nobis ſic videtur. Certum cum ſit, utroque in loco, quo extat formula מחץ ראש, Ps. LXVIII. 22 et CX. 6. vocem ראש collective dictam eſſe de capitibus hoſtium, quae victor pedibus conculcat; non putaverimus, eandem hic alio ſenſu recte accipi poſſe. Ante vocem מבית ſubintelligendum eſt pronomen אשר, cujus ellipſis, praeſertim in ſtilo ornatiore, frequens eſt, etiam cum locum nominis recti ſuſtineat, velut Ps. LXXXI. 6 Jerem. XLVIII. 36. Thren. I. 14. Ps. LXV. 5. רשעים non ſunt mali ſceleratique homines, ſed qui injuſta cauſſa infenſi eſſent Iſraelitis. — Jam ſi verum illud ſit, agi hic de hoſtium capitibus conculcatis; imagini ab aedificio deſumtae locus ſuper-

 eſſe

eſſe omnino nequit, ſed eſt alius verborum ſenſus exquirendus. Quid vero, ſi יסוד de *fundo maris arabici* intelligendum eſſe dixerimus, nudatum a Deo remota aqua, ut ſicco pede transmigrarent Iſraëlitae, quemadmodum Pſalm. XVIII. 16 imum maris ac terrae fundamentum reteɛtum fuiſſe ſaeviente tempeſtate dicitur? ערות infinitivus eſt, poſitus loco praeteriti עָרִית, cujus generis exempla alia exhibet celeb. Schroedervs, *Syntax.* reg. LIV. Poſtrema autem verba עד צואר neceſſe eſt elliptice dicta eſſe, niſi textum ipſum aliqua ſui parte truncatum eſſe dixeris: quam vero ſuſpicionem in antiquis verſionibus nihil eſt quod ullo modo confirmare poſſit. Elliptica ſi ſint verba עד צואר ſponte legentibus ſuccurrit, dicta ea eſſe pro עַד צַוָּארָם יָם, mare illos (רשעים) obruit, coll. Eſai. VIII, 8. et XXX. 28. ubi inundatio dicitur עד צואר ad collum usque pertingere. Dixeris, admodum breve atque abruptum dicendi genus ſic tribui prophetae, neque ego diffiteor: ſed tentanda erat loci interpretatio, quam abjiciat, qui aliam, quae plus commendationis habet, propoſuerit. Eſt tamen notatu haud indignum, eſſe inter antiquos interpretes graecum aliquem, qui et ipſe ad hunc ſenſum proxime acceſſerit: habet enim, *ἑως ἀβυσσȣ της θαλασσης καταδυσονται*, quamquam hoc ſcholii magis quam juſtae verſionis ſpeciem habere videatur. Quae ſuperſunt, non videntur nobis permagna difficultate laborare.

Nomen פרזים plerumque de pagis accipitur ſeu paganis. Nos alium vocis uſum olim obtulimus, qui poſitus eſſet in deſignandis viris fortibus ſeu belli ducibus (vid. *diſſert. ad Jud. V.* pag. 11.) atque in eandem opinionem incidiſſe videmus quoque cl. Schroedervm, qui egregie monet, veteres interpretes haud quid

quidquam de pagis habere ſeu de paganis, ſed vocem פרזים ita transtuliſſe, ut heroas bellicos, duces copiarum, et praefectos militares intellexiſſe videantur. Alexandrinus habet, *διεκοψας ἐν ἐκςασει κεφαλας δυναςων.* Hieronymus: *diviſiſti in ſtupore capita potentum.* Alius graecus: *ἐξεδικησας μετα δυναμεως σȣ τȣς ἀρχηγȣς των ἁμαρτωλων.* Chaldaeus פרזים reddit גִּבָּרֵי רֵישֵׁי מַשִׁרְיָת, fortes duces exercitus Pharaonis. Syrus: perfodiſti baculis ejus capita praefectorum ejus ܪ̈ܫܐ ܕܦܠܓ̈ܘܣܘܗܝ Vulg. *maledixiſti ſceptris ejus, capiti bellatorum ejus.* In quo tam mirabili conſenſu veterum verſionum, praeſertim in loco minus claro expeditoque, de varietate iſtius ſignificationis legitimum dubium ſupereſſe non poteſt. Pronomen, in פרזיו reſpicit nomen ראש collective poſitum: ſed, quod in במטיו eſt, ſuffixum eodem referri commode nequit. Schroedervs, cum Houbigantio Greenioque, legendum putat במטך, *telis tuis*, quam lectionem ill. Michaelis etiam a ſe expectatam in codicibus fuiſſe profitetur loc. cit. pag. 183. addens tamen et hoc, nihil eam praeſidii habituram, niſi unius graeci cujusdam interpretis conſenſum, qui vertit: *μετα δυναμεως σȣ.* Caeteri igitur veteres cum in confirmanda lectione recepta conſentiant, codice etiam nullo diſſentiente, ſevanda illa eſt, et pronomen referendum ad עם ſeu משיח, ut ſenſus ſit: capita ducum Aegyptiorum baculis pertundenda tradidiſti populo tuo. Audax eſt formula, qua Aegyptiorum in mari arabico ad collum uſque ſubmerſorum capita baculis ab Iſraëlitis perforata dicuntur: ſed audacior fere, nec tamen ab hac prorſus abſimilis illa, quae extat Pſ. LXXIV. 13. 14. *Tu perrupiſti vi tua mare, fregiſti capita belluarum maritimarum ſuper aqua; Tu quaſſaſti capita crocodilorum eaque tradidiſti cibum populo, deſerticolis.*

 Reliqua

Reliqua hujus verſus verba impetum ab inſequentibus Aegyptiis in Iſraelitas factum referre nobis videntur tam diſerte, et tam congruenter narrationi hiſtoricae, ut miremur ab hoc ſenſu declinaſſe interpretes pleroſque. Refert enim hiſtoria Exod. XIV. Aegyptium, poſtquam audiviſſet, Iſraelitarum agmen converſione facta in occidentali maris arabici litore haerere, et feſtinanter inſecutum eſſe, adhibito maxime equitatu, et certiſſima ſpe fretum, fore ut facillimo negotio in poteſtatem ſuam redigeret Iſraëlitas, qui ex una parte ſinum maris, ex alia vero immenſa deſerta haberent ſibi objecta: quo et Moſis illud ſpectat, Exod. XV. 9. *dixit hoſtis: inſequar, aſſequar, dividam praedam; potiar illis; ſtringam gladium, eos ſubigam.* Itaque dicitur hic primo irruiſſe inſtar procellae, deinde exſultaſſe jam, quod inerme agmen abſumendum eſſet quaſi in receſſu, e quo elabendi via nulla ſuperſit. Sed addit propheta vers. 15. exitum a Jehova paratum eſſe facilem expeditumque, immiſſis in mare equis novo inſolitoque viae genere uſum illum eſſe — להפיצני dictum pro להפיצנו, ſeu להפיץ את עמי. Ad לאכל ſubintelligendum verbum הָיָה, quocum conjunctus infinitivus, ל ſibi praexfixum habens, periphraſin facit futuri temporis: cujus rei plura ſuppeditat exempla celeb. SCHROEDERVS *Syntax.* reg. LXXXVII. pag. 392. סוסיך dictum pro בְּסוסיך, niſi malis cum Alexandrino, et alio quodam graeco interprete, pronuntiare דָרַכְתָּ. Equi autem Jehovae tribuuntur eodem quo ſupra vers. 8 ſenſu. חמר מים רבים poëtice dictum pro *imo maris*, et חמר poſitum pro בחמר. Clar. SCHROEDERVM ſi audias; inde à vers. 13 ſermo eſt de regnis quibuſdam, quae inimica eſſent Iſraëlitis, maxime Damaſceno et Aſſyriaco, funditus Jehovae beneficio everſis; vers. 14 videtur ipſi cogitaſſe propheta de ingenti et miraculoſa illa ſtrage,

ſtrage, qua Deus numeroſiſſimum Aſſyriorum exercitum in Judaea ſub regno Hiskiae deleverit 2 Reg. XIX. 35. mare autem vers 15 improprio ſenſu ſumendum de imperio vaſto, populoſo, opibus abundante, ſed ſimul ſuperbia tumido, irrequieto, et cuncta quaſi abſorbere minante, quale praeſertim fuerit ampliſſimum illud Aſſyriacum; hujus igitur vim et ferociam Deum ſuis quaſi tonitrubus et fulminibus compeſcuiſſe atque edomaſſe. — Quae quamvis docte atque ingenioſe exornata eſſe haud negaverimus, nobis tamen haud valde ſatisfaciunt, qui malumus exiſtimare, prophetam liberiore atque ad rerum geſtarum ſeriem minus adſtricto ſermone uſum eſſe, quam arguto et paene aenigmatico.

Vers. 16 redit tandem, unde vers. 2 digreſſus eſt, propheta. Pro eo, quo ſupra uſus eſt, verbo יראתי, aliam eamque graviorem hic locutionem ſubſtituit, *contremuerunt intima mea.* Ad vocem לקול ex antecedentibus ſubintelligendum אשר שמעתי. Formulam צללו שפתי ut duram atque incongruam vituperat ill. Michaelis, ratus, loco שפתי ſcribendum fuiſſe אזני, *aures meae.* Verum eſt, tinnitum de labiis dictum inſolentius quid habere, de auribus contra uſitatum eſſe et pervulgatum: at hanc ipſam ob cauſſam parum credibile eſt, lectionem אזני, obviam illam et longe facillimam, tranſire unquam potuiſſe in difficiliorem שפתי. Sed et labiis tinnitus tribui poterat haud prorſus abſone, quod, quum quis horrore corripitur, palpitant colliduntur que labia, atque ſonum aliquem edunt; non quidem vere tinnientem, ſed qui tinnire dici poſſet vel poëtice, vel quod proprio verbo lingua careret. Verba יבא רקב בעצמי videntur nobis hunc ſenſum habere: terror artus omnes adeo occupavit enervavitque, ac ſi oſſa tabe eſſent eroſa. Sed de lectione

ctione רקב haud vana ſuſpicio oritur: omnes enim veteres interpretes, praeter Vulgatum, legiſſe videntur רֹגֶז: Alexandrinus habet, *και εισηλθε τρομος εις τα ὀϛα μȣ*, alius quidam graecus, *ἀνεδυ τρομος εις τα ὀϛα μȣ*, Chaldaeus utitur nomine זִיעָא, et Syrus nomine ܙܘܥܐ, quod utrumque tremorem ſignificat: codices etiam nonnullos lectionem רגז habere affirmat ven. Herdervs; nos autem praeter unum Regiomontanum, qui in margine eam adſcriptam habet teſte Lilienthalio (*comm ntat. crit.* pag. 363.) cognitum habemus nullum. Sed receptam lectionem recte defendiſſe nobis videtur cl. Schoedervs ita, ut doceret, haud difficulter intelligi, quomodo lectionis illa varietas nata ſit: etenim cum modo praeceſſerit verbum רגז, et mox idem verbum recurrat, facile fieri potuiſſe, ut nomen רֹגֶז vel calamo librarii ſubreperet, vel obverſaretur animo interpretis. Addimus hoc: alieniorem videri ab ingenio Chabacuci, haud ſane tardo ſterilique, ejusdem vocis continuam repetionem in ejusmodi loco, ubi ſermonis varietas difficultatem non habebat. In formula ותחתי ארגז (pro ובתחתי) conſtructionem eſſe putamus, quae praegnans grammaticis dici ſolet (Schroed. *Syntax.* reg. LXXXII.) ut ſenſus ſit: contremui et in loco meo defixus haereo, ut pedem proferre haud poſſim. Haud inepta eſt opinio Greenii, reſtituendam eſſe lectionem hoc modo, וְתַחְתַּי תִּרְגַּז אֲשֻׁרָי, *et ſubter me contremuerunt pedes mei*, qualis conſtructio verbi ſingul. foemin. cum nomine plur. maſcul. אשורים extat etiam Ps. XXXVII, 31. Et teſtem quidem ipſe affert Alexandrinum interpretem, qui habet, *και ὑποκατωθεν μȣ εταραχθη ἡ ἑξις μȣ.* Sed haec verſio nobis non videtur talis eſſe, ex qua lectio, qua interpres uſus ſit, certa ratione effici poſſit. Sive enim valeat formula

mula ἡ ἕξις μου, *corpus meum*, ſive altera illa, ἡ ἰσχυς μου, quam Hieronymi verſio ſequitur: *ſubter me conturbata eſt fortitudo mea*, nec non Arabis قلقت قوّتي فيّ *commotum eſt robur meum in me*; neutra exacte reſpondet hebraico אשרי, nec quae a Greenio ex conjectura ſubſtituitur formula, *τα ἰχνη μου*, unquam adhibita eſt a graeco interprete ad reddendam vocem אשרי. Itaque ſenſum magis qualemcunque quam verba ipſa, reddere voluiſſe videtur Alexandrinus, nec quo ipſe utitur pronomen μου argumento certo eſſe poteſt, in hebraico quoque ipſius codice extitiſſe אשרי. Praeterea recepta lectio adſentientes habet interpretes reliquos, eſtque contextui orationis valde apta, ſi vertatur: *qui* vel *quod manere debeam uſque ad tempus calamitatis*. Proxima verba elliptice poſita ſunt, atque ſic explenda: ליום עלות לעם אשר יגודנו *ad tempus, quo imminebit contra populum* meum *qui eum invadet*. Verbum עלה alias quoque uſum habet militarem, et de expeditione bellica dicitur 1 Sam. VII. 2. 2 Sam. V. 17. 19. Jerem. L. 3. al. De verbo יגודנו copioſe ac diligenter diſputat cl. Schroedervs, cujus ſententia huc redit: radicem גוד, ad quam referatur יגודנו, ſtatui hic propterea non poſſe, quod quae ex chald. dialecto ipſi tribuatur, ſignificatio ſecandi, incerta ſit ac dubia, arabicumque uſum ſibi habeat contrarium, quo quidem verbum جدّ eandem cum hebr. גדד notionem habeat, جاد autem aliam, toto coelo diverſam, nempe fundi, et quidem fluxu copioſo, velut quum copioſa pluvia effunditur: mutatis itaque punctis ſtatuendam eſſe formam יגודנו, vel uſitatiore ſcribendi ratione, יגדנו, Maſora etiam ſic praecipiente, quae ad Genes. XLIX. 19 perhibeat

 vocem

vocem duobus locis occurrere, altero plene, altero defective ſcriptam. Quibus nos addimus hoc: Maſoram ſibi ipſi non optime conſtare, quod edita quidem praecipiat, noſtro loco ſcribendum eſſe יגדנו, manuſcripta autem, teſte Joh. Henr. Michaelis (in var. lection. editionis ſuae Bibl hebr. Halens.) exigat יגדנו. Ex quo ſimul intelligitur, quomodo factum ſit, ut in ſcriptione יגודנו tam conſtanter conſentiant codices Kennicottiani omnes, praeter duos, qui יגדנו exhibent.

Verſus 17 totus eo redit, ut quae modo breviter dicta eſſent de tempore calamitoſo, deque vaſtitate, a Babylonio patriae inferenda, copioſius nunc ob oculos quaſi ponantur. Tranſitus itaque hic eſt: *etenim tempus erit, quo ficus non germinabit, vitiumque nullus erit proventus* etc. hoc eſt, quo tota terra vaſta erit atque inculta, incolis omnibus, ovibus etiam armentisque ab hoſte abſumtis abactisve. — In ſingulis phraſibus nihil eſt quod illuſtratione magnopere egeat. De conſtructione, qua שדמות nomen plur. foem. junctum ſibi habet verbum ſing. maſc. vid. celeb. Schroederi *Synt.* reg. LXII. vel venerandi Storrii noſtri *Obſervatt.* pag. 381. Verbum גזר, quod tranſitivum uſum habere ſolet, poſitum hic eſt imperſonaliter, niſi malis cum Schroedero uti analogia linguae arabicae, in qua intranſitive etiam dicitur جزر الماء, *exciſa eſt aqua.*

Mox animum viresque reſumit propheta, Dei unius, ut par eſt, praeſidio fretus, certiſſimusque, effecturum eſſe Jehovam, ut ipſe pericula evadat, inque tuto loco collocatum ſe eſſe ſentiat. Verba אעלוזה, אגילה optative poſita ſunt, ut Ps. IX. 3 אשמחה ואעלצה בך *laeter et exſultem in te.* (vid. Sehroe-

Schroederi *grammat.* reg. CLXV. pag. 163.) Locutiones, *reddet pedes meos veloces ut cervarum, et juvabit me loca edita aſcendere* factae ſunt procul dubio ad ſimilitudinem loci Ps. XVIII. 34. unde etiam nata hic eſt quaedam lectionis varietas, codicibus nonnullis loco יַדְרִכֵנִי, habentibus יַעֲמִידֵנִי, quoniam librariis in animo obverſaretur formula illa Davidica.

Poſtrema verba למנצח בנגינותי ad ipſum carminis contextum referunt antiquiores interpretes, quos e recentioribus ſequitur ven. Dathe, qui vertit, *ut meis carminibus eum laudare poſſim*, adſcita lectione לְנַצֵּחַ, ex auctoritate Alexandrini Syrique interpretis, et adhibita ſignificatione laudandi et celebrandi, quam in ſyriaca lingua habeat verbum נַצַּח. Huic ſententiae obſtare nobis videntur haec, primo quod extra dubitationem poſita non eſt, quam verbum ſyriacum habere perhibetur, ſignificatio laudandi: deinde, quod durior videatur omiſſio pronominis אותו. Schroedervs exiſtimat, verbis למנצח בנגינותי deſcribi formulam muſicam, quae, ut alias ſit in fronte carminis poſita, veluti pſalmo quarto, ſexto al. ad calcem quoque reponi potuerit. Sed cum ſentiat, minus commodum eſſe ſuffixum primae perſonae, haud alienus eſt a lectione בנגינותיו, quod Alexandrinus habeat, *τȣ νικησαι ἐν τη ὠδη ἀυτȣ*, et Syrus: *ut canam laudes ipſius.* Nos ſimiliter putamus, clauſulam eſſe, quae ad contextum ſermonem haud pertineat: in hoc enim ſi incidiſſet vates, celebraturum ſemet eſſe carminibus ſuis Jehovam, non videtur rem tam paucis abſolvere potuiſſe. Sed ut a recepta lectione recedamus, permovere nos hic non poteſt auctoritas veterum, quos dixeris magis loco qualitercunque perfungi, quam juſtam et accuratam formulae hebraicae verſionem dare voluiſſe. Nobis ſic videtur. Sunt codices haud pauci,

ci, qui defectivam ſcriptionem exhibent בנגינתי; poſſis hanc pronuntiare בִּנְגִינָתִי, ut Jod nunc non ſit pronomen, ſed mere paragogicum, ut Thren. I. 1 רַבָּתִי pro רַבָּה, adeoque בנגינתי plane idem ſit cum formula על־נגינת Ps. LXI. 1. At poſtrema haec verba non magis putamus ipſius prophetae eſſe, quam quae in fronte carminis poſita ſunt: quapropter et de his non videtur eſſe magnopere laborandum.

Supereſt verſio latina carminis.

2. *Jehova, audivi effatum tuum, timore perculſus ſum.*
Jehova, opus tuum intra illud tempus ſerva;
intra illud tempus adſis,
indignationem tempera miſeratione!

3. *Deus ex Themane venit, et Sanctus de monte Pharan;*
texit coelum ipſius magnificentia, ejusque laude repleta eſt terra.

4. *Et ſplendor ceu ſolis ſplendor erat; radiis ab eo emicantibus:*
ſed utebatur velamine gloriae ſuae.

5. *Ipſum praeceſſit peſtis,*
venerunt alites poſt eum.

6. *Subſtitit et dimenſus eſt terram, reſpexit et diſſolvit gentes,*
et diſſilierunt montes antiqui, ſubſiderunt colles priſtini;
priſtinis ipſe viis inceſſit.

7. *Dolentia vidi tabernacula Cuſchan,*
trementia tentoria terrae Midian.

8. *Flu-*

8. *Fluvioſne petit, Jehova, fluvioſne petit ira tua? num mare aeſtus tuus? cum inveheréris equis tuis, currus tui venere auxilio;*

9. *Nadando excitatus fuit arcus tuus, ſatiata ſunt tela, triumphus canitur.*

10. *Fluvios effudit terra; videntes te trepidarunt montes; imber omnia inundavit; manibus in altum ſublatis.*

11. *Sol, luna ſubſtitit in ſede ſua; ad lucem telorum tuorum iter factum eſt, ad ſplendorem fulgurantis tuae haſtae.*

12. *Indignabundus pervadebas terram, iratus triturabas gentes.*

13. *Profectus es ad ſervandum populum tuum, ad ſervandum tuum unctum. conculcaſti capita eorum qui erant de gente iniqua, nudaſti imum* (maris), *ad collum* (aqua pertigit.)

14. *Pertudiſti baculis tuorum capita ducum ejus: turbinis inſtar irruerant, ad me diſſipandum, exſultabant abſumturi inopem in receſſu.*

15. *Immiſiſti in mare equos tuos, in lutum aquae copioſae.*

16. *Audivi et contremuere intima mea, ad vocem iſtam tinnivere mea labia, pervaſit tabes oſſa mea, contremiſco, loco affixus, quod manere debeam uſque ad tempus calamitatis, donec veniat contra populum* (meum), *qui eum invadat.*

17. *Etenim ficus haud germinabit, nec erit proventus in vitibus,*
fallet fructus oleae, et arva non ferent fruges,
Exciſum erit ex caula pecus, armentum non ſupererit in bubilibus.

18. *Ego vero per Jehovam exſultem,*
tripudiem per Deum ſalutis meae auctorem!

19. *Jehova Dominus eſt robur meum,*
et reddet pedes meos veloces ut cervarum pedes,
et loca mea edita aſſequi me juvabit.

XIII.

OBADIAS.

Argumentum carminis prophetici, quod tractare ſuſcipimus, eſt hoc: Oratione ad Edomitas converſa, vates genti ſuperbiam nimiamque in montanis arcibus, quas inexpugnabiles putet, confidentiam acriter exprobrans, diram terrae everſionem vaſtitatemque indicit, a Jehova decretam propterea, quod Iſraëlitico populo, ſanguinis etiam vinculo ſecum conjunctiſſimo, quum a barbaris copiis oppreſſus miſere haberetur, atrociter inſultaſſet, multiplicesque injurias intuliſſet: itaque et ipſi nunc tempus excidii eventurum, judaicum contra populum ad priſtinam dignitatem rediturum, quin cum potentiae et gloriae gradum conſecuturum eſſe ut cum alias gentes complures, ſibi antea infenſas, tum maxime Edomiticam, imperio ſuo ſubjiciat, Jehova civitatem ſuam moderante, modisque omnibus exornante.

Obadias autem propheta quis fuerit, quo loco natus, quibus parentibus editus, quonam vitae genere, qua conditione uſus fuerit, cum haud quidquam de eo litteris proditum ſit, nos penitus latet. Haud quidem deſunt in antiquioribus de judaica hiſtoria commentariis, qui hoc ipſo Obadiae nomine inſigniuntur, viri nonnulli memorabiles, velut 1 Reg. XVIII. 3 Obadias, qui apud Achabum, regem Iſraeliticum, primario quodam munere aulico fungens, centum Jehovae miniſtros furori reginae ſubduxit, et quinquagenos in ſpeluncis abditos ſuſtentavit; 2 Chron. XVII. 7.

Obadias,

Obadias, unus e viris primariis, quos populum in vera religione inſtituere juſſit rex Judaeorum Joſaphatus; et 2 Chron. XXXIV. 12. Obadias, qui anno Joſiae regis decimo octavo praefectus erat operariis, aedem Jehovae negligentius antea habitam reficientibus. Sed hoc *Obadiae* nomen, quod *Jehovae cultorem* ſignificat, cum ſit ejusmodi, ut non potuerit non frequentiſſimi uſus eſſe apud Judaeos, quemadmodum Arabibus ſimilis appellatio عبد الله, *Abdollah*, perquam familiaris ac trita eſt; quis quaeſo, niſi mirifice credulus, ex ſolius nominis convenientia putet probabiliter ſe efficere poſſe hoc, Noſtrum non alium niſi quempiam ex eorum, quos diximus, numero eſſe debere? Nec tamen aliam niſi hancce leviſſimam rationem habere videtur vetus illa opinio Judaeorum, quam ſuo modo a ſe exornatam ſic refert Hieronymus: 1) *Hunc ajunt eſſe Hebraei, qui ſub rege Samariae Achab, et impiiſſima Jezabel pavit centum prophetas in ſpecubus, qui non curvaverunt genu Baal, et de ſeptem millibus erant, quos Elias arguitur ignoraſſe, ſepulchrumque ejus usque hodie cum mauſolaeo Eliſaei prophetae et baptiſtae Johannis in Sebaſte venerationi habetur, quae olim Samaria dicebatur. — Hic igitur, quia centum prophetas alu rat, accepit gratiam prophetalem, et de duce exercitus fit dux Eccleſiae.* Alia his non abſimilia perhibet auctor libri *περὶ τῶν προφητῶν πῶς ἐκοιμήθησαν, καὶ ποῦ κεῖνται*, qui extat in *Epiphanii* operibus: *Αβδίας ὁ προφήτης. οὗτος ἦν ἐκ τῆς Συχὲμ, ἐξ ἀγροῦ Βηθαχάμαρ. οὗτός ἐστιν ὁ τρίτος πεντηκόνταρχος, οὗ ἐφείσατο Ηλίας ὁ Θεσβίτης, καὶ κατέβη, καὶ ἦλθε πρὸς τὸν βασιλέα μετα δὲ ταῦτα ἀπολιπὼν τὴν βασιλικὴν αὐτοῦ τάξιν, προσεκολλήθη τῷ προφήτῃ*

1) in Commentario ad Abdiam, vers. 1. editionis *Vallarſianae* tomi VI. part. 1. pag. 361.

προφήτῃ Ηλίᾳ, *καὶ ἐγένετο αὐτοῦ μαθητὴς, καὶ πολλὰ ὑπομείνας, δὶ αὐτὸν παρεσώζετο. καὶ θανὼν ἐτάφη ἐν ἀγρῷ Βηθαχάμαρ μετὰ τῶν πατέρων αὐτοῦ.* 2) Alia autem eſt Judaeorum traditio, Obadiam ortu fuiſſe Idumaeum, ſed ad Judaeorum ſacra tranſiiſſe: 3) quod ſcilicet ipſe in Edumaeos invehitur. Sed commenta haec ſunt, rationibus juſtis deſtituta: praeterea vana illa opinio, quae Obadiam prophetam eundem eſſe perhibet cum Achabi diſpenſatore aulico, conſiſtere non poteſt cum argumento carminis, quod ſane ita eſt comparatum, ut non poſſit alio quam proximo poſt everſionem urbis templique tempore editum eſſe: quod infra ſuo loco videbimus. Satius igitur eſt ignorare, quae nunc nullo modo unquam comperiri poſſunt, quam vagis atque incertis rumoribus quidquam tribuere: nec videtur ignoratio eorum, quae ad vitam auctoris pertinent, ipſius carminis intelligentiam magnopere impedire.

Caeterum aliena ab hoc loco non eſt quaeſtio: utrum haec, quae Obadiae nomine extat, oratio omnia complectatur, quae unquam ſint ab ipſo publice prolata, an ex compluribus, ab ipſo habitis, forte etiam in litteras relatis, ſed temporis injuria poſtmodum deperditis declamationibus, nonniſi ſpecimen ſit et quaſi una ex naufragio tabula? Itaque ſi ſint, quibus ad veritatem muneris prophetici divinitus oblati populo comprobandam unicum aliquod ac ſingulare oraculum ſufficere vix potuiſſe videatur, equidem non admodum refragabor: quamquam ex altera parte omni-

2) Opp. Epiphanii Tom. II. pag. 245. Pedit. etav.

3) vid. Carpzovii *introd. ad libros canon. bibl. vet. teſt.* pag. 324.

omnino haud intelligam, quid obſtet, quo minus hominem aliquando, cum animus ſenſu illatae ab Edumacis injuriae intime perfuſus eſſet, ſubito furore atque afflatu divino agitatum futura praenunciaſſe dicamus' etiamſi coeleſtem hunc mentis inſtinctum alio tempore expertus iterum haud fuerit; oraculum vero hoc apud populum eo facilius fidem inveniſſe, quo gratius illi eſſet atque ad ipſius ingenium accommodatius. Verum, haec omnis quaeſtio cum et magni momenti haud ſit, et ſenſu magis ac opinione regatur quam argumentis, non eſt cur illi diutius inhaereamus. Ad rem ipſam potius accedimus.

Verſu 1. difficultatem habent verba: שְׁמוּעָה שָׁמַעְנוּ מֵאֵת יְהוָה ut quae ad Jehovae, qui verba facere dicitur, ſermonem pertinere nullo modo poſſint: quapropter ſuſpicatur ill. Eichhornius 4) ſpuriam eſſe, et forte ex Jeremiae loco parallelo, XLIX. 7 huc translatam formulam, כה אמר ארני יהוה. Sed primo nititur auctoritate verſionum antiquarum omnium. Deinde haud intelligitur, quomodo abeſſe poſſit ſalvo ſenſu: etenim cum dubium eſſe nequeat, inde a verſu ſecundo ipſius verba recitari, conſequitur, illam, vel ſimilem aliquam formulam ex more praefigendam a propheta fuiſſe. Nec tandem eliminandis verbis כה אמר ארני יהוה efficitur quidquam ad removendam difficultatem ipſam, quae in eo poſita eſt, quod Jehovae ſermonem recitaturus vates ſuo ipſius nomine verba facere inſtituit: niſi ſublata vers. 1. formula: כה אמר ארני יהוה, eandem vel ſimilem, נְאֻם יְהֹוָה adjiciendam ſtatuas ad verſum proxime inſequentem. Quae cum ita ſeſe habeant, nihil, puto, relinquitur, niſi hoc, ut dicamus, prophetam ob vehementiorem men-

4) *Einleitung ins alte Teſtament.* III Th, pag. 312.

mentis concitationem vel ſui non bene memorem, vel ſummae concinnitatis negligentiorem, commiſcuiſſe diverſas loquendi formas, et, cum dicendum erat, שָׁמַע את דבר יְהוָה vel ſimile quidquam, eodem quidem ſenſu, ſed diverſo ſchemate, dixiſſe: *accepimus nos ex Jehova.* Apud Jeremiam autem, cap. XLIX. 14. magis etiam ſermonem turbare videtur ac fere interſecare formula שְׁמוּעָה שָׁמַעְתִּי מאת יהוה, quod ibi, non ut apud noſtrum in primo ſtatim ingreſſu adhibita, ſed medio quaſi orationis flumini inſerta eſt atque interjecta. Contra, quod Jeremias habet שָׁמַעְתִּי, eſt omnino ad proprietatem ſermonis adſtrictius, quam Obadiae שָׁמַעְנוּ, *audivimus*, quod, cur pluraliter enunciatum ſit, eſt omnino quod mireris. Alexandrinus quidem habet: *ἀκοὴν ἤκουσα παρὰ κυρίου*, Arabs autem سَمِعْتُمْ سَمَاعًا مِنْ قِبَلِ ٱلرَّبِّ, *audiviſtis* auditum a Domino: ſed haec nullus dubitem ex ingenio magis interpretum quam ex lectionis a noſtra diverſitate orta eſſe, quae ipſa ſua inſolentia ſatis ſe tuetur. Putem vero communicationem, quae eſt in verbo שָׁמַעְנוּ ſpectare, non ad alios prophetas, ſed ad populares Obadiae univerſe, qui, etiamſi effatum Dei non eodem, quo ipſe, modo audiviſſent, audiviſſe tamen et ipſi dici poterant, quatenus ad eos non minus pertinebat quam ad prophetam. Praefixum Vau in voce וְצִיר explanandi vim habet, reddendum *nempe*, innuitque commemorari nunc edicti illius divini partem aliquam praecipuam. Poſt שֻׁלָּח ſubintelligendum לֵאמֹר, quod in concitatiori dicendi genere omittere amant quam maxime vates hebraei. Verba וְנָקוּמָה עָלֶיהָ לַמִּלְחָמָה ſic reddit ill. Michaelis, ut gentium eſſe videantur, invitanti legato annuentium: ſed pertinent omnino ad legati ipſius orationem, quae, ſi unica voce קוּמוּ abſolvatur, ſubobſcura eſt, atque

 a gen-

a gentibus vix capienda: et poſtulat hoc praeterea locus parallelus, Jer. XLIX. 14. Pro עליה, ſi accuratius rem aeſtimaveris, dicendum erat, nomine ipſo adhibito, על ארום; ſed, ut ad ſimilem locum Eſai. XXVII. 3 notavimus, erat iſta aetas in ſubtiliori dicendi arte nondum ſic exculta atque exercitata, quin ſubinde recurrat, quod delicatiori aevo minus concinnum videri poſſit. Pronomen femininum ad terram reſpicit: quae deinceps ſequuntur maſculina ſuffixa, ad populum ipſum ſunt referenda. Caeterum ſenſus eſt, fore, ut exercitus hoſtilis, e pluribus gentibus coactus, adeoque numeroſior et validus, bellum Idumaeae inferat exitiabile ac luctuoſum. — ציר, quod recte ex arabico صار, *ivit*, *profectus eſt*, illuſtratur, ut nuncius dictus ſit ab eundo. Alexandrinus vertit περιοχὴν, quod Hieronymus reddit munitionem, Arabs autem, إِحْتِوَاءُ, quae vox in latina verſione polyglotta parum apte vertitur *compendium*: eſt enim *congregatio*, ut ex Gjevhario intelligas, qui in lexico ſuo haec habet: وحَوَاهُ يَحْوِيهِ حَيًّا اي جمعه واحتواه مثله واحتوي علي شي اي الما عليه hoc eſt: *verbum* حوي, *cujus futurum eſt* يَحْوِي, *act.* حَيّ, *ſi cum accuſativo conſtruatur, idem valet* جمع, *collegit, atque eundem uſum habet quoque conjugatio octava: quodſi verbum conjugationis VIII conſtruatur cum* علي, *ſignificat: cepit, comprehendit rem.* Verſio Syriaca Hexaplaris, teſte clariſſ. de Rossio, 5) habet

5) *Varr. lect. Vet. Teſt.* Vol. III. pag. 191.

habet ܘܥܘܩܬܐ, *et anguſtiam* populis miſit. In verſione Syriaca polyglotta pro ܫܡܥܐ, *rumorem* audivimus, reponendum eſſe ܣܒܪܐ, ut Ephraem habet, obſervavit cl. Spohnius. 6)

Vers. 2 verba הנה קטן נתתיך בגוים dupliciter accipiuntur. In eo quidem conſentire omnes videntur, verbum נתן intelligendum eſſe de eo, quod efficere Deus *decreverit*, velut Gen. XVII. 5. אב המון גוים נתתיך *patrem multarum gentium ego decrevi te futurum eſſe*. Sed alii, praeeunte jam Hieronymo, (qui ſenſum hunc efficit: o Edom, qui quum minimus ſis, inter omnes in circuitu nationes, et ad comparationem gentium caeterarum parvus es in numero, ultra vires erigeris ſuperbia) ad praeteritum tempus referunt, velut ill. Michaelis: *ich hatte dich zum geringſten unter den Völkern beſtimmt, du biſt ſehr verachtet*: ad futurum alii, decrevi ego, te perquam deprimi, ſeu, ut ven. Dathe eleganter: *ego te omnium gentium minimam efficiam*. Atque cum his etiam nos facimus, maxime hanc ob cauſam, quod illud ſi voluiſſet propheta, a proxime ſequenti ſententia abeſſe vix poterat particula adverſativa, ובזוי אתה. In altero igitur membro ſubintelligendum תהיה. Neque aliter Jeremias: (נתתיך) בזוי באדם, utrumque enim eſt circumlocutio ſuperlativi. 7) Igitur a plano ſenſu prorſus aberrat ven. Volborth, 8) reddens, *aber du haſt dich doch*

6) *De ratione textus biblici in Ephraemi Syri commentariis obvii, ejusque uſu critico.* Lipſ. 1786. pag. 61.

7) vid. Schroederi *inſtitut. ad fundamenta ling. hebr.* Sect. VII. reg. CII.

8) *Die zwölf kleinen Propheten aufs neue aus dem hebr. überſezt* etc. Götting. 1783. 8v.

doch ſehr gebrüſtet, quod, undenam ortum ſit, negat ſe conjicere poſſe cel. Koehlervs. 9) Nos ex arabica lingua hauſtum diximus, in qua verbum نزا valet; *extulit ſeſe ſuperbius.*

Vers. 3 cauſa additur, cur deprimendam eſſe gentem Edomiticam decreverit Jehova. In verbo השיאך ſive שׂ ſtatuas, ut ſit: *decepit te*, ſive שׁ, *extulit te*, quod cel. Koehlero placet, non abnuente, ut videtur, celeb. de Rossio, qui et codices quosdam ſuos שׂ exhibere, et Syrum hexaplarem meditum in reddendo hoc verbo Alexandrinum ſecutum eſſe teſtatur, perinde eſt: quamquam noſtro quidem ſenſu השאיך, *decepit te*, elegantius eſt atque accommodatius. Ante מרום שׁבתו ſubintelligas oportet relativum אשׁר. Sic enim poſtulat pronominis é ſecunda in tertiam perſonam tranſitus, unde שׁכני reſolvendum eſt hoc modo: *o tu qui ille es qui habitat.* 10) Sed pro מָרוֹם non dubitamus ponendum eſſe מָרוֹם Koehlervs legendum exiſtimat מֵרִים, auctoritate uſus Alexandrini, Vulgati, Arabis. Et Alexandrinus quidem habet: *ὑψῶν κατοικίαν αὐτȣ̃*, Vulgatus: *exaltantem ſolium tuum*, uterque, ut videtur, nonnihil haerens in infrequentiore ſtructura verborum: ſed arabicae verſionis auctoritas trahi huc omnino haud debebat. Editum quidem eſt in bibliis polyglottis ſic, أَيُّهَا ٱلسَّاكِنُ فِي شُقُوقِ ٱلصُّخُورِ ٱلْمُرْتَفِعَةِ مَسْكَنَهُ quod editor latine ſic vertit, *o cujus domicilium habitat in hiatibus petrarum ſublimium.* Sed

9) *Repertorium für bibliſche und morgenländiſche Litteratur.* XV Th.

10) vid. Schroederi *inſtitut. de Syntaxi pronominum.* reg. XLIII.

Sed cum perquam abſonum ſit dicere, domicilium habitare in aliquo loco; ſine dubio emendandum eſt hac ratione: *o tu qui habitas in hiatibus petrarum, cujus elatum quid eſt* (الْمُرْتَفَعَةُ) *habitaculum*: quo facto cum hebraicis verbis unice conſpirare videas arabica. — Nomen חגוים Schultensius 11) ex arabico verbo حَجَأَ, *confugit*, declarare inſtituit, ut חגוי הסלע ſint *aſyla petrarum*. Sed analogiae convenientius eſt, nomen a verbo חגה ortum illuſtrare ex uſu verbi حجا, quod ſignificat *perſtare*, *conſiſtere* in loco, unde nomen حَجًى idem eſt ac ناحية, *regio*, *tractus*. Juvat audire Gjevharium, qui voce حجا habet haec: حَجًى ايضا الناحية والجمع احجآءُ قال ابن مقبل لا تُحْرِزُ المَرْءَ احجاء البلاد ولا تُبْنَى له في السموات السلاليمُ ويُروى اعنآءُ hoc eſt: *nomen* حَجًى *denotat quoque tractum, in plur.* احجاء, *velut in illo loco Ibn Mokbeli*: non fovent virum tractus provinciarum, neque parantur pro eo, quibus in coelum aſcendere poſſit, ſcalae. *Alia autem lectio pro* احجاء *refert* اعناء (quae vox itidem tractus regionis ſignificat.) 12) Itaque

11) vid. *Animadvers. philolog. et crit. ad varia loca vet. teſtamenti*, ad Eſai. XIX. 17.

12) Liceat hic obiter tangere locum Golii in *lexico arabico*, ne fraudi ſit incautioribus. Nempe verbo حجا inter alia habet haec: حَجْوَةٌ, i. q. رَجُلٌ, vir: *ab opi-*

que חגוי סלע ſunt tractus petrarum, h. e. tractus horrentes rupibus, quales contra hoſtium incurſionem facili negotio defendi poſſunt. Quae in lexico COCCEJO-SCHVLZIANO pronuntiantur: חגה ab arab. حجي fugit unde ملتجي refugium, aſylum. Hinc חגוי in regimine fiſſurae etc. auctori probanda relinquimus. Cautius in voce explicanda verſatur ill. MICHAELIS, cujus haec ſunt verba: 13) Nihil opis linguae orientales adferunt, niſi ſuſpiceris pro حجا *confugit*, cum Aleph mobili, etiam حجأ cum quieſcente pro حجي dici potuiſſe: hoc ſi ſumas, חגוי סלע eſſe *refugia petrarum* poſſint generatim, ſive ſummi et inacceſſi hoſtibus petrarum vertices. Hoc quidem mihi veriſimile.

Vers. 4 שׂים pro תָּשִׂים, infinitivus eſt loco verbi finiti, תָּשִׂים. HOVBIGANTIVS quidem monet, veteres omnes legiſſe תשים: quaſi vero in reddendis verbis hebraicis debuiſſent interpretes contentioſe, ut de *Aquila* dicit HIERONYMVS, etiam illud imitari, quod hebrai-

opinando (ſic dictus) *Gi.* quae ſane non poſſis alio ſenſu accipere quam hoc: nomen حجوة univerſe pro *viro* dici. Sed gloſſa GJEUHARII, unde illa ducta ſunt, ita ſe habet: حَجَوْتُ بالشي ضَنِنْتُ حجا به وبه سُمّي الرجل حجوةً h. e. *verbum* حجا *ſi cum* ب *conſtruatur, idem valet quod* ضَنَنَ, inſiſtere rei, tenacem eſſe, *et qui talem ſe praebet, dicitur* حجوة. Intelligis itaque, non virum quemcunque, ſed *tenacem* aliquem ſignificare nomen حجوة.

13) *Supplement. ad lexica hebr.* Part. III. pag. 672.

hebraicae linguae ingenio proprium eſt et peculiare. Nec ill. Michaelis 14) alienus eſt a ſtatuendo, Obadiam edidiſſe תשים, quamquam nec inter Kennicottianos codices, nec inter De-Roſſianos ſit, qui hanc lectionem exhibeat. Nobis contra, ſi vel plures teſtes habuiſſet forma תשים, tamen defendenda viſa erat recepta lectio potiſſimum hac de cauſa, quod facillimus erat librarii a forma minus vulgari ad vulgarem tranſitus: quamquam et illius, maxime apud Eſaiam, copioſa exempla proſtant. — קנך nomen commune eſt, quod pertinet etiam ad verbum תגביה. Audacior hyperbole, qua inter ſtellas nidum ponere dicitur aquila, ſed et apud Arabes frequens eſt formula هو امنع من عقاب السماء, magis ille inacceſſus eſt quam *aquila coeli*. 15) *Nidum* pro arcibus munitis praeruptisque dici, vix eſt cur moneamus. Sed non alienum judicamus commemorare locum ex carmine quodam arabico, quod extat in Excerptis Hamaſae a Schultensio editae. Auctor, gente Judaeus, arcem familiae ſuae celebrans nobilem, inacceſſam, praeruptam, montem, cui illa impoſita ſit, laudat his verbis: 16)

رَسَا أَصْلُهُ تَحْتَ ٱلثَّرِي وَسَمَا بِهِ إِلِي ٱلنَّجْمِ
فَرْعٌ لَا يُنَالُ طَوِيلُ

Stabilis eſt radix ejus ſub terra, 17) *eundemque ef-*

14) *Oriental. und exeget. Bibliothek.* XX Th. pag. 164.

15) vid. Schultensius *ad Proverb.* XX. 30.

16) *edit. Schultens.* pag. 464. *edit. Goetting.* pag. 86.

17) Michaelis, *praefat. grammaticae arab. praefixae* pag. CI. vertit: *tief unter der Hölle* liegt ſein Grund etc. poëtice magis quam vere.

efſert vertex ad ſidera usque; *eſt inacceſſus, procerus.* 18)

De נשר extat probabilis diſputatio Oedmanni, 19) qui non aquilam, ſed vulturem barbatum hoc nomine deſignari vult, ſed conferenda tamen cum relatione ill. Michaelis, 20) rem nondum penitus confectam eſſe pronunciantis.

Vers. 5 ſingulae quidem voces nihil obſcuritatis habent: ſed quis verborum nexus, quis totius orationis ſenſus ſit, id vero minus clarum eſt et expeditum, maxime ob verba איך נדמיתה. Duplex autem potiſſimum verſus hujus explicandi ratio ſpectanda. Prima haec eſt, ut formula איך נדמיתה habeatur pro exclamatione medio ſermoni interjecta, reliqua autem accipiantur hoc ſenſu: multo graviorem futuram eſſe Iduinaeorum calamitatem, quam quae a furum praedonumve nocturna irruptione, vel ex volitantium turmarum ſubita incurſione proficiſci ſoleat. Ita Hierony-

18) Gagniervs in ſua editione geographiae Abvlfedae, quae poſtquam prima pars, quae de Arabia agit, typis exſcripta eſſet *Oxonii*, intercedente viri morte abrupta eſt, pag. 54 ubi caſtellum hoc, *Al. Ablak* dictum, memorat Abvlfeda, locum affert ex Jakvtio, quo magnifica, quam de ſua hac arce poëta excitat, opinio haud parum minuitur, dicit enim eam poſitam fuiſſe على ترابية من تراب *in edito terrae tumulo*, neque ex ruderibus intelligi eam admodum munitam fuiſſe. Commemorat tamen eandem, praeter Gjevharivm, Firvzabadivs quoque, eamque ex quorundam opinione ab ipſo Salomone exſtructam eſſe refert.

19) *Vermiſchte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der h. Schrift.* I Heft. Cap. V.

20) *Neue orient. Biblioth.* P. III.

ronymus in commentario: "Quod dicit, hoc eſt: ſi fures et latrones, qui de nocte domos ſuffodere conſueverunt, et rapere quae in domibus ſunt, introiſſent ad te, et abſconditi tenebris, circuiſſent domus tuae angulos, utique hoc tuliſſent quod ſibi putabant poſſe ſufficere, et aliquid in aedibus tuis, vel per ſatietatem, vel per ignorantiam reliquiſſent. Si vindemiatores introiſſent vineam tuam, et eam vel hoſtiliter vaſtare, vel a te conducti demetere cuperent, quamvis diligens eorum fuiſſet vindemia, tamen racemos vitibus foliisque caelatos, inter palmites reliquiſſent. Sed omnia hoſtes, qui ad te, Domino jubente, venerunt (ſignificat autem Babylonios et exercitum Nabuchodonoſor), inveſtigaverunt omnia ſecreta tua, et cavernas ac foramina ſpeluncarum, in quibus habitas, luſtraverunt." Ita inter recentiores ven. Dathe, Struenſee, Koehlerus; Volborthius. Altera eo redit, ut verbis הלוא ישאירו ſubſtituatur lectio לוא ישאירו, quo facto, quae interjecta dici debebant, verba in ipſam orationis compagem commode redeunt, et bene ad reliqua quadrant, ut idem nunc, qui Jerem. XLIX. 9 locum habet, ſenſus etiam hic obtineat. Atque hanc rationem ſecutus eſſe videtur Lutherus; Houbigantius vult legendum eſſe הלוא לא ישאירו; ill. Michaelis, etſi in verſione conſuetam lectionem tenendam eſſe putaverit, perſuaſiſſimum tamen ſibi eſſe profitetur, edidiſſe prophetam, לוא ישאירו, nulla interrogationis nota adjecta. Verum, ut de hoc primo loco dicamus, nos haud putaverimus, deſerendam eſſe cauſam lectionis conſuetae. Habet enim auctoritatem et codicum, quos novimus, et veterum interpretum omnium, praeter Syrum, qui reddit: ܠܐ ܫܒܩܝܢ ܗܘܘ *non relinquerent* racemationem; et confirmatur quam maxime ex ipſa orationis ſtructura et compoſitione,

tione, quae oppido ita conformata eſt, ut membrum הלוא יגנבו רים habere debeat alterum ejusdem formae, quod ipſi reſpondeat. Quapropter nec ven. Moldenhaweri 21) ſententiam probare poſſumus, exiſtimantis, litteram ה vocis הלוא ad praecedens לך pertinere, tanquam paragogicam, et legendum eſſe באו לכה לוא ישאירו — Sed illinc quoque illa ſermoni interjecta exclamatio: *o quam vaſtaberis!* videtur tam aliena eſſe atque incommoda, ut in ea vix poſſis acquieſcere. Alia igitur via tentanda ad tollendam hancce difficultatem. Nempe inter codices Kennicottianos octo ſunt, e quorum numero etiam 384. *Stuttgardianus*, qui נדמתה exhibent, unus qui נדמת; nec inter De-Roſſianos putem defuiſſe, qui eandem defectivam ſcriptionem referrent, cum in ponendis negligendisque litteris Vav et Jod mirificam librariorum inconſtantiam fuiſſe, nemini nunc porro dubium videri poſſit. Hac igitur ſcriptione ſumta, poſſis efferre נִדְמֵתָה, 22) ut habet Vulgata: *quomodo conticuiſſes*, et Syrus: ܐܝܟܢܐ ܫܠܝܬܝ, *quomodo ſiluiſti*, forte etiam Chaldaeus: quomodo fuiſti *ſopitus*, דְמִיךְ vel juxta aliam editionem, דְמוֹךְ, qui etiam Eſai. XV. 1 נדמה prius reddidit וְאִנּוּן דְמִיכִין, *et ipſi dormiunt*, alterum, וְאִנּוּן דְדִימִין eodem ſenſu, ſed variata dictione: ut igitur opus haud ſit, cum cel. Kohlero lectionem נִרְדַּמְתְּ ipſi ſupponere. Alexandrini vero *πῶς ἂν ἀπεῤῥίφης*, quod Arabs ſequitur, monente eodem, reſpondet hebraico נִדְמֵתְ — Formula autem haec אֵיךְ

21) *Ueberſezung und Erklärung der Weiſſagungen des Propheten Daniels uud der zwölf kleinen Propheten.* 1787.

22) conf. ill. Michaelis in *Supplem. ad Lexica hebr.* pag. 449. qui et ipſe verbum דמם notione *ſilendi* locis quibusdam vindicandum eſſe putat, ubi librariorum punctatorumve culpa disparuerit.

אֵיךְ נִדְמֵיתָ, verbo, ut fert uſus hebraicus, reciproce ſumto, in ipſam ſermonis compagem haud inepte quadrare videtur, hoc fere ſenſu, ſi nonniſi fures, ſi praedones nocturni te invaderent, quam egregie tecum actum foret, quam te continendi a defendendo vel lamentando cauſam haberes, ablaturi omnino eſſent quantum ſatis eſt, quantum ex una eâque ſubita invaſione auferre licet, rel.

Sed negat propheta vers. 6. ejusmodi leviore aliqua jactura perfuncturos eſſe Idumaeos, ſignificans, eam hoſtium copiam fines eorum invaſuram eſſe, quae non timide agat vel feſtinanter, ſed omnia, etiam abditiſſima, latibula ſtudioſe perquirat. Non aliena eſt Hieronymi obſervatio, qui *revera*, inquit, *ut dicamus aliquid et de natura loci, omnis auſtralis regio Idumaeorum de Eleutheropoli usque Petram et Ailam (haec eſt enim poſſeſſio Eſau) in ſpecubus habitatiunculas habet.* — Lectionem נחפשׂו, in qua veteres interpretes ac libri ſcripti conſentiunt omnes, ſuſpectam habet ill. Michaelis, nullus dubitans, reponendum eſſe נחשׂפו, *quomodo denudati erunt Eſavitae*, quod in loco parallelo Jeremias habeat אני חשׂפתי, *ego denudavi Eſavum*: quae argumentandi ratio num legitima ſit atque probabilis, alii judicent. Idem pro נִבְעוּ ſtatuit נִבְּעוּ, *reteguntur*, ex uſu linguae ſyriacae, nec non arabicae, in qua verbum نبغ idem valet quod ظهر, *conſpicuum fuit*; uſus hoc maxime argumento, quod quae verbo בעה in lexicis commentariisque tribuatur *perquirendi* ſignificatio, ex cognatae alicujus dialecti uſu nequeat comprobari. Equidem putaverim, verbo נבע *comparendi* non certius, quam verbo בעה *perquirendi* ſignificationem vindicari poſſe ex dialectis. Arabicum certe بَغَا, quod univerſe ſignificat *vehemen-*

tius

tius agere, uſurpari ſpeciatim de eo, qui acrius aliquid quaerit, extra dubitationem poſitum eſt. Audiamus Gjevharivm: عن الاصمعي وبغي ضالّتَهُ وكذلك كلّ طلبةٍ بُغاءٌ بالضمّ والمدّ وبغاية ايضا hoc eſt: *tradit Alazmai, verbum* بغي *dici quoque de eo qui quaerat errabundum ſuum animal, atque adeo univerſe de* quaerendo *uſurpari nomen* بغاء *vel et* بغاية. (quo ſenſu Abvlpharagivs voce utitur, *hiſt. dynaſt.* pag. 44. ubi Samuelem Saulo ejusque ſocio, aſinas quaerentibus, dixiſſe refert, انبيكما عن بغيتكما, *ego indicaturus ſum vobis id quod quaeritis.*) Atque inferius idem haec habet: وبغيتُ الشي طلبتُهُ يقال بغيتُ المالَ من مَبغاته كما i.e. تقول اتيتُ الامرَ من ماتاته تريد المأتي والمبغي i. e. بغيت *rem aliquam, idem eſt ac quaeſivi eam, diciturque* بغيت i. e. *quaeſivi opes quomodocunque potui, quemadmodum dicitur, aggreſſus ſum rem prout aggredi potui.* In chaldaica pariter ſyriacaque dialecto verbum בעה de eo dici qui quaerit aliquid, lexica non afferunt tantum, ſed et copioſe probant. Interim ſi quis maluerit reddere: *conſpicua evadent quae ſummo ſtudio abdita ſunt*, quomodo Syrus vertit, nec non Chaldaeus, ut monet ill. Michaelis; omnino haud video, qui contra hanc ſententiam jure obverti poſſit. — Verba, etſi praeterita ſint, futuri tamen temporis ſignificationem hic habere, inde intelligas, quod verſu proximo futura intermiſcentur, et verſu 8. ubi Vav converſivum pendet a verbo הָיָה, in membro antecedenti ſubintelligendo, de rebus eventuris ſermonem eſſe dubitari plane nequit: quod annotaſſe ſupervacaneum

neum non eſt, cum in conficiendis verſionibus non ſit ubique obſervatum.

Vers. 7 primum membrum cum Drvsio vertimus: *ad terminos usque dimittent te* (i. e. legatos tuos) *omnes tecum foedere juncti*, quod et ven. Dathe primo amplexus, poſtea repudiavit, ſubſtituens: in exilium te dimittunt, foederati tui te deceperunt; שלחוך imperſonaliter ſumto, quod duriuſculum videri poſſit. Nec cum eodem Drvsio verbum שִׁלַּח accipiendum putamus de amica honeſtaque deductione, quo ſenſu extat Gen. XII. 20 et XVIII. 16. ſed de rejiciendo repellendoque, ut ſenſus ſit: quos de petendo contra hoſtem auxilio legatos mittes, ſocii recuſabunt admittere, ſuisque finibus excedere jubebunt, metu hoſtium tuorum, quos laceſſere verebuntur. Addit propheta, alios amicorum multa pollicitando, proſperique ſucceſſus expectatione facienda incitaturos eſſe populum, et contra vim hoſtium confirmaturos, ſed hanc ipſam rem fraudi ipſis futuram eſſe atque ad exitium parandum facturam. Hoc quippe ſenſu verba השיאוך יכלו לך accipienda eſſe intelligimus ex loco ſimili apud Jeremiam, cap. XXXVIII. 22. Pro השיאוך codices nonnulli De-Roſſiani habent השׂיאוך. Alexandrinum quoque, qui vertit ἀντέστησάν σοι, concinere exiſtimant Koehlervs De-Rossivsque, praeeunte Cappello, 23) qui monet eum השיאוך accepiſſe quaſi eſſet הִשִּׂיאוּ עָלֶיךָ, nos verbi השיאוך ſenſum utcunque reddere voluiſſe dixerimus. Verbo יכלו Vav praefigunt codices haud pauci, nec non Syrus interpres: ſed bene carere poteſt oratio hac copula, atque adeo elegantius eſſe videtur aſyndeton. Vocem לחמך negligit Alexandrinus, forte quod incommoda ipſi eſſet: niſi

23) *Critica ſacra.* pag. 543. edit. Halenſis.

niſi formula ſua, *ἄνδρες εἰρηνικοί σου*, utrumque, et לחמך et שלמך, comprehendiſſe eum malis; fere ut ill. Michaelis, qui vertit: *ſie, deine beſten Gaſtfreunde, betrogen und überredeten dich, unter deinen Füſſen legten ſie einen Fallſtrick:* quamquam quid in hac verſione ſecutus ſit, cum in Annotationibus, nec bibliothecae part. XX. pag. 166. quidquam monere ipſi viſum ſit, haud certo nobis conſtat. Sed Syrus quoque לחמך adjungit ad שכמך, copula etiam interpoſita, *viri pacis tuae ac panis tui.* Certe, ſi accuſativus eſſe debeat לחמך, quomodocunque nomen מזור interpretis, ſive vulnus ac foeditatem, ſive inſidias: ea eſt conſociatio verborum, ea ſenſus inconcinnitas, quae vix cuipiam ſatisfacere poſſit. Ad illos igitur accedimus, qui ad לחמך ex proximo repetendum eſſe exiſtimant nomen אנשי, duriore quidem ellipſi, nec aliis exemplis demonſtrabili, ſed quam ipſa loci natura efflagitat: quod ſenſiſſe videtur Vulgatus, vertens, *qui comedunt tecum*, et Chaldaeus, qui habet: *veſcentes de menſa tua.* Quam vero Cappellus affert conjecturam, pro לַחְמְךָ dicendum לֹחֲמֶךָ, qui te oppugnat, frigidam eſſe ac orationis ſeriei haud aptam, recte pronunciavit Scharfenbergius; 24) haud enim de iis hic agitur qui oppugnant, ſed qui amici et eſſe debebant, et haberi ipſi volebant, quod forte eſſent mercede aliqua ab Idumaeis conducti, ut ipſis contra hoſtes militantibus ſubſidio eſſent. — In voce מזור de *inſidiis* interpretanda mirificus eſt conſenſus veterum, qui non poteſt non magnam apud nos auctoritatem habere, etiamſi ex uſu linguae non plane demonſtrari queat haec ſignificatio. Nec tamen illud ſpernendum, quod arabici verbi زار praecipuus uſus poſitus eſt in *dolo* ac *fraude*, praeſertim ea quae fit blanditiis ac rerum

24) *loc. cit. pag.* 947.

rum ſpecie. الزور الكذب, primo ſtatim loco ponit GJEVHARIVS, *nomen* زور *idem valet quod mendacium,* addens poſtea: التزوير تزيين الكذب وزورت حسنته وقومته h. e. *infinitivus ſecundae conjugationis ſignificat adornationem mendacii, diciturque de aliquo, quod* زوّر *rem, ſi, ut pro pulchra rectaque habeatur, effecerit.* Atque de hoc ipſo inſidiarum genere hunc noſtrum locum accipiendum eſſe, ex eo conſequitur, quod illis tribuuntur, quorum erat amicitiam prae ſe ferre ac bene merendi ſtudium. תחתיך poſitum pro בתחתיך, in loco tuo, i. e. tibi. In verbis poſtremis אין תבונה בו, nequaquam referendum eſt בו ad nomen מזור, quo ſenſu vix abeſſe poterat לו vel לך, additum a graeco interprete juxta exemplum Alexandrinum, *ὀυκ ἔςι σοι σύνεσις ἐν αὐτοῖς*, imitante Arabe, ليس لك فهم بهم, niſi Romani codices lectio, *ὀυκ ἔςι σύνεσις ἀυτοῖς*, praeferenda ſit. Quod Chaldaeus pro בו ſubſtituit בך, id ſane non facit, ut alia ipſum lectione hebraica uſum eſſe putemus, quod HOUBIGANTIUS voluit: ſed viſum eſt ipſi accommodare hoc ad praecedentem ſermonem: in hebraico autem בו poſitum eſt pro בעשו, oratione e ſecunda perſona in tertiam ſubito tranſeunte, quod docet

Verſus 8. in quo, quod breviter ante dictum eſt de *prudentia apud Idumaeos defutura*, repetitur et nonnihil amplificatur. Quod vero dicit propheta, futurum eſſe, ut ſapientiores omnes ablati ſint, non eum ſenſum habere debet, quod qui conſilio rerumque peritia valerent, extinguendi ſint ante excidium reipubli-

 cae:

cae: ſed poteſt verborum ſenſus eſſe hic: fore, ut omnia ab ipſis tam perverſe agantur atque infeliciter, ac ſi nullus inter eos ſupereſſet, qui conſilio rerumque uſu quidquam valeret. Et quod praeter conſilium in rebus humanis plurimum quoque valet fortitudo bellica, additur

Vers. 9. neque hanc ipſis quidquam profuturam eſſe. Theman urbs aut provincia erat Edomitica, nomen ſine dubio nacta ab Eſavi nepote, Gen. XXXVI. 11. 15. 34. poniturque hic ſynecdochice pro Idumaea univerſa. Alexandrinus, qui vertit, καὶ πτοηθήσονται οἱ μαχηταί σου οἱ ἐκ Θαιμὰν, putavit ante vocem תימן repetendum eſſe nomen גבורי. Similiter Vulgatus et Chaldaeus, qui תימן ſignificatione plagae accipiunt, et *meridiem* vertunt. למען non tam finem denotat, quam rei merum eventum. מקטל ſi reddatur, *ob caedem*, non poteſt non ſuperfluum videri ac languidum: quapropter recentiores interpretes non dubitant vocem ab antecedentibus ſejungere, atque ad ſequentem orationem referre, praeeuntibus jam veteribus, Alexandrino, Arabe, Syro et Vulgato, voci etiam מחמס copulam praefigentibus, quae, ſi genuina ſit, efficere debet, ut credamus, hancce verborum diſpoſitionem non caſu vel temere ortam, ſed ab ipſis verſionum antiquarum auctoribus profectam eſſe. Sed nobis neceſſe haud videtur, ab recepto ordine verborum recedere. Immutatis tantummodo vocalibus ponendum putamus מְקָטֵּל ſeu מְקֹטֵל, ut ſit participium iſtiusmodi conjugationis, *Paahel* ſeu *Pohel* duas perinde eſt, quae reſpondeat tertiae Arabum, habeatque vim relativae ſeu mutuae actionis. Eſt itaque מְקָטֵּל idem plane quod مُقَاتِلٌ, *vir praelio aptus.*

Gjevharius: المقاتلة القومُ الذين يصلحون للقتال

القتال, *nomen collectivum* المقاتلة *dicitur de illis qui ſunt ad pugnam apti.* Senſus: fractis copiis Themaniticis peribunt reliqui omnes, qui ad pugnam apti ſunt. Forte Themanenſes, quod reliquos bellicae fortitudinis fama antecellerent, ad primum hoſtium impetum ſuſtinendum adhibiti ſunt, vel initium oppugnandae terrae Edomiticae factum eſt a Themanenſi provincia.

Gravis haec Idumaeorum calamitas publica unde, et quonam tempore oritura, a quibus hoſtibus profectura ſit, nec diſerte declarat propheta, nec ullis indiciis notisque ſignificat. Verum ex Jeremia cap. XXVII. 2. ediſiſſe Jehovam fore, ut praeter gentes alias haud paucas Idumaei etiam graviter caſtigandi ſint a Babyloniis, duce Nabuchodonoſaro, qui Deo ſic volente omnia perfecturus ſit quam feliciſſime. Eventus quidem rei teſtimoniis claris certisque nequit demonſtrari, hiſtoria, quod omnino moleſtum eſt, nos penitus deſtituente, et ne Flavio Josepho quidem res a Nabuchodonoſaro geſtas diligenter per omnia perſequente. Sed etſi Idumaeos a Babyloniis bello petitos ac devictos eſſe, diſerte non perhibeat Josephus: extat tamen apud eundem locus perquam memorabilis, 25) qui ad rem hanc noſtram facit admodum praeclare: Τῷ γὰρ πέμπτῳ, inquit, τῶν Ἱεροσολύμων πορθήσεως ἔτει, ὅ ἐςι τρίτον καὶ εἰκοςὸν τῆς Ναβουχοδονοσόρου βασιλείας, ςρατεύει ὁ αὐτὸς ἐπὶ τὴν Κοίλην Συρίαν· καὶ κατασχὼν αὐτὴν, ἐπολέμησε καὶ Ἀμμανίτας καὶ Μωαβίτας· ποιησάμενος δὲ ὑπήκοα ταῦτα τὰ ἔθνη ἐνέβαλεν εἰς τὴν Ἄιγυπτον καταςρεψόμενος αὐτήν· καὶ τὸν μὲν τότε βασιλέα κτείνει,

25) *Archaeolog. Jud.* Lib. X, cap. IX, §. 7, edit. Havercamp.

καταςήσας δὲ ἕτερον, τȣ̀ς ἐν αὐτῇ πάλιν Ιȣδαίȣς αἰχμαλωτίσας ἤγαγεν ἐις Βαβυλῶνα. Nam quinto poſt Hieroſolymorum vaſtationem anno, qui viceſimus tertius regni Nabuchodonoſori, exercitum ipſe deduxit in Coelen-Syriam; eaque occupata et Ammonitis et Moabitis bellum intulit. Iſtis autem gentibus in poteſtatem ſuam redactis, impetum fecit in Aegyptum, ut ipſam debellaret, ac regem quidem, qui tunc regnabat, occidit; alio vero conſtituto, Judaeos, qui illic erant, iterum cepit et Babylonem traduxit. In hunc ipſum igitur annum, quintum a vaſtata Hieroſolyma, Idumaeae quoque expugnationem incidiſſe, credibile eſt et tantum non exploratum maxime eam ob cauſam, quod regi Babylonio in Aegyptum cum exercitu proficiſcenti Idumaea, Moabitas Ammonitasque inter et Aegyptum media, objacebat, nec poterat omnino intacta, aut praeſidiis non ſatis munita a tergo relinqui haec provincia. Atque hanc expugnationem eam eſſe, quam Obadias ſpectaverit, dubitationis haud quidquam habere poteſt.

Vers. 10 *cauſa* poenae praecipua indicatur breviter, ſaevities Idumaeorum erga cognatos Judaeos. חמס paſſive ſumendum de injuria, qua populus ex Jacobo oriundus affectus eſt ab Eſavi poſteris, ut Jud. IX. 24 חמס בני ירבעל, injuria qua affecti ſunt filii Jerübbaali, Joël. IV. 19 חמס בני יהודה, injuria Judaeis illata, Ps. LXXXIX. 51 חרפת עבדיך, ignominia illata tuis cultoribus. *Fratrem* propheta dicit Jacobum, ad augendam culpae magnitudinem. Quod vero *perenne* dicit excidium futurum, id ſane non eſt nimis urgendum ac ſeverius aeſtimandum. Graviſſimam quidem, eaque, quae Judaeis obtigit, fere graviorem cladem expertos eſſe Idumaeos credibile eſt ex dictis Malachiae, cap. I. 1 ſqq. Judaeorum poſt reditum

ditum ex Babylonia conditionem multo aequiorem praedicantis, quam ſortem vicinae gentis Edomiticae. Verum ex hoc ipſo loco tamen id conſequitur, et ſuperfuiſſe Idumaeos, et in reſtaurandis verbis ſuis collapſis cum ſtudio elaboraſſe. Nec poſſunt non tempore longius progrediente ad vires ſatis rediiſſe, quod Judaeos duce Juda Maccabaeo fortiter militantes hoſtiliter inſectari, ſed maximo ſuo damno, non vererentur. 26) Formula igitur נכרת לעולם paululum audacior, temperanda nonnihil eſt atque ad hunc fere ſenſum reducenda: tardius ad vires redituros, priſtinamque, qualis ante Babylonicam expugnationem fuiſſet, dignitatem ac potentiam vix unquam recuperaturos eſſe Idumaeos.

Vers. 11 commiſſae culpae et *occaſionem* et *tempus* commemorat vates haud obſcure, ſignificans, tum quum a barbaris, Babyloniis, diriperentur Hieroſolymae, Idumaeos etiam in ſocietatem ſceleris perveniſſe. Et quidem primo ex adverſo ſtetiſſe dicit, quaſi ad oculos grato aliquo ſpectaculo recreandos advolaſſent, deinde et hoſtium inſtar hoſtiliter egiſſe. Sunt qui de futuro tempore verba facere prophetam exiſtimant, quod putent, proximis verbis dehortari ipſum ab hoc ſcelere, quod, ſi crimen ipſum jam commiſſum eſſet, alienum omnino foret ac ſupervacaneum. At quis facile ſibi perſuaſerit, voluiſſe Deum, exprobrari tam graviter, et quaſi in tabula repraeſentari alienae genti eam culpam, a qua etiamnum vacua eſſet atque immunis? et quis aequus atque intelligens negaverit, ſermonem ita eſſe compoſitum, ut rem vere geſtam enumeret, haud demum futuram praedicat? Siquidem ex formula verbi בּאר clarum eſt, etiam infinitivos עמר et שׁבות reſolvendos eſſe in praeterita עמרת et שׁבר, atque ad גם־אתה ſubaudiendum הייתָ.

 Quae

26) vid. 1 Maccab. V. 3. Joseph. *Archaeol.* XII. 8. 1. 2 Maccab. X. 15 ſq.

Quae ſi ita ſint, ſi quam prophetal Idumaeis hic exprobrat feritatem Judaei tunc temporis jamjam experti fuerint; continuo etiam illud conſequitur, tempus, quo editum ſit ab Obadia hocce oraculum, ſatis certo definitum eſſe ac circumſcriptum, nempe cadere hanc orationem propheticam in illud quinquennii ſpatium, quod medium erat vaſtationem Urbis inter et Babylonii in provinciam Edomiticam impetum, atque etiam ab illa haud dubie nonniſi breviſſimo temporis intervallo abfuiſſe. Caeterum et alia loca extant, veluti Thren. IV. 21. 22. Ps. CXXXVII. 7. Ezech. XXXV. quae hanc Edomitarum erga Judaeos a Babyloniis deviĉtos depreſſosque immanitatem commemorant: ſed quae Joël habet, cap. IV. 19. et Amoſus, cap. I, 11. videntur ad gentis erga Judaeos invidiam inveteratam ſpeĉtare univerſe.

Vers. 12 et ſeqq. optime, praeeunte Vatablo, Grotio, verba futuri temporis interpretatus eſt ven. Dathe, *non debebas laetari.* — Verba enim *aĉtiva* Hebraeis nonnunquam non *aĉtum* ipſum ſignificant, ſed *debitum* magis atque *officium*, docente Glassio; 27) eſtque locus noſtro ſimillimus apud Malachiam, cap. II. 7. ubi verba שִׂפְתֵי כֹהֵן יִשְׁמְרוּ דַעַת vertenda: *Sacerdotes debebant tradere reĉtam doĉtrinam.* In voce ואל priore copulam omittunt codices haud pauci, ſed exprimunt veteres interpretes omnes, etiam Syrus, quod contra Lilienthalium caute obſervavit clar. De-Rossi. יום abſolute poſitum denotat hic, ut alias ſaepe, diem *fatalem*, et praefixum ב pendet a verbo ראה, quod proinde eſt ſpeĉtare cum deleĉtatione, ut iterum verſu proximo. כיום נכרו Alexandrinus vertit ἐν ἡμέρᾳ ἀλλοτρίων, Syrus ܒܝܘܡܐ ܢܘܟܪܝܐ, diem

27) *Philolog. S.* pag. 199, edit. novae Lipſienſis.

diem alienorum, ac ſi eſſet נָכְרִי collective poſitum. Sed nomen נכר *abalienatio* eſt, quum Deus aliquem, tanquam ſibi ingratum, averſatur et abdicat, ut Job. XXXI. 3. ubi Vulgata habet alienatio, Alexandrinus *ἀπαλλοτρίωσις*, Syrus ܢܘܟܪܝܘܬܐ, quod Arabs reddit مكروهة, *averſatio*. Pro ביום צרה monet cl. Koehlervs Complutenſem alexandrinae verſionis editionem habere *ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως αὐτῶν*, quod *αὐτῶν* adjectum eſt ad ſimilitudinem praecedentis formulae *τῆς ἀπωλείας αὐτῶν*: ſed quod idem addit, tres graecos interpretes hexaplares verba ביום צרה reddere *ἐν ἡμέρᾳ ἀπωλείας αὐτȣ̃*, feſtinantius dictum eſſe videtur; pertinet enim hoc ad formulam ביום אבדם. Pro אל תבוא Kennicottiani codices complures, nec non verſiones antiquae, habent ואל תבוא, tacente hic De-Rossio, quamquam quos eidem particulae אל proxime ſequenti copulam praefigere deprehendit, et Kennicottianos et ſuos libros ſtudioſe commemorat. בְּשַׁעַר־עַמִּי Alexandrinus incommode vertit *ἐις πύλας λαῶν*, (quemadmodum et Michae XI. 16 hebraica וחרפת עמי תשׂאו reddit, *καὶ ὀνείδη λαῶν λήψεσθε*) ex alia editione magis etiam incommode, *λαȣ̃ σȣ*. Idem pro אידם habet *πόνων αὐτῶν*, quo nomine praeter hunc unicum locum, Trommio Bielioque elapſum, non utitur ad reddendam vocem איד: ſed videtur interpres variando nonnihil exornare voluiſſe orationem prophetae, eandem formulam ביום אידו ſubinde repetentis. ברעתו vertit *τὴν συναγωγὴν αὐτῶν*, ac ſi ſcriptum eſſet בעדתו. תשׁלחנה, ad quod ſubaudiendum ידך ſeu ידיך, non ut Koehlervs habet ידיכם, forma inſolentior eſt ob litteram Nun verbum inter et ה paragogicum inſertam: niſi malis ſermonem reſolvere hoc modo: וְיָדְךָ אַל תִּשְׁלַחְנָּה *et manum tuam*

quod attinet, non debebas eam immittere, quamquam hoc duriuſculum videri poſſit. Nova atque ingenioſa ratione ill. MICHAELIS 28) verba ſic ſuadet conſtituere: ואל תשרח נָהֳב חילוֹ, vertenda: *noli exuere ſpolium exercitui ejus*, ex uſu linguae arabicae, in qua verbum سلخ eſt *extraxit*, et nomen نَهْبٌ *ſpolium*. Sed obſtare videtur vox חיל, ſenſu potius vocem בריחיו aut ſimilem requirente: neque enim agmine facto, ſed ſparſim furtimque fuga ſeſe proripuiſſe Judaei putandi ſunt. הפרק eſt ubi via in diverſa abit. Similiter uſurpatur nomen arabicum مفرق. GJEVHARIVS.

مَفْرِقُ الطَّرِيقِ وَمَفْرِقُهُ للموضع الذي يَتَشَعَّبُ منه طريق اخر, h. e. *nomen* مَفْرِقٌ *nec non* مَفْرَقٌ, *ſi ad viam refertur, ſignificat locum, unde procedit via alia.* Alexandrini formulam ἐπὶ τὰς διεκβολὰς αὐτῶν bene interpretatur Arabs علي مغازاذهم, ſed inepte hoc vertitur in Polyglottis, *ad ſaltus eorum*: eſt enim مغازة locus, ubi quis evadit. — Permagnam Judaeorum multitudinem poſt Urbem a Babyloniis vi captam Aegyptum petiiſſe conſtat: horum igitur multos in Idumaea, inter Judaeam Aegyptumque fere media, interceptos ac vel occiſos, vel in hoſtium poteſtatem redditos fuiſſe, admodum credibile eſt.

Haec talis tantaeque immanitatis recordatio non poterat non hanc vim habere apud prophetam, ut ad animum revocaret cogitationem ſupplicii Idumaeis propediem a Deo inferendi. Hoc igitur protinus commemorat verſ. 15. graviter omnino ac ſevere, nec tamen,

28) *Bibliothek.* XX Th. pag. 167.

men, quae antea fuſius dixiſſet, repetens, ſed novo ſchemate uſus; nec in eo deſcribendo diu verſaturus, quod alia, eaque Judaeis honorificentiſſima aeque ac gratiſſima futurarum rerum ſcena animo obverſaretur. — Vocem כל non latiſſimi ſenſus eſſe, ut ad omnes univerſe gentes pertineat, res ipſa loquitur. Etenim dicuntur gentes omnes et eadem, quam Judaei nunc experti eſſent, calamitate, et propediem afficiendae: quod omnino valere non poteſt niſi de vicinis tantum gentibus, et ipſis a Babylonio in ditionem et poteſtatem mox redigendis: quas longo ordine recenſet Jeremias, cap. XXV. 18. uſus adeo vers. 26 latiſſima formula: כל הממלכות הארץ אשר אל־פני הארמה, quae tamen nil quidquam amplius valet quam alia illa, vers. 13. כל־הגוים, aeſtimanda ex ea, quae modo praeceſſerat vers. 9 כל הגוים האלה סביב. Sic Hieronymus in commentario ad hunc noſtrum locum: "Porro quod ait: *juxta eſt dies Domini ſuper omnes gentes*; legamus eundem Jeremiam, et videbimus calicem Domini cunctis gentibus propinatum. Vnde dicitur in eodem: *calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnes gentes*. Vniverſas quippe nationes usque ad Propontidem, Scithicumque mare, et Jonium vel Aegaeum, Aſſyrii Babyloniique tenuerunt. Legamus Herodotum, et graecas barbarasque hiſtorias, et videbimus, quomodo ſub Babyloniis, et Aſſyriis impletum ſit hoc quod dicitur: *juxta eſt dies Domini ſuper omnes gentes*." — Ante יעשה tres codices ſupplent כן, quod Alexandrinus quoque cum Arabe, nec non Syrus exprimit. Pro ישוב, nonnulli habent ישיב, convertet (Jehova), ut eſt in Vulgata. Sed haec levia ſunt ac nullius fere momenti.

Vers. 16 difficultatem habere videtur verbum שתיתם. Alexandrinus quidem refert: διότι ὃν τρό-

που ἔπιες, ſed eſt hoc ad praecedens ὃν τρόπον ἐποίησας conformatum. Qui ad Idumaeos hoc dictum eſſe exiſtimant, de compotationibus conviviisque intelligunt, ab Edomitis ad ſuam de urbis templique everſione laetitiam publice teſtandam, vel in ipſo Zione monte, inſtituiis. At moleſtum nobis videtur, idem verbum שָׁתָה, eodem loco poſitum, duplici et plane contrario ſenſu accipere; praeſertim cum non ſequatur, — גם אתם תשתו, bibendum *vobis* quoque erit de calice irae. De poena autem ſi intelligendum ſit שָׁתִיתֶם, nequaquam referri poteſt ad Idumaeos, qui tunc poenas jam dediſſe nullo modo dici poterant. Nobis vero dubium non videtur, ſermonem, ſubita converſione facta, qua nihil frequentius apud prophetas, redire nunc ad Judaeos, ad quos ſequentia pariter omnia potiſſimum reſpiciunt. Certe et Jeremias in loco ſimili, XLIX. 12. affirmat, Judaeis primum bibendum eſſe, deinde etiam Edomitis: quod alibi, XXV. 29 oratione plana ac ſimplici ſic effert: in urbe Deo ſacra initium habituram eſſe calamitatem, ac deinceps ad reliquas gentes dimanaturam. Senſus itaque, prout novis videtur, eſt hic: cum vobis adeo, montem meo nomini ſacrum tenentibus, bibendum fuerit, magis etiam reliquas gentes eandem ſortem experiri oportet.

Pro תמיד aliam lectionem סביב, vel in textu vel ad marginem poſitam, exhibent permulti et manu ſcripti et editi libri, quos, poſt Kennicottvm, copioſe ac diligenter recenſet celeb. De-Rossivs, exiſtimans, lectionem סביב contextui quam maxime congruere. Quod etſi nos haud negaverimus, receptam tamen lectionem haud male defendi poſſe putamus. Etenim primo, quod cel. De-Rossi aperte atque ingenue ipſe monet, libri accuratiores ac meliores omnes hiſpani, ac germanici exhibent תמיד, praeſertim in textu,

textu, lectionem vero סביב plerique habent in Haphtaris. Deinde antiquiorum verſionum nulla eſt, quae lectionem סביב ſua auctoritate confirmet. Tandem, quod plurimum apud nos valet, ſi ambae lectiones conferantur, excogitari cauſa non poteſt, cur lectio סביב, quae eſt ad intelligendum facillima, abierit in תמיד, ſi non difficiliorem, certe minus obviam: hac autem poſita, mirum videri non poteſt, ad illam deflexiſſe librarios, quod hanc a contextu orationis alienorem putarent. "Etenim, inquit Lilienthalius, 29) nec calamitates, quae hic per calicem ebibendum intelliguntur, indeſinenter obtigerunt omnibus populis, nec quod jam plenarie exhauſtum eſt, jugiter bibi poteſt amplius." Itaque arreptum eſt a librariis, forte ex Jerem. XXV. 9 vocabulum סביב, ac primo quidem margini adſcriptum, deinde etiam, ut fit, ſubinde in ipſam orationis ſeriem illatum. Sed non incommodam explicationem admittit illud תמיד. Indeſinenter enim bibere hoc loco eſt poculum hauriendo penitus evacuare, ac unâ, nulla remiſſione facta, faeces etiam exhaurire, coll. Pſalm. LXXV. 9. immo ſi et calamitates, quarum imago poculum eſt, dicantur perpetuae; non magis premendum hoc, quam ſupra vers. 10 illud לעולם. Alexandrinus habet: *πίονται πάντα τὰ ἔθνη οἶνον*, ac ſi eſſet חֶמֶר, orta ſcilicet ex emendantis ingenio, niſi malis, *οἶνον* librariorum incuria ortum eſſe ex *ἀεὶ*: ſed ſua ſe vetuſtate tuetur ſcriptio *οἶνον*, expreſſa etiam ab Arabe, nec non, teſte cel. De-Rossio, a Syro Hexaplari inedito.

Verbum לעו Schultensius primo tractavit in *Animadverſionibus*, 30) atque ex uſu verbi arabici لغي

29) *Commentat. crit.* pag. 130.

30) *Animadvers. philol. et crit. ad varia loca V. T.* pag. 497 ſq.

لغي interpretatus eſt, *et vani erunt*, i. e. in vanum, in nihilum recident; poſtmodum, mutata ſententia, in *Commentariis* ad Jobum 31) et Proverbia 32) uſus verbo لاع, cui aeſtuandi ſignificationem tribuit, locum noſtrum ita declaravit: *ardore et aeſtu* calicis venenati intus *adurentur*. Sed hoc non ſatis accurate dictum nobis eſſe videtur. Nam verbum لاع, לוע, media Vav, quum ſenſu ardoris venit, ut ex PHIRVZABADII loco, quem ad Prov. XX. 25 SCHVLTENSIVS, ſed minus expeditum, quam in noſtro libro extat, excerpſit, intelligas, activum tranſitivum eſt, atque ſic uſurpatur, ut dicas, لاعه الحب, *uſſit, accendit eum amor:* neutraliter autem quum venit لاع, media Vav, teſte PHIRVZABADIO, ſignificat praeter alia vel idem quod جزع, *pavore perturbatus fuit*, vel مرض, *aegrotavit*, media autem Jod quod verbum ignorat GJEVHARIVS, aequipollet verbo ضجر, *angore animi preſſus eſt*, vel *male habuit ex taedio faſtidioque*. Ex quibus conſequitur, noſtrum לעו verti poſſe vel *expaveſcent*, vel, *ex faſtidio male habebunt:* quod utrumque non male congruit orationis contextui. Sed malumus nos tenere radicem لغي, quod videmur nobis et reliqua loca, Job. VI. 3 et Proverb. XX. 25 ex ea ſola haud incommode expedire poſſe. Sed primum juvat ex GJEVHARIO PHIRVZABADIOque, quae huc faciunt, reliquis brevitatis ſtudio omiſſis, apponere. Itaque GJEVHARIVS: لغا يلغو لغوا اي قال باطلا يقال

31) ad Job. VI. 3.
32) ad Proverb. XX. 25.

يقال لغوتُ باليمين — ولغي بالكسر يلغى لغىً مثله — — والغيتُ الشيَّ ابطلته — — واللغاة من العدد اي القاه منه — — واللغو ما لا يعدُّ من اولاد الابل او غيرها لصغرها — h. e. *verbum* עלה, *cujus futurum eſt* يلغو, *act.* لغو, *ſignificat: locutus eſt vana, velut in formula:* לעיתי *in jurejurando — ac idem quoque valet verbum* לער, *cujus fut. eſt* يلغى, *act.* لغي *— in quarta conjugatione valet: annihilavit; pro nihilo habuit et rejecit ex numero, et nomen* لغو *ſignificat quod nullo numero eſt et rejicitur, velut pullus camelinus qui nimis eſt exilis.* Phirvzabadivs: لغا لغوًا تكلّم وخاب — — والغاه خيّبه — — والغا في قولي كسعي ودعا ورضي لغًا ولاغيةً وملغاة اخطأ وكلمة لاغية اي فاحشة — h. e. לעה *ſignificat, locutus eſt; repudiatus eſt, — in quarta: repudiavit. — verbum* לער *cum Jod, ut* سعي *et alia, cujus actio eſt* لغا *et* لاغية *et* ملغاة, *valet: erravit in loquendo; et participium* لاغي, *ſi de ſermone uſurpetur, ſignificat dicta enormia.* Itaque Job. VI. 5 דברי לער vertas: *dicta mea modum exceſſere*; nam فاحشة, teſte Phirvzabadio eſt ما يشتد قبحه من الذنوب وكلّ ما نهى الله عنه *factum eximie pravum et quicquid interdixit Deus,* et juxta

juxta Gjevharium, كُلّ سُوءٍ جاوز حدّه *omne malum quod modum excedit.* Alterum locum Proverb. XX, 25. יָלַע mutato in יָלַע, ut ſit futurum apocopatum, ſic interpretamur: *laqueus eſt homini, ſi temere pronunciet: Deo hoc ſacrum eſto! et poſtea demum ad examen rem revocet.* Ac noſtrum tandem locum, וְשָׁתוּ, וְלָעוּ, vertimus: *bibent ac vani ſeu irriti evadent:* quem ſenſum putaverimus haud parum confirmari ſequente formula: *erunt ac ſi eſſent nihilum*, לוֹא ſenſu nominis ſubſtantivi ſumto, quem habet Job. VI. 21 הֱיִיתֶם לֹא, et alibi. Ill. Michaelis vertit: *und (ſollen) den lezten Tropfen auslecken*, ex uſu, ut videtur, ſyriacae linguae, in qua לרע vel לעע ſignificat *lingere.* Veteres interpretes in hoc verbo parum conſentiunt. Alexandrinus habet *καταβήσονται*, quod Arabs preſſe reddit ينزلون, Syrus duplici verbo utitur, *obſtupeſcent et conturbabuntur*, Chaldaeus יִסְתַּלְּעַמוּן, perdentur, ac ſi eſſet בֻּלְּעוּ, Vulg. tandem, *abſorbebunt.*

Caeterum frequens ac tritum eſt apud prophetas hebraeos hoc figuratae orationis genus, quo Deus poculum vini plenum offerre, crapulamque inducere fingitur illis, quos gravioribus poenis afficiendos eſſe ſtatuit: quod inter calamitatem ſummam, ſummamque ebrietatem ea intercedit obvia ac certa ſimilitudo, quod utraque hominem vehementer perculſum de ſanitate ac mente deturbat, atque ad conſilii inopiam redigit. Plenior rei imago extat Pſalm. LXXV. 9. Jerem. XXV. 15. Eſai. LI. 17. brevius eam adumbravit auctor Pſalmi LV. verſu 5. atque Obadiae adeo ſolum ac unicum verbum שתה ſufficere viſum eſt ad rem omnem exprimendam: quod neſcio an quisquam alius auſus fuerit. — Arabes quoque multum delectantur figurato hoc loquendi genere, quo كاس, כּוֹס,

כוס, poculum vini plenum, dicitur pro portione ac ſorte, peculiariter triſtiore atque ingrata: ſed latius illud uſurpant, et hominibus, immo et fictis perſonis propinandi poteſtatem tribuunt. Sic Haririus 33) dicit, *manum inopiae alicui miſcuiſſe poculum ſegregationis*, كاس الفراق, i. e. egeſtatem impuliſſe ad abeundum. *Morti* poculum tribuitur in eo, quem Gjevharius, voce كاس, laudat verſiculo:

لِلْمَوْتِ كَاسٌ فَالمَرْءُ ذَائِقُهَا

morti poculum eſt, ac viri eſt, illud guſtare.

Maxime quid hoſtes graviore caede affecerint, poculum mortis, vel breviter poculum illis ſe propinaſſe dicunt. Sic poëta in *Hamaſa:* 34)

فَسَقَيْنَا كَاسَ حَتْفٍ هُذَيْلاً غِبُّهَا خِزْيٌ

وَعَارٌ وَذُلٌّ

nam propinavimus poculum mortis Hudeilitis, cujus extremum erat dedecus, opprobrium et contemtus.

Alius a Schvltensio ibidem citatus: 35)

سَقَيْنَاهُمْ كَاسًا سَقَوْنَا بِمِثْلِهَا

propinavimus eis poculum, quod et nobis propinaverant.

Et

33) Haririi *tres priores conſeſſus.* Franequerae 1731. pag. 62.
34) *edit. Schultens.* pag. 440. et *edit. Goetting.* pag. 77.
35) pag. 442.
36) vid. Elmacini *hiſtoria Saracenica* cap. 3. pag. 121 verſionis latinae.

Et AlManſûr, Chalifa XXIII. cum interfici juſſiſſet Abumuslimum, dixiſſe fertur: 36)

سقيتك كاسا كنت تسقي بها امرفي الحلق من العلقم

propinavi poculum, quod tu propinaveras, amarius in gutture colocyntho.

Vers. 17 delineare incipit propheta felix ac ſplendidum aevum, quod aliquando exoriturum ſit Judaeis: fore, ut non tantum collapſa ipſorum reſpublica reſtauretur, ſed et, rerum facie prorſus mutata, easdem, a quibus antea vexati et miſere habiti eſſent, gentes ipſi in imperium redigant atque poteſtatem. פליטה dictum pro פליטים, eſtque ſenſus verborum hic: Zionem montem iterum tenebunt, qui e communi clade populi evaſerint, nimirum reduces ex Babylonico exilio. קדש poſſit quidem pertinere ad פליטה, cum verbum היה, geminum adſciſcens nominativum, genere nonnunquam conveniat cum nomine praedicati, velut Ezech. XXXV. 15 שממה תהיה הר שעיר, *vaſtitas erit mons Seir*: ſed commodiſſime refertur ad הר ציון eo ſenſu, quo Joël, cap. IV. 17. Hieroſolymam dicit urbem Deo ſacram iterum futuram eſſe, a qua barbaris prorſus ſit abſtinendum. וירשו בית יעקב את מורשיהם Alexandrinus vertit: *καὶ κατακληρονομήσουσιν ὁ οἶκος Ἰακὼβ τοὺς κατακληρονομήσαντας αὐτοὺς*, Vulg. *et poſſidebit domus Jacob eos qui ſe poſſederunt*; eodem modo et Syrus reddit; Chaldaeus, nonnihil latius explicans, habet: poſſidebunt, qui de domo Jacobi ſunt, opes populorum qui eos poſſederant. Videntur itaque veteres hi interpretes, quos ill. Michaelis ſequitur; ſumſiſſe מורשים ut participium Hiphil, eodem ſenſu poſitum,

tum, quo ירשים venit Jerem. XLIX. 2. וירש ישראל את ירשיו. Sed nomen מורש et forma et uſu locale eſt, nec cauſa intelligitur, cur in eo quidquam mutandum ſit. Sententia enim haec: recuperaturos eſſe Judaeos ſedes priſtinas, pertinet adhuc ad deſcribendum populi ex Babylonia in patriam reditum: de amplificatione autem imperii, quae non erat proxime ſtatim tempore ſecutura, progrediens nunc oratio exponit.

Vers. 18. קש, *ſtipula*, futura eſſe quum dicitur gens Edomitica, reſpicitur ad illam, maxime ſub ferventiore coelo, ſtipulae naturam, qua fit, ut et ignem facile concipiat, et ſemel conceptum ſubito augeat diffundatque, donec brevi omnis conſumta ſit: quapropter ſtipula ab igne conſumenda ſolet eſſe imago mali, cui remedium atque allevamentum parari nequaquam poſſit, velut Eſai. V. 24. דלקו, pro בערו, verbum exquiſitius eſt ac poëticum; ſignificat enim, aptiſſime ad hunc locum, flammam mobiliorem atque acutiorem, qualis in ſtipula conflagranda ſit neceſſe eſt. 37) Senſus igitur eſt: Idumaeam, invitam quidem, ſed irrito conatu reſiſtentem, a Judaeis certiſſime olim expugnatum inque poteſtatem redactum iri. Quod vero additur, reſiduum de Edomitis fore neminem, legitime non poteſt ad hunc unice ſenſum reſtringi, ut ferro delendi ac exſcindendi ſint Idumaei omnes ac ſinguli. Hac quidem ratione interpretatus eſt Alexandrinus, *καὶ οὐκ ἔσται πυρφόρος* 38) (Romani enim codicis lectionem *πυροφόρος* non eſſe magni

37) conf. SCHULTENS. in *commentar.* ad Proverb. XXVI. 23.

38) conf. BIELII *novus theſaurus philolog.* ad hanc vocem, et cl. ERNESTII *gloſſae ſacrae Heſychii*, pag. 239.

magni aeſtimandam convenit apud intelligentiores,) *ἐν τῷ ὀικῳ Ησαυ*, formula uſus ducta ex conſuetudine veterum, apud quos vates aciem praecedere ſolebat facem manu tenens, cujus vitae etiam hoſtes parcerent, ita ut verba, *οὐδὲ ὁ πυρφόρος διεσώθη*, in proverbii conſuetudinem abierint, quo ſignificaretur, ad unum omnes communi ſtrage periiſſe, et ne nuntium quidem cladis ſuperfuiſſe. Sed licet hebraica verba etiam hoc ſenſu accipere: neminem fore, qui alienum imperium detrectare poſſit, nec quidquam Idumaei nominis abhinc ſuperfuturum eſſe. — Pro כי יהוה דבר nonnulli codices et Kennicottiani et De-Roſſiani referunt כי פי יהוה דבר, quae lectio, cum a nemine veterum confirmetur, librario ex aliis locis ſimilibus obrepiſſe cenſenda eſt.

Eventu ſuo vaticinium hoc deſtitutum non fuiſſe, intelligimus ex Josepho, qui brevius quidem, quam rei magnitudo poſcere videbatur, et nonniſi ſummatim ſed ad cauſam noſtram convenienter haec refert: 39) Ὑρκανὸς δὲ, ἀκούσας τὸν Ἀντιόχου θάνατον, εὐθὺς ἐπὶ τὰς ἐν Συρίᾳ πόλεις ἐξεστράτευσεν, οἰόμενος αὐτὰς εὑρήσειν, ὅπερ ἦν, ἐρήμους τῶν μαχίμων καὶ ῥύεσθαι δυναμένων. Μήδαβαν μὲν οὖν, πολλὰ τῆς στρατιᾶς αὐτῷ ταλαιπωρηθείσης, ἕκτῳ μηνὶ εἷλεν· ἔπειτα καὶ Σαμεγὰν, καὶ τὰ πλησίον αὐτῆς αἱρεῖ, Σικιμά τε πρὸς τούτοις καὶ Γαριζεὶν, τό τε χουθαίων γένος, ὅπερ ᾤκει τὸν εἰκασθέντα τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱερῷ ναὸν, ὃν Ἀλέξανδρος ἐπέτρεψεν οἰκοδομῆσαι Σαναβαλλέτῃ τῷ στρατηγῷ, διὰ τὸν γαμβρὸν Μανασσῆν τὸν Ἰαδδοῦ τοῦ ἀρχιερέως ἀδελφὸν, ὡς καὶ πρότερον δεδηλώκαμεν. συνέβη δὲ τὸν ναὸν τοῦτον ἔρημον γενέσθαι μετὰ ἔτη διακόσια. Ὑρκανὸς δὲ καὶ τῆς Ἰδουμαίας αἱρεῖ πόλεις Ἄδωρα καὶ Μάρισσαν· καὶ, ἅπαντας τοὺς Ἰδουμαίους ὑπο-

39) *Archaeolog. Jud.* XIII. 9. 1.

ὑποχειρίους ποιησάμενος ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν· οἱ δὲ πόθῳ τῆς πατρίου γῆς καὶ τὴν περιτομὴν καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου δίαιταν ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι· κακεῖνος αὐτοῖς χρόνος ἐπῆρχεν, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους. *Caeterum Hyrcanus, audita Antiochi morte, confeſtim in urbes Syriae expeditionem ſuſcipit: ratus (id quod erat) inventurum vacuas à propugnatoribus et defenſoribus. Et quidem Medabam magno cum exercitus ſui labore ſexto demum menſe cepit: deinde Samegam et finitima loca capit; itemque Sicima et Garizim, Chutaeorumque gentem, quae templum accolebat Hieroſolymitani ſimile, quod Alexander permiſit Sanabelletae duci aedificare, in gratiam generi ipſius Manaſſis, qui frater erat Jaddi pontificis, ut jam ante memoravimus. Contigit autem hoc templum vaſtari, poſtquam ducentos durabit annos. Hyrcanus etiam Idumaeae urbes capit, Adora et Mariſſam; ſubactisque omnibus Idumaeis, permiſit in regione ſua permanere, ſi pudenda circumcidere, et judaicis legibus uti vellent. Illi verò patriae ſuae amore tum circumciſionem admiſerunt, tum vitam in caeteris ſimiliter ac Judaei agere ſuſtinuerunt. Atque eo tempore ipſis contigit, ut deinceps Judaei eſſent.* Vides itaque, non partem tantum Idumaeae, ſed regionem omnem a Judaeis ſubactam, ſuoque imperio ita penitus ſubjectam fuiſſe, ut jam non ſuis porro juribus inſtitutisque fruerentur Idumaei, ſed Judaeorum moribus ac legibus uti tenerentur, quo facilius ac conſtantius in eandem cum victoribus gentem coaleſcerent. Qua in re Johannes Hyrcanus imitatus eſſe videtur exemplum Antiochi Syriae regis, qui in Judaeis ab avita ſacrorum profeſſione avellendis, atque ad communes moresque adigendis aliud conſilium ſecutus non eſt niſi confirmandi imperii, ratus, iſtiusmodi gentis

fidem certam ac firmam eſſe non poſſe, quae in peculiari ſacrorum legumque formula vellet perſiſtere. Certe in Alexandro, nullius fere regionis homine, qui et ipſe patris inſtitutum ſecutus, gentibus a ſe debellatis hanc conditionem ferre ſolebat, ut vel patrium ſolum mutarent, vel ſacrorum veterem conſuetudinem, credibile non eſt, promovendae religionis patriae ſtudium plus valuiſſe, quam eam, de qua diximus, prudentiam civilem. Quamquam nonnihil mitius et tolerabilius Antiocho egiſſe cenſendi Maccabaei, quod optionem relinquerent, vel patriae vel regionis mutandae. Idumaei igitur, patrii ſoli quam patriae religionis amantiores, ſocietatem cum Judaeis et inierunt, et dehinc, quantum conſtat, ſervarunt usque ad reipublicae interitum. Certe Idumaeorum, qui Zelotarum rogatu arceſſituque Hieroſolymas venere, dux quidam primarius, ut ſe cum ſuis copiis arceri ab aditu urbis intelligeret, oratione habita publice profeſſus eſt: 40) *ἀλλ᾽ εἰ κἀκεῖνοι τῆς χρείας ἐγένοντο μαλακώτεροι, τηρήσομεν Ἰδουμαῖοι τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς κοινῆς πατρίδος προπολεμήσομεν, ἅμα τούς τε ἔξωθεν ἐπιόντας καὶ τοὺς ἔνδον προδιδόντας ἀμυνόμενοι πολεμίους. Sed licet illi molliores fuerint quam oportebat, nos Idumaei domicilium Dei ſervabimus, et pro communi patria propugnabimus; hoſtesque tam foris irruentes quam intus inſidiantes et prodentes ulciſcemur.*

Vers. 19 declaratur amplius, quod de recuperandis a judaico populo priſtinis ſedibus, amplificandaque deinceps ditione antea dictum eſt. Alexandrinus vertit: *καὶ κατακληρονομήσουσιν οἱ ἐν Ναγὲβ τὸ Ἡσαῦ, καὶ οἱ ἐν τῇ Σεφηλᾷ τοὺς ἀλλοφύλους*, Arabe pro ἐν Ναγὲβ ponente في جاث, quod Koehlero emendandum

40) Joseph. *de bello Judaico*, IV. 4. 4.

dandum videtur in في الجنوب, nobis in في نجاب, ſic enim habet arabicus interpres ſtatim verſu proximo, et binis Jeremiae locis, cap. XXVII. 44 et XXXIII. 13, ubi Alexandrinus hebraicam vocem נגב retinet ac Ναγὲβ ſcribit. Vulgata etiam, Chaldaeus et Syrus, (cujus vocem ܠܬܝܡܢܐ in verſione latina polyglotta male redditam eſſe *aquilonares*, reddendam potius *auſtrales*, recte obſervavit cel. KOEHLERVS,) נגב et שְׁפֵלָה metonymice accipiunt de incolis, de quibus verbum יָרְשׁוּ dictum ſit. Aquilam, Symmachum et Theodotionem νότου reddidiſſe refert MONTFAVCONIVS in *Hexaplis*: ſed cave inde colligas, illos נגב ut accuſativum vertiſſe: THEODORETI enim, ex quo hauſit MONTFAVCONIVS, verba ambigua ſunt, ſcribentis: *καὶ τοῦτο δὲ συμφώνως οἱ τρεῖς ἑρμηνευταὶ νότον ἡρμηνεύκασιν.* Recentiores, praeter KOEHLERVM, vertere ſolent: *occupabunt tractum meridionalem unacum regione montana Eſavitarum*, et recte quidem, ut nobis videtur: etenim ut verbum יָרְשׁוּ altero loco poſitum non poteſt non referri ad בית יעקב, eadem ratione et prius ירשו ad idem nomen pertinere vero ſimillimum eſt. נגב autem ac שְׁפֵלָה velut nomina propria ſunt, quorum illud eum Judaeae veteris tractum denotat, qui meridiem verſus atque ad Idumaeam vergebat, hoc partem depreſſiorem occidentalem Philiſtaeis conterminam. Scilicet oratio ex ordine plagas recenſet, a meridie pergens ad occaſum, hinc per ſeptentrionem ſe convertens ad orientem. Quapropter poſtrema verba ובנימן את הגלעד, quae Alexandrinus reddit, *καὶ Βενιαμὶν, καὶ τὴν Γαλααδῖτιν*, non putamus alium ſenſum admittere quam hunc: *et Benjaminitae occupabunt Gileaditidem*: etiamſi cur trans-jordanenſis tractus occupatio nominatim Benjaminitis tribuatur, ratio probabilis haud extet. Ill. MICHAELIS ſu-

 ſpe-

ſpectam habet lectionem בנימן, ſed ſanioris ac verioris recuperandae, in conſenſu verſionum ac librorum omnium, ſpes omnis praeciſa eſt. Caeterum in Judaeorum imperium conceſſiſſe et Galaaditas, ut tributa etiam ſolverent Alexandro, Josephus teſtatur his verbis: 41) *καταςρεψάμενος δὲ των Αράβων Μωαβίτας καὶ Γαλααδίτας εἰς Φόρȣ ἀπαγωγὴν, κατέρριπε καὶ Αμαθȣ͂ντα*, *cum Moabitas et Galaaditas, qui Arabes ſunt, ſubegiſſet, ut inde tributum exigeret, demolitus eſt etiam Amathunta.* Samaritanam regionem expugnavit Hyrcanus, ut ſupra vidimus, 42) qui et Samariam urbem poſtmodum a ſe captam delevit penitus. 43) Philiſtaeam Alexander ſubegit, urbe primaria Gaza, quae praeter Ptolemaidem ſola de maritimis urbibus reſtabat, 44) tandem in deditionem accepta. 45) Juvat autem integrum exſcribere locum Josephi primarium, ex quo, quam late patuerit ante Alexandri obitum Judaeorum imperium, velut ex tabella intelligas. Ita vero ille: 46) Κατὰ τȣ͂τον δὲ τὸν καιρὸν ἤδη τῶν Σύρων καὶ Ιδȣμαίων καὶ Φοινίκων πόλεις εἶχον Ιȣδαῖοι πρὸς θαλάσσῃ μεν Στράτωνος πύργον, Απολλωνίαν, Ιόππην, Ιάμνειαν, Αζωτον, Γάζαν, Ανθηδόνα, Ραφίαν, Ρινοκόλȣραν. ἐν δὲ τῇ μεσογείᾳ κατὰ τὴν Ιδȣμαίαν, Αδωρα καὶ Μάρισσαν καὶ Σαμάρειαν, Καρμήλιον ὄρος. καὶ τὸ Ιταβύριον ὄρος, Σκυθόπολιν, Γάδαρα, Γαυλωνίτιδα, Σελεύκειαν, Γάβαλα. Μωαβίτιδας, Εσσεβὼν, Μήδαβα, Λεμβᾶ, Ορώνας, Γελίθωνα, Ζᾶρα, Κιλίκιον αὐλῶνα, Πέλλαν.

41) *Archaeolog.* XIII. 13. 5.
42) *Archaeol.* XIII. 9. 1.
43) *Archaeol.* XIII. 10.
44) *Archaeol.* XIII. 12. 2.
45) *Archaeol.* XIII. 13. 3.
46) *Archaeol.* XIII. 15. 4.

Πέλλαν· ταύτην δὲ κατέσκαψαν, ὀυχ ὑποσχομένων τῶν ἐνοικόντων ἐις τὰ πάτρια τῶν Ιȣδαίων ἔθη μεταβαλέσθαι· ἄλλας τε πόλεις πρωτευȣ́σας τῆς Συρίας, ἃς ἦσαν κατεστραμμέναι. — Quod vero hic de Pellenſibus relatum legimus, efficit ut putemus, aliis quoque civitatibus eandem neceſſitatem vel patriae vel religionis mutandae impoſitam fuiſſe ab Alexandro, adeoque et ab ipſo morem patris conſtanter ſervatum. De Ariſtobulo autem fratre natu majore certum illud eſt, teſte eodem Josepho, qui eum laudat his verbis: 47) ταῦτ᾽ ἐιπὼν ἐπαποθνήσκει τοῖς λόγοις, βασιλεύσας ἐνιαυτὸν, χρηματίσας μὲν Φιλέλλην, πολλὰ δὲ ἐυεργετήσας τὴν πατρίδα, πολεμήσας Ιτȣραίαν, καὶ πολλὴν αὐτῶν τῆς χώρας τῇ Ιȣδαίᾳ προσκτησάμενος, ἀναγκάσας δὲ τȣ̀ς ἐνοικȣ̃ντας ἐι βȣ́λονται μένειν ἐν τῇ χώρᾳ περιτέμνεσθαι, καὶ κατὰ τȣ̀ς Ιȣδαίων νόμȣς ζῆν. *Haec fatus moritur inter loquendum, cum unum duntaxat annum regnaſſet, Graecorum amator dictus, patria ab eo multis beneficiis aucta, Ituria debellata, et multa ejus regionis parte Judaeae addita, coactisque incolis, ſi in ſua regione manere vellent, circumcidi et ad Judaeorum leges vivere.*

Vers. 20 accentus ſi ſpectes, pars prior Athnacho terminata, ſubjectum orationis exponit, poſterior, cum Silluko exiens, praedicatum, hoc ſenſu: et exules de Iſraëlitis illi, qui ſunt inter Canaanaeos diſperſi usque ad Sareptam, et exules ex Hieroſolymis, qui ſunt in Sepharad, poſſidebunt urbes tractus meridionalis. Et confirmatur quidem haec interpretatio potiſſimum eo, quod formulae אשר כנענים et אשר בספרד videntur ad parallelismum conformatae eſſe. Sed contra duo ſunt quae obſtant, primo, neque veſtigium aliquod

 neque

47) *Archaeol.* XIII. 11. 3.

neque ſuſpicio extat ulla, aliquem Iſraelitarum numerum in Canaanitarum ſeu Phoeniciorum terram deportatum fuiſſe, deinde mirum videri debet, illis potiſſimum, qui in Phoenicia exularent, Judaeis meridionalem tractum, adeoque eum, qui extremus eſſet in adverſa plaga, occupandum aſſignari. Malumus igitur ad eorum partes accedere, qui putant ex antecedentibus repetendum eſſe verbum ירשׁ, atque intervallum ad vocem צרפת ponendum. Nunc de ſingulis vocibus diſpiciendum. Prius membrum Alexandrinus vertit, *καὶ τῆς μετοικεσίας ἡ ἀρχὴ ἄυτη τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ γῆ* (forte: *γῆν*) *τῶν χαναναίων ἕως Σαρεπτῶν.*, quae Arabs reddit ſic: ورأْسُ السبي هو لبني اسرايل أَرْضُ [أَرْضَ] الكنعانيين والي الصوارف, *et initium captivitatis* (non, ut in Polyglottis, praedae) *hoc Iſraelitis terra* (terram) *Canaanitarum usque ad Aſſawareph.* Syrus etiam habet: ܫܒܝܬܐ ܩܕܡܝܬܐ *captivitas prior.* Nempe ההל pro infinitivo Hiphil verbi חלל, nominis uſum habente, acceperunt ambo interpretes, quod omnino haud eſt reprobandum. Recte enim Iſraëlitae dicuntur exules initii, h. e. exules priores, quod decem illae tribus primum e patria abducerentur, duabus reliquis diutius in patria remanentibus. Nec obſtat, quod objicit 48) Michaelis, 49) quod ה pronominis הזה idem praefixum requirat in praecedenti nomine: pertinet enim הזה ad nomen גלות, quod in regimine poſitum, ה nequit. Qui חל dictum volunt pro חיל, ut habent tres

48) in *Notis ad Biblia Halens.*

49) conf. *Supplementa ad Lexica hebr.* pag. 735. ubi ſignificatio *vallis* voci חיל adſtruitur quidem, ſed ad hunc locum adplicanda haud dicitur.

tres codices Kennicottiani, vertunt vel captivi copioſi, vel captivi de copiis: quod utrumque ferri quidem poteſt, ſed neque ex ſenſu neque ex ordine verborum eſt admodum commendabile. At quod ill. MICHAELIS habet: *deportati Iſraëlitae ex hac valle* 50) *Canaanitarum, Sareptam usque*, nos quidem non intelligimus, quomodo cum hebraicis verbis queant conciliari. Idem vocem אשר ante כנענים moleſtam eſſe judicat ac ſupervacaneam, conjiciens, poſſe primitus ſcriptum fuiſſe אֵשֶׁר, radicem montis Canaanaeorum occupabunt. Poſſit ſane non incommode abeſſe illud אשר, commodior etiam lectio futura, ſi pro אשר ſubſtituere liceat אֶרֶץ, quod Alexandrinus exprimit. Sed defendi tamen utcunque poteſt lectio אשר, nempe, vel iterum ſubaudiendo verbo ירשו, vel ad כנענים ſupplendo praefixo, ל, *quod Canaanitarum eſt*: etiamſi, quod cel. DE ROSSIVS monet, nullus codex ſit, qui לכנענים exhibeat: quod vero in tribus libris legitur בכנענים, interpretationis magis quam lectionis loco habendum. Vulgata autem vertit, *omnia loca* Chananaeorum usque ad Sareptam. צרפת, Σαρεφθα, teſte JOSEPHO, 50) urbs erat non procul a Tyro et Sidone, medio inter utramque intervallo ſita. Senſus itaque hic eſt: fore, ut Iſraëlitae, qui dudum in exilio ſint, non modo priſtinas ſedes recuperent, ſed et olim ditionis ſuae fines latius proferant amplificentque. Et inter urbes, quas Judaeos tempore Alexandri tenuiſſe refert JOSEPHVS, 51) nominatim referuntur Φοινίκων πόλεις, h. e. Canaanitarum oppida.

In altero hemiſtichio difficultatem habent verba אשר בספרד. Ex ſimilitudine praecedentis formulae,

 אשר,

50) *Archaeol.* VIII. 13. 2.

51) *Archaeol.* XIII. 15. 4.

אשר בכנענים, videntur quidem dicta eſſe ad deſignandam regionem, quam occupaturi olim ſint exules Hieroſolymitani: et hoc ſenſu interpretatus eſt vers. Dathe, *exules vero Hieroſolymitani ea, quae ſunt Sepharidis regionis.* Sed locus, quem occupat verbum ירשו, poſt אשר בספרד demum poſitum, efficit, ut provinciam denotare debeant, in qua tum exules verſarentur. Sed quid hoc ספרד ſignificet, nonniſi hoc loco dictum, nos penitus latet. Vulgata vertit: *et transmigratio Jeruſalem quae in Boſphoro eſt.* Sed eo Hieroſolymitanos a Nebucadnezare abductos eſſe nuſpiam legitur. Quod autem Hieronymus dicit, ſe ab Hebraeo, a quo in ſcripturis ſanctis eruditus fuerit, didiciſſe boſphorum ſic vocari, et hanc eſſe regionem, ad quam Hadrianus captivos tranſtulerit, alienum plane eſt ab hoc loco. Syrus ܐܣܦܢܝܐ interpretatur, Chaldaeus אספמיא, unde Judaei recentiores Hiſpaniam vocant ספרד, eamque ſe, duce ſuo Meſſia, occupaturos adhuc eſſe ſomniant. Alexandrinus: ἕως Εφραθὰ, pro quo putant viri docti reponendum eſſe ἕως Σεφραθὰ, ut et Breitingerus edidit in textu: ſed et Hieronymus teſtatur, Alexandrinum Ephratha transferre, et Arabs habet الى افراثا. Ex notis ad hebr. textus edit. Halenſem intelligimus, Herm. van der Hardt ſingulari libello probandum ſuſcepiſſe, ספרד *Sippharam* eſſe, Meſopotamiae oppidum, infra Nehardam. 52) Sed ubicunque terrarum ſit hoc ספרד, illud ſufficere nobis poteſt, ſenſum loci univerſum haud obſcure eſſe nonniſi hunc, fore ut ab utraque parte terrae, a ſeptentrionali non minus quam meridionali, cedere Judaeis atque in ditionem venire debeant gentes barbarae.

Tan-

52) Tabula D' Anvilliana, qua Euphrates et Tigris delineatur, locum exhibet longitud. 61°. latitud. 34°.

Tandem vers. 21 ne dimiſiſſe videatur Idumaeos, ad quos potiſſimum pertinebat oratio, ad hos redit, et quae copioſius in eos ante dicta ſunt graviter atque animoſe paucis comprehendit: *qui Zione erunt victores proficiſcentur ad reprimendos puniendosque Eſavitas.* מוּשָׁעִים Alexandrinus vertit, ἀναβήσονται ἀνασωζόμενοι ἐξ ὄρους Σιὼν, et Syrus, ܦܪ̈ܝܩܐ; Aquila etiam σεσωσμένοι, forte quod vox defective ſcripta eſſet מֹשִׁעִים, ut complures exhibent codices Kennicottiani, De-Roſſianis hic tacentibus. Melius Symmachus, σώζοντες, Chaldaeus מְשֵׁיזְבִין, *ſalvatores:* quo nomine non ſunt intelligendi, qui ſeſe ſervaverint ex captivitate, ſed Judas Maccabaeus unacum ſucceſſoribus. In ליהוה praefixum ל auctorem denotat, et ſenſus eſt: Jehova demonſtrabit, ſeſe curare atque regere remp. Judaicam ab ſe fundatam reſtauratamque.

Abſoluta nunc tractatione duo ſuperſunt, quae nonnihil illuſtraſſe haud ſupervacaneum videri poſſit.

I. Cum tam mirifica ſit Obadiam inter atque Jeremiam, cap. XVIX. non in ſententiis tantum, ſed et verbis verborumque formulis ſingulis conſenſio, quaeſtio oritur: uter alterum propoſitum ſibi habuerit atque imitatione expreſſerit? Et ven. Moldenhawerus quidem opinatur, Obadiam poſteriorem fuiſſe Jeremia, quod oraculum ſuum ediderit demum poſt deductos in Babyloniam Judaeos, quo tempore in Aegypto verſatus ſit Jeremias, adeoque a Deo adhibitum eſſe ad Jeremiae in Idumaeos dicta renovanda ac confirmanda. Nos autem omnino aliter judicamus. Videmur enim nobis, inſtituta inter utrumque comparatione, ſigna ac veſtigia haud incerta deprehendiſſe, unde intelligatur, Obadiae orationem eam eſſe, quae mutuo ſumta, et membratim tranſlata in alte-

ram fuerit: quorum praecipua ſunt fere haec. Primo, quibus ſermonem exorditur Obadias verba שמועה וציר בגוים שלח שמענו באת יהוה, apud Jeremiam, ubi medio ſermoni interpoſita ſunt, minus concinnam ad ſermonem reliquum rationem, vim atque dignitatem haud paulo minorem habent. Secundo, quod שמענו mutatum eſt a Jeremia in שמעתי, temperationis ac velut emendationis ſpeciem habet haud obſcuram. Porro, qua Obadias utitur, formula vers. 4. אם־תגביה כנשר ואם־בין כוכבים שים קנך ſublimior eſt audaciorque, altera Jeremiae vers. 16 כי תגביה כנשר קנך et brevior et moderatior. Denique ſi rem univerſe ſpectaveris, utraque oratio quidem laudem habet atque commendationem ſibi peculiarem, Obadiae tamen in ſumma elatione caſtigatior videtur atque rotundior. Et ſic quoque Eichhornium 53) ſtatuere videas, cujus ſenſus judiciique acumen in his rebus valet plurimum. Sed quod vir perſpicaciſſimus putat, Jeremiae oraculum contra Edomum, unacum reliquis in barbaras gentes dictis (cap. XLVI – LI.) editum fuiſſe jam anno Jojakimi quarto, 54) neque probare nos haud poſſumus. Argumenta, quibus ipſe utitur, ſunt fere haec:

1. Juſſum eſſe prophetam quarto Jojakimi anno, cap. XXV, 1. 15. oracula edere in gentes exteras: caput autem hoc 25um ipſum hoc anno editum eſſe haud poſſe, quod vers. 18 vaſtatam eſſe dicat urbem, quae poſtea demum vaſtata ſit; edita igitur tum fuiſſe oracula ſingula inde a cap. XLVI ordine ſequentia, caput autem 25um iſagogen eſſe ſeu praefationem, ab auctore poſt excidium demum urbis voluminis quod

53) *Einleitung ins alte Teſt.* Vol. III. §. 572.

54) *Repertorium für bibliſche und morgenländiſche Litteratur*, Vol. I. pag. 144 ſq.

quod oracula in barbaras gentes complecteretur, praefixam.

2. Cum, quod primo in oraculorum in exteras gentes dictorum volumine loco poſitum ſit, vaticinium in Aegyptum, cap. XLVI. certe cadat in quartum Jojakimi annum, ſequi, et reliqua, quae temporis notationem haud habeant, eodem anno, quidni eodem die, publice propoſita fuiſſe.

3. Vaticinia de rebus exterarum gentium non eo conſilio data eſſe videri, ut intra anguſtos judaici populi fines ſeſe continerent, gentes vero illas, ad quas proxime ſpectarent, penitus laterent: ipſum autem Jojakimi annum quartum eximiam opportunitatem habuiſſe, ad oracula prophetae cum exteris gentibus communicanda, quod omnium, quarum cap. XXV. mentio facta eſſet, gentium legati tum videantur Hieroſolymis conveniſſe ad communia contra ingraveſcentem Babyloniorum vim conſilia capienda.

Sed haec argumenta, neque ſingula neque juncta, nobis videntur eam vim habere, ut efficiant, oracula Jeremiae in gentes barbaras omnia quarto Jojakimi anno promulgata fuiſſe, quod conabimur nunc breviter exponere.

1. Quominus Jeremiae caput XXV ad annum Jojakimi quartum pertinere poſſit, non omnino prohibet locus vers. 18. Neque vero nos utamur ea ratione, ut verba כיום הזה ſcholion eſſe dicamus, a nonnemine deinceps additum, ne videamur nodum ſecare magis quam ſolvere: quamquam de alio ejusdem capitis loco, vers. 13. את כל הכתוב בספר הזה אשר נבא ירמיהו על־כל־הגוים non putamus

mus aliter ſtatui poſſe: quod perſuadere nobis haud poſſumus, Deum, qui ſua perſona ſuoque nomine loquitur, commode hancce formulam adhibere, *perficere omnia quae ſcripta ſunt in hoc volumine, a Jeremia contra gentes promulgata*, atque volumine uti potuiſſe, quod necdum in vulgus editum eſſet. Sed poſſint verba illa, כיום הזה, etiam hunc ſenſum habere: *prout nunc facio et declaro*, nam quae praecedunt, לתת אתם לחרבה לשמה לשרקה ולקללה, certe aeſtimanda ſunt ex trita illa formula, qua praecipitur, prophetas paſſim *facere* dici, quae nonniſi *praedicunt* atque annunciant. Sin autem verba כיום הזה utique genuina ſint nec alio ſenſu accipienda niſi hoc: *prout nunc eventus ipſe comprobat*; largimur omnino, *litteris* conſignatum fuiſſe hoc caput ab auctore demum poſt Urbis excidium: *ore* autem et dictis, quominus totum, exceptis duabus iſtis vocibus a propheta publice prolatum fuerit anno Jojakimi quarto, nihil putamus obſtare. Quid, ſi nil quidquam capitis hujus tum extitiſſe urgeas; hoc tamen non certo ſequitur, *omnia*, quae apud Jeremiam extant, in exteras gentes oracula ſimul prodire tum debuiſſe: ſatis erat, ſi nonnulla prodirent.

2. Oraculum, quod cap. XLVI. legitur, anno Jojakimi quarto editum eſſe, extra dubitationem poſitum non eſt. Illud certum, hoc anno ingens ad Cercuſium praelium commiſſum eſſe; praedictio autem vatis, quo tempore edita ſit, haud conſtat, niſi quod eventu ſuo, adeoque hoc anno quarto, non poſſit eſſe poſterior. Sed demus, vaticinium hoc eventui ſuo proxime anteceſſiſſe; tamen inde, quod primo loco in ordine poſitum ſit, non videtur legitime confici poſſe, et reliqua, quae ſequuntur, ejusdem, nec recentioris, aetatis eſſe debere. Specioſius

cioſius ejus argumentum, ſi eo, quod ordine praegreditur, reliquorum nullum anterius eſſe dixeris: ſed ne hoc quidem ſatis tutum: nam, quod cap. XLVII extat, vaticinium videtur haud parvo temporis intervallo praeceſſiſſe. Quod autem primus locus datus eſt oraculo contra Aegyptum, ejus rei probabilis cauſa concipi poteſt vel haec, quod et in communi illa tabula, cap. XXV. Judaeam continuo excipit Aegyptus vers. 19. vel haec, quod, quae proxime praecedit libri pars haud exigua, inde à cap. XLII. et ipſa verſatur in exponendis calamitatibus, quae Aegypto ſint proximo tempore eventurae.

3. Quae de Hieroſolymitano legatorum ex compluribus gentibus conventu ad communia contra Babylonium conſilia capienda nonnullis viris primariis arridet opinio, quo minus commendabilis nobis videatur, cum aliae cauſae efficiunt, tum inprimis haec, quod inter reges civitatesque, quibus decreta Dei denuntiare Jeremias jubetur cap. XXVII. ultimo loco (vers. 26) memoratur etiam rex Scheſchach; h. e. Babylonius. — Conſilium autem, quod Deus in edendis de rebus exterarum gentium oraculis ſecutus ſit, ſi non unice, praecipue tamen in eo poſitum eſſe dixerimus, ut edocerentur Judaei, Jehovae imperium non eſſe ad unius provinciae populive fines adſtrictum, ſed patere quam latiſſime, atque omnes omnino populos ſic complecti, ut ex ipſius lubitu omnia gerantur eveniantque. Sed de his uberius diſſerendi jam non aſt locus. —

Quae cum ita ſe habeant, nos non dubitamus, in ea ſententia, quam ad vers. expoſuimus, perſiſtere, Obadiam poſt everſam demum urbem oraculum ſuum edi-

ediſſe. Quod vero Jeremias paullo poſt et ipſe incitante atque afflante Deo inſectans Edomitas, Obadiae orationem imitatus eſt, et tantum non ſuam fecit, id non poteſt non fidem auctoritatemque Obadiae magnopere apud nos confirmare, atque hanc vim habere, ut levius feramus rerum ad vitam ipſius pertinentium ignorationem.

II. Alterum quod brevius abſolvitur, locum ſpectat, qui in ſerie duodecim prophetarum obtigit Obadiae. Etenim mirum videri poſſit, prophetam aetate poſteriorem antecedere alios ipſo haud dubie multum antiquiores. Sed cauſa hujus rei nobis in promtu eſſe videtur. Nimirum, quod Amoſus extrema ſua oratione et ipſe Idumaeos a Judaeis olim ſubigendos eſſe praedicit, ſed nonniſi breviter ac ſummatim; viſum eſt illi, qui minores prophetas uno volumine comprehendit digeſſitque, Amoſo proxime ſubjungere Obadiam, qui quod breviter ab illo dictum eſſet, declaret copioſius, et legentibus praeberet quaſi uſum commentarii.

Sequitur nunc oraculum latine redditum.

Viſum Obadiae.

Sic ſtatuit Dominus Jehova de Edom:
Nuntium audivimus ex Jehova, nempe legatus ad gentes miſſus eſt, (qui dicat:) agite, inferamus ei bellum.

2. *Ecce, minimam te reddam gentium, contemtiſſima tu eris.*

3. *Faſtus animi tui te decepit, qui tenes tractus plenos rupibus, edita gaudes ſede, cogitas: quis me dejiciat in planum?*

4. *Etiam-*

4. *Etiamſi te evexeris ut aquila, ac inter ſidera poſueris nidum tuum, tamen inde dejiciam te inquit Jehova.*

5. *Si fures te invaderent, ſi praedones nocturni, quam te contineres, utique furaturi eſſent quantum ſibi ſufficeret: ſi vindemiatores te invaderent, utique relicturi eſſent racemos.*

6. *Quam perveſtigabuntur Eſavitae, perquirentur eorum abditiſſima!*

7. *Ad fines te abigent omnes ſocii tui, decipient te tibique perſuadebunt amici tui, mercenarii tui inſidias tibi ſtruent, te haud quidquam intelligente.*

8. *Vtique tum, inquit Jehova, deleti a me erunt ſapientiores ex Edom, atque intelligentiores ex montibus Eſavi.*

9. *Fractique erunt fortes tui, o Theman, tunc exſcindetur ex monte Eſau unusquisque ad pugnam aptus.*

10. *Ob injuriam fratri tuo Jacobo illatam operiet te pudor, atque exſcinderis in perpetuum.*

11. *Cum tu ex adverſo ſtares, abducentibus barbaris copias ejus, exterisque urbem occupantibus, et de Hieroſolymis jacientibus ſortem, quoque tu eras velut unus ex illis.*

12. *At non debebas delectari ſupplicio fratris tui, cum alienaretur, nec debebas laetari de Judaeis, cum perirent, neque inſolenter gloriari tempore calamitatis.*

13. *Non debebas intrare portam populi mei tempore exitii ejus, non debebas delectari quoque tu miſeria illius, tempore exitii ejus, nec immittere manum in illius copias, tempore exitii ejus.*

14. *Neque debebas conſiſtere ad bivia ad perdendos qui evaſuri eſſent, nec hoſtibus tradere fuga elapſos tempore calamitatis.*

15. *At inſtat dies ſupplicii divini omnibus gentibus: prout feciſti, fiet tibi: meritum in tuum caput recidet.*

16. *Etenim quemadmodum* (vos Judaei) *bibiſtis in monte meo ſancto, bibent omnes gentes indefinenter: et bibent ac irritae evadent, eruntque ac ſi eſſent nihilum.*

17. *In monte autem Zion erunt qui evaſere, eritque ipſe ſacer, tenebitque Jacobi progenies priſtinas ſuas ſedes.*

18. *Et erit Jacobi progenies ignis, et Joſephi progenies flamma, et Eſavi progenies ſtipula: illique ardebunt in his, ipſosque conſument, nec erit ſuperſtes de progenie Eſau, nam Jehova ſic ſtatuit.*

19. *Et tenebunt* (Judaei) *tractum meridionalem cum regione montana Eſavitarum, et campeſtrem cum Philiſtaea, tenebuntque ditionem Ephraimiticam Samariticamque, et Benjaminitae tenebunt Gileaditidem.*

20. *Et exules illi priores Iſraëlitae tenebunt quod Chanaanaeorum eſt Sareptam usque: exules autem Hieroſolymitani, qui nunc Sepharadi ſunt, oppida tractus meridionalis.*

21. *Ac proficiſcentur, qui Zione erunt, victores ad ſubigendum Eſavi montem: et Jehovae erit regnum.*

XIV.

XIV.

EZECHIEL. XXI.

Quam publico examini ſubmittimus, diſſertationem, ſi ſuo ipſius nomine commendare ſeſe minus poſſit, ſperamus certe alienae commendationis nonnihil habituram eſſe ab eo, quod, tanquam ornamentum aliquod, ad illam acceſſit extrinſecus. Exhibet enim ſpecimen verſionis cujusdam arabicae, cujus nonniſi minuta quaedam fragmenta adhuc proſtabant in Edvardi Pocockii *commentariis* ad quosdam prophetas, excerpta ex libro, qui olim Huntingtoni erat, nunc bibliothecae Bodleianae eſt Oxonii, atque in *catalogi* ſuperiore anno editi a clariſs. Jo. Uri parte ea, quae codices manuſcriptos hebraicos et chaldaicos, unacum arabicis, hebraeo charactere expreſſis, refert, pag. 9. deſignatur his verbis: "XL. Codex chartaceus, characteribus Rabbinicis, venuſtis et luculentis, anno Chriſti 1580, exaratus, complectens *prophetas* aeque *majores* atque *minores*, de Hebraico in Arabicum ſermonem ab Anonymo translatos, quibus librarius, in voluminis frontiſpicio, ſequentem praemiſit epigraphen: *aggredior ſcribere paraphraſin prophetarum poſteriorum, qui ſunt Iſaias, Jeremias, Ezechiel et duodecim, anno creationis* 5340 [שנת הש״ם ליצירה] Folia nonnulla, uſu et incuria hinc inde avulſa, recentior ſupplevit manus. [Hunt. 206.]" Addendum erat, ipſum hoc folium, cui inſcripta eſt illa epigraphe, multo recentioris quam reliqua aetatis eſſe, ad finem autem Ezechielis ſignificari, quod

 abſolu-

abſolutus fuerit Ezechiel פי סנה אלף תֹּקֹ וֹ לתאריך, h. e. quingenteſimo ſeptimo anno aerae vulgaris, i. e. Hegirae; cuius anni initium erat 18. Jun. 1113 aerae Chriſtianae: quae temporis notatio utrum de exſcripto hoc exemplo, an de confecta ab auctore ipſo verſione accipienda ſit noſtrum non eſt decernere. *)

Pocockius quidem, vir ſummus, poſtquam in praefat. commentarii ad Micham negaſſet, poſſe hanc, a ſe primo adhibitam, verſionem probabiliter ad *Saadiam Gaon* referri, poſtea tamen, mutata ſententia, in commentario ad Hoſeam (*Pocok's theological works*, Vol. II. p. 280) viſus ſibi eſt haud incertum Saadiae veſtigium in eo deprehendiſſe, quod locum Hos. VI. 9 eodem plane ſenſu redditum atque expoſitum exhiberet, quo R. Davides Kimchi diſerte diceret Saadiam in ſua verſione uſum eſſe. Ac ſane haud mediocrem commendationem habitura erat verſio, quae a tali, tam

[*) Auctor, mox poſt editam hanc commentationem monitus ab ill. Tychsenio, academiae Roſtochienſis nunc profeſſore, de mirifico, qui in annis 1507 ab Hegira ductis commiſſus ſit, errore, rogavit Fordium, in academia Oxonienſi litterarum arabicarum prof. celeberr. velit ipſe librum Bodleianum inſpicere, et de lectione referre. Qui cum humaniſſime reſcripſerit, notam *Ezechieli* ſubjectam vere eſſe hanc: וכאן אלפראג מנה פי לילה אלארבעא והי לילה ערבה סגה אלף תֹּקֹ וֹ לתאריך: eſſe vero etiam *Jeremiae* ſubjectam notam, eidem plane conſonam, hanc: ואפתק פראג הדה אלנסכה אלמימונה סארס עשר אב שנת אֹתֹּקֹ וֹ לשטרות: explorata nunc et confecta res eſt, annum, quo ſcriptus eſſe dicitur liber, aeſtimandum eſſe ex vulgari aera Judaeorum, dicta *contractuum*, et reſpondere anno aerae chriſtianae 1196. vid. *Beurtheilung der Jahrzahlen in den hebraeiſch-bibliſchen Handſchriften*, von O. G. Tychſen. pag. 9 ſq.]

tam magni inter ſuos nominis, auctore vere profecta ſit. Sed habet illa alicubi ſignum ſibi impreſſum, quod omnino vetat, eam Saadiae tribuere. Etenim verſui nono, cap. XXXV. Eſaiae ſubjectam habet notam hanc: ופסר רבנו סעדיהו לא יהיה שם: ולא יכון פיהא מן גנס אלאסד ופארי מתנארי אלחיואן לא יצעדון פיהא בל לא יוגדן תם פי סירהא אלאוליא וקט: h. e. *R. Saadias autem hunc verſum interpretatur hoc modo*: non erit in ea de genere leonis rel. Vnde conſequitur, auctorem verſionis et diverſum a Saadia, et ipſo aetate poſteriorem, at tamen verſionis a Saadia profectae probe gnarum, atque hac, in ſuo opere perficiendo, diligenter uſum fuiſſe: unde facile eſt ad intelligendum, qui factum ſit, ut locus Hoſ. VI, 9 eodem apud ipſum ſenſu veniat, quo Saadiam accepiſſe refert Kimchius. Extat etiam in bibliotheca Bodleiana Eſaiae paraphraſis arabica, quae et Saadiam auctorem profitetur, et, quod plus valet ad rem conficiendam, locum Es. XXXV. 9 prorſus talem exhibet, qualem ex Saadia refert verſionis alterius auctor incertus. Codex loc. cit. pag. 28 ſic deſcribitur: "CLVI. Codex chartaceus, anno Contractuum 1556, Chriſti 1244, perbelle exaratus, continens commentarium in *Iſaiam*, arabica lingua elucubratum, et *Paraphraſis* inſcriptum, qui foliis, quorum priora recens ſunt ſuppleta, 152 conſtat: auctore *R. Saadia ben Joſeph*, Synagogae capite. Floruit *Saadia* ille ſeculo decimo. [Pocock. 32]" Tituli loco quem infra ponit cel. URY, adſcribimus notam in extremo libro poſitam, non ab eo, qui priora folia ſupplevit, ſed ab ipſo reliqui codicis exſcriptore exaratam: כמל ספר הפסיר ישעיה עבארה מרנו ורבנו ארונינו סעדיה ראש הישיבה בן מר ור' יוסף זצל בחודש אלול שנת אתקנו לשטרות: Extat ejusdem Saadiae paraphraſis arabica Jobi in co-

dice

dice Bodleiano XLV. qui, teſte Urio, loc. cit. pag. 10 continet librum Jobi, "cum interpretatione arabica duplici, eâque paſſim ſcholiis illuſtrata; una *R. Saadiae* perpetua, altero *R. Moſche Gecatiliae* interrupta, et priori hic et illic tantum ſubſtrata", et, quod nos addimus, initium praefationis habet hoc, חדה תרגומה כתאב אלתעדיל ·אלמנסוב אלי איוב ממא תרגמה ראס אלמתיבה מרנו ורבנו סעדיה ראש ישיבה״ה — *haec interpretatio eſt liber directionis derivatus ex Jobo juxta interpretationem praefecti ſynagogae domini ac magiſtri Saadiae.* — Itaque cum, praeter pentateuchum, Eſaiam quoque ac Jobum a Saadia arabice translatum fuiſſe conſtet; admodum credibile ſit, operam ejus non ſubſtitiſſe in his libris, ſed ad reliquas etiam veteris teſt. partes pertinuiſſe. conf. ill. Eichhornii *Einleitung*, §. 277.

Verum, ut redeamus ad illam, de qua nobis praecipue agitur, verſionem, etiamſi Saadiae non ſit, eſt tamen aetate haud multum inferior, et forte ad Saadiae exemplum maximam partem conformata. Auctor quis fuerit, penitus nos latet: Judaeum fuiſſe, vel ob eam cauſam credibile eſt, quod in ſuo opere concinnando Saadiam adhibuit, ipſumque honorifico magiſtri nomine compellavit. Verum, quisquis ille ſit, ut dicamus quod res eſt, haud omnino talem ſeſe comprobavit, qui ſuſcepto operi rite ac probabiliter perficiendo ex omni parte ſufficeret. Arabicae quidem linguae bene gnarus fuerit, ut qui talia plerumque vocabula captaret, quae utrique ſermoni, et arabico et hebraeo, eſſent communia atque conſona. Sed hebraicum textum ſubinde tractavit fere negligentius. Nam neque ordinem ſermonis ſemper ſecutus eſt, neque vocalibus obtemperavit accentibusque, etiam ubi ab illis recedendi idonea cauſa eſſet nulla: in dictis autem obſcu-

obſcurioribus ſenſum utcunque ex ingenio ſuo hauſtum loco accommodaſſe magis, quam ex loco ipſo derivaſſe videtur. Nec tamen indigna dici poteſt haec verſio, cujus aliquod ſpecimen proponatur litterarum ſacrarum ſtudioſis: dignior etiam, quae tota in lucem publicam ederetur, illa, quam in bibliis polyglottis dudum editam conſpicimus.

Praeter hoc arabicae verſionis ſpecimen viſum quoque eſt noſtrae tractationi interponere excerpta ex *R. Tanchumi*, Judaei Hieroſolymitani, in prophetas commentario arabico, inſcripto כתאב אלביאן; exſcripta ex codice olim Pocockiano, nunc Bodleiano, qui in novo catalogo pag. 16 eſt LXXXI. LXXXII. Rabbini hujus operam, de cujus aetate haud quicquam compertum eſt, niſi quod poſterior ſit Moſe Maimonide, tanti fecit Pocockius, quo nemo in hisce litteris intelligentior judex cogitari poteſt, ut luce publica digniſſimam eam pronuntiaret, ac ipſe illius edendae conſilium animo agitaret. Neque tamen nos partem illam, quae ad caput Ezechiel XXI pertinet, omnem atque integram exhibemus; ſufficere rati, ſi diſcrimine facto ea ſeligerentur, quae aptius et convenientius dicta eſſent, reliquis, quibus facile careas, praetermiſſis. Sed ad juvandos lectores non modo arabicis verſionem adjungimus, eamque verbis adſtrictiorem, et, ſi qua re, fide ſua magis quam elegantia commendabilem, ſed et litteris hebraicis illis, quae ob duplicem uſum ambiguitatem habent, puncta diacritica imponimus, quae in libris calamo ſcriptis non quidem omnia deſunt, ſed parcius tamen apparent. Obſervandum itaque, litteras hebraicas

ת̇ כ̇ ד̇ צ̇ ט̇

reſpondere arabicis ث خ ذ ض ظ

Quibus praemiſſis ſequitur nunc capitis verſio arabica.

1. Et fuit alloquium Dei ad me dicendo: 2. o fili hominis, converte faciem tuam verſus auſtrum et vulga hunc ſermonem de auſtro, et vaticinare contra ſylvam agri auſtralis. 3. Et dicito arbuſto auſtrali, percipe alloquium Dei: ſic dicit Dominus Deus: ecce ego accendo in te ignem, et conſumet in te omnes arbores virides, ac omne lignum aridum, neque extinguetur flamma accenſa, atque adurentur ea omnes partes auſtri ſeptentrionem verſus. 4. Et videbunt omnes homines, quod ego Deus eam accenderim, adeoque non reſtinguatur. 5. Tunc dixi, heu, Deus, illi dicunt mihi: nonne hic parabolis utitur? 6. Et fuit etc. 7. o fili hominis, converte faciem tuam ad Hieroſolymas et vulga de locis ſanctis et vaticinare ſuper terram Iſraël. 8. Et dic terrae Iſraël, ſic dicit

1 ויהי: וכאן כטאב אללה
אלי קאילא: 2 בן אדם: יא בן
אדם דיר וגהך טריק אלדארום
1) וביח בהדא אלכלאם פי
אלדארום ותנבא עלי דחלה 2)
חקל אלדארום: 3 ואמרת:
וקל לשערא אלדארום אסמע
כטאב אללה כדי קאל אלסיד
אללה הא אנא מלגג 3) פיך
אלנאר ותאכל פיך כל שגרה
רטבה וכל עוד יאבס ולא
תטפא אללהבה אלמלתהבה
ויתשיט מנהא כל גהאת
דארום שמאליא: 4 וראו:
וינטרו גמיע אלבשר אנני
אללה אשעלתהא פלא תטפא:
5 ואמר: פקלת אלגות הם
קאילין לי אליס הדא ממתל
אלאמתאל הו: 6 ויהי: וכאן
וג': 7 בן אדם: יא בן אדם
אקבל בוגהך אלי דאר
אלסלאם וביח פי אלמקאדס
ותנבא עלי ארץ אסר':
8 ואמרת: וקל לארץ אסר'
כדי קאל אללה הא אנא אליך
ואכרג

1) videtur haec vox a Judaeis demum in arabicum ſermonem illata eſſe.

2) ſic habet codex, ſed putem reſcribendum eſſe רגלה, رغلة, *ſylva denſior.*

3) eſt haec lectio codicis; forte autem legendum מלהב.

Deus: Ecce ego ad te, educamque gladium meum e vagina ejus, et exſcindam ex te probum et improbum.
9. Eo ut exſcindam ex te probum atque improbum, ſtringam gladium meum e vagina ſua ſuper omnes homines in auſtro verſus ſeptentrionem.
10. Et ſcient omnes homines, quod ego ſim Deus ille qui eduxi gladium meum e vagina ſua, non reponam eum unquam.
11. Et tu, fili hominis, male habe (juxta alios: tumeſce) in fractione lumborum; et in amaritudine tumeſcas ipſis praeſentibus.
12. Ac ſi dictum tibi fuerit, quare tu tumeſcis? tune dic, ob nuncium qui venit, eumque talem qui liqueſacit corda, et debiles reddit manus, operitque animos, et genua fluere facit aqua ex ſudore; ecce hoc venit, fit, inquit Dominus Deus:
13. Et fuit.
14. Fili hominis, vaticinare et dic; ſic dixit Dominus

ואכ֗רג סיפי מן גמדה ואקטע
מנך אלצאלח ואלטאלם :
9 יען: גמא מא אנקטע מנך
אלצאלח ואלטאלם לד֗לך אסל
סיפי מן גמדהא עלי כל בשרי
פי אלדארום שמאליא :
10 וידעו: ויעלמו כל בשרי
אני אנא אללה אלד֗י אכ֗רגת
סיפי מן גמדהא לא אגמדהא
בתה: 11 ואתה: ואנת יא בן
אדם תחסר ויקאל תנחו 4)
בכסר מן אלחקון ובמרארה
תתנהד בחצרתהם: 12 והיה:
פאד֗א קיל לך עלי מא אנת
מתנהד פקל עלי אלנעי אלד֗י
קד גא והו ממא ידיב אלקלוב
ויד֗כי אלידין וידמס אלנפוס
ואלרכבתין תגרי אלאמיא מן
אלערק הוד֗א הו גאיה כאינה
קאל אלסיד אללה: 13 ויהי:
וכאן: 14 בן אדם: יא בן
אדם

4) uſus verbi نجد in *quinta* conjug. videtur eſſe inſolentior: nam neque Golius habet hanc conjugationem, neque Gjeuharius Phiruzabadiusque.

Deus, gladius eſt gladius
acutus, et politus etiam.
15. Vt diſſecaret diſſecando,
exacutus eſt, ut eſſet ipſi fulgor,
(facta eſt) politura: o
itaque eum qui laetatur eo
quod ipſi eſt de tribubus, et
o adeoleſcentes, repudiat
omnem virgam elegantem.
16. Et reddidit eum politum,
ut adhaereret manui,
ideo exacutus eſt gladius,
eſtque politus, traditusque
in manum percuſſorum.
17. Clama et ejula, o fili
hominis, quomodo eſt hic
in populo meo, usque ad
reges adeo Iſraëlis (patent)

אדם תנבא וקל 5) כדי קאל
אלסיד אללה: אלסיף סיף חאד
ומסקול 6) איצא: 15 למען:
לכי יקצב תקציב הד ולכי
יכון לה בריק אלסקאל פיא
סאר במא הו פיה מן
אלאסבאט ויא נשו זאהד כל
קציב אלאדב: 7) 16 ויתן:
וגעלהא מסקולה לתלזם
באליד לדלך סנת אלסיף
והי 8) מסקולה וסלמת ביד
אלקתאל: 17 זעק: אזעק
וולול יא בן אדם כיף כאנת
הדה פי קומי חתי מלוך אסר
פואעי מן אלסיף 9) פלדלך יא
שעבי

5) MS. habet וקאל.

6) rectior et frequentior ſcribendi modus eſt مصقول.

7) obſcurior locus, cujus et ſenſum, et cum hebraicis verbis convenientiam vix perſpicias. סאר haud dubie eſt سارّ, particip. verbi سرّ. نشو pertinet ad radicem نشأ *adolevit.* قضيب non modo *virga* eſt, ſed et *ſceptrum*, veluti *Abulpharag. hiſt. Dynaſt.* pag. 67 القضيب السلطاني, *ſceptrum regale.* Caeterum locus omnis ita comparatus eſt, ut facile intelligas, interpretem haud alia, quam quae nunc eſt, lectione uſum, ſed ſuo maxime ingenio in captando ſenſu obſecutum eſſe.

8) MS. habet והיא.

9) neglecto היא altero conjungit interpres verba: בכל נשאי — — היו.

timores a gladio, igitur o, popule mi percute manu tua femur tuum. 18. Exploratio haec eſt, quomodo tribus repudiatura ſit vitam, inquit Deus. 19. Et tu, fili hominis, vaticinare et complode manus; et duplicat gladius terne, et gladius occiſorum eſt gladius caedis magnae inſectaturus illos. 20. Vt commoveatur cor ipſorum et multa ſint offendicula, ad omnes portas illorum poſui micantem (juxta alios: ſplendentem) gladium; isque factus eſt ad ingemiſcendum, faſtidiens, fulgurans. 21. Seorſim maneas atque

שעבי אספק ידך על ורכך דרדא: 10) 18 כי בחן: אן דלך אמתחאן כיף יכון סבט ואהרא פי אלחיוה יקול אללה: 19 ואתה: ואנת יצ בן ארם תנבא ואצרב כפא עלי כף וצאעף אלסיף בתלאת וסיף אלקתלי 11) הי סיף הי סיף 12) אלקתל אלעטים אלמטענה אליהם: 20. למען: לכי אן ימוג קלבהם ותכתר אלמעאתר עלי גמיע אבואבהם גצלת תלויח ויקאל למע 13) סיף פעמולה ללתאכך 14) צגירה 15) מברקה קתאלה: 16) 21 תתאחדי: אנפרדי ותיאמני אצעי

10) incertum vocabulum, cujus ſenſum aliis decernendum relinquimus.

11) male codex habet אלקטלי.

12) putem, formulam הי סיף per errorem a librario repetitam eſſe.

13) تلويح et لمع cum ſint fere ſynonyma vocabula; non patet cur hic diſtinguantur. Sed vid. quoque v. 26.

14) תאכך puto eſſe infinitivum quintae conjug. ductum a particula أخ, ah.

15) puto eſſe ضجيرة, idque poſitum pro hebr. מעטה.

16) forte legendum קאתלה.

dextram petas, ponas et ſiniſtram petas, et quocunque volueris, te convertas. 22. Atque et ego augebo iram ſuper iram meam; tum ſedata erit ira mea; ego dixi hoc. 23. Et fuit. — 24. O tu, fili hominis, pone tibi duas vias in adventu gladii regis Babylonii, atque ex eadem terra ambae exeant, et ſelige locum in principio viae ex urbe ſelectum. 25. Et fac viam ut veniat gladius a Rabbatha Ammonitarum ſuper Judam Hieroſolymis 26. Nam conſiſtit rex Babylonius ad moleſtias viae ſub initium viae, omnia capit, commovet ſagittas (juxta alios, حركى) interrogat imagines (juxta alios:) inſpicit jecur- 27) In dex-

אצ̇עי ותיאסרי ואלי אי גהה
אררתי תואעדי: 22 וגם:
ואיצ̇א אנא אויד גצ̇ב 17) עלי
גצ̇בי חיניד̇ תסכן חמיתי אנא
אללה קלת דלך: 23 ויהי:
וכאן: 24 בן ארם: ואבםן
ארם אנת אגעל לך טריקין
פי מגי סיף מלך באבל ומן
בלד ואחד יכרגו כליהמא
ואנתקי מכאן פי אול אלטריק
מן אלקריה מנתקא: 25 דרך:
ואגעל טריק למגי אלסיף
מן אגלא 18) בני עמון עלי
יהודה פי דאר אלסלם: 19)
26 כי עמד: לאן קד וקף
מלך באבל עלי קוארע 20)
אלטריק פי אול אלטריק
יתפול בפאלאת קלקל
אלסהאם 21) סאל באלאמתאל
ויקאל אצטזלאב 22) ונטר פי
אלכבד: 27 בימינו: פי ימינה
אלפאל

17) acſi hebraice eſſet אפי.

18) אגלא, أجلا, *illuſtrior*, poſitum pro רבת. Admodum negligenter redditus eſt hic verſus.

19) debet eſſe אלסלאם.

20) mira interpretatio, quae quomodo orta ſit nos haud capimus.

21) male codex habet אלסהאר.

22) peregrinum vocabulum, qualia complura affert Golius pag. 117 et 100. Quid ſignificet, nos latet.

tra ejus eſt omen contra Hieroſolymas, ut effodiat foſſas, et aperiat os terrefaciendo, ut tollat clamorem in praevalentia, ponatque arietes contra portas, et ſpargat tribulos, et exſtruat manganum. 28. Et videtur illis omen mendax, at ipſe jurat illis juramenta, et ipſe recordatur criminum eorum, ut capiat illos. 29. Propterea ſic dicit Dominus Deus: pro eo quod in memoriam revocaſtis crimina veſtra, et manifeſtata ſunt delicta veſtra in omni opere veſtro, et pro eo quod memoraſtis illud, firmiter tenebimini manu. 30. Et tu, o occiſe, o improbe, o princeps Iſraëlis, nonne jam adeſt tempus termini tui et diei tui?

אלפאל עלי ראר אלסלאם
ליחפר כנארק ויפתך פאה
בתהויל לירפע צות בתגליב
ויצע מחאמלה עלי אלאבואב
ויבדד אלחסך (23 ויבני
מנגניק: 28 והיה: פצאר
ענדהם כפאל בהתאן והו
יחלף להם אימאנאת והו
ידכר דנובהם ליואכדהם:
29 לכן: לדלך כדי קאל
אלסיד אללה עוץ מא דכרתם
דנובכם ואנכשפת גרומכם
וטהרת כטאיאכם פי גמיע
עללכם זגוא מא דכרתמוה
תלומון באליד: 30 ואתה:
ואנת יא קתיל יא טאלם יא
שריף אסר' אליס קד חאן
וקת אגלך ויומך: 31 כה:
כדי

23) vox حسك proprie tribulum plantam ſignificat, improprie inſtrumenti bellici genus aliquod, quod ſpeciem tribuli refert. Phiruzabadius: ويعمل على مثال شوكه اداة للحرب من حديد او من قصب فيلقي حول العسكر وتسمي باسمه, h. e. *conficitur ad ſimilitudinem ſpinae ejus inſtrumentum aliquod bellicum ſive ex ferro ſive ex arundine, quod ſpargitur circa exercitum, et eodem nomine quo planta, deſignatur.*

31. Sic dicit Dominus Deus: auferam cidarim, et tollam coronam, non eſt haec condito inſtar illius. conditionis, quod depreſſum eſt extollam, et quod elatum eſt, deprimam. 32. O curva, curvata, certe augebo curvitatem tuam: juxta omne hoc non eris, donec veniat is cujus eſt vindicare, et tradam te in poteſtatem ejus. 33. Et tu, fili hominis, vaticinare, et dic: ſic dicit Dominus Deus de filiis Ammon et exprobrationibus eorum, et dic: gladius, ſtrictus eſt ad mactationem, poſitus ut perdat, atque ut fulguret. 34. Cum reſpicias ad id quod vanum eſt, cum omen capias ab eo quod mendax eſt, propterea conſtitui te occidendum eſſe: improbi ſunt quorum adeſt dies et terminus. 35. Repone eam in vaginam ſuam; in loco quem elegiſti, in terra emtionis tuae, ultionem a te ſumam. 36. Et effundam ſuper te iram meam, igne

כדי קאל אלסיד אללה אנזע
אלעמאמה וארפע אלתאג ליס
הדה אלנובה מתל תלך
אלנוב אלמסתפלה ארפעהא
ואלמרתפעה אכפצהא:
32 עוה: יא עוגאה- מעוגה
לאזידן אעוגאגך בכלה לם
תכן חתי יגי אלדי לה
אלאנתקאם ואסלמך פי ידה:
33 ואתה: ואנת יא בן אדם
תנבא וקל 24) כדי קאל
אלסיד אללה לבני עמאן
ולתעיידאתהם וקל. סיף ואי
סיף מסל ול ללדבאחה מסקולה
לתפני ולכי תברק; 34 בחזות:
בנטרך אלי אלבאטל בתפולך
באלכדב לדלך געלת תקתלי
אלטלמה אלדין קד חאן
יומהם ואגלהם: 35 השב:
רדהא אלי גמדהא 25)
פי אלמוצע אלדי אנתקיתה
פי בלד ביעך אנתקם מנך:
36 ושפכתי: ואספך עליך
זגמי בנאר וגדי אנפך עליך
ואסלמך

24) Cod. male habet וקול.

25) perperam codex habet רמדהא.

indignationis meae flabo ſuper te, et tradam te in vim hominum contendentium, qui parant perniciem. 37. Cibus eris igni, ſanguis tuus erit effuſus in media terra; tunc recordaberis, me Deum haec locutum fuiſſe.	ואסלמך פי יד אנאס מנאזין צאנעי אלאפסאד: 37 לאש: טעאם תכון ללנאר דמך יכון מצבוב פי וסט אלבלד ענד דלך תדכרי 26) אני אנא אללה קלת דלך:

Prima quidem pars capitis, vers 1 — 5. quam nonnullae editiones minus commode ad prius caput referunt, fere non habet, quae explicatione admodum egeant. הַטֵּף vers. 2. elliptice dictum pro הטף מלתך coll. Job. XXIX. 22. Verbum hoc, in quo metaphora eſt non abſimilis ab ea, qua *oratio fluere* dicitur, de propheticis declamationibus uſurpari conſuevit, veluti Amos. VII. 16. Mich. II. 6. Alexandrinus interpres hic et vers. 7 habet, *και ἐπιβλεψον*, nec non utrobique Syrus ܚܘܪ, *reſpice*, hebr. הַבֵּט: Symmachus autem caruiſſe videri poſſit vocabulo והטף, ſi Montfauconium audias, apud quem locus ita ſe habet: *στηρισον το προσωπον σου ἐπι τον νοτον ὁδον λιβος, καὶ προφητευσον* — Sed *codex Syriaco-hexaplaris Ambroſiano-Medionalenſis editus et latine verſus a* Matth. Norberg Symmachi verſionem exhibet hanc: — ſuper auſtrum viam auſtri, *curam habe*, ܐܙܕܗܪ, et propheta — quod ܐܙܕܗܪ, modo ſana ſit lectio, de quo magnopere dubitandum, et ipſum poſitum videri poſſit pro הבט. Eſtque omnino haec lectio הבט non aliena a contextu ſermonis, neque

26) particulam לא non exprimit interpres: ſed poſſit eam interrogative ſumſiſſe.

neque tamen editae, quae exquiſitior eſt, anteponenda השׂירה pleonaſtice poſitum, ut in formula עצי השׂירה, XVII. 24. כל פנים vers. 3 non ſignificat, *omnium* hominum *facies*, ut VII. 18. nam de hominibus, illisque non adurendis ſed conſumendis ſermo eſt: ſed פנים faciem denotat ſeu latus, ut ſenſus ſit: quaquaverſum, ex omni parte, omnia conflagrabunt. Sylvam autem hic imaginem eſſe Urbis et univerſae terrae judaicae, Judaeis, qui in Babylonia tum exularent, ad auſtrum poſitae, manifeſtum quidem eſt atque obvium. Sed propheta tamen, verendum ſibi eſſe ratus, ne ſuis, ſenſum orationis ſive haud aſſecuturis, ſive tarditatem in intelligendo ſimulaturis, occaſionem praeberet, exprobrandi ſibi hanc in dicendo ambiguitatem obſcuritatemque, ex adhibitis imaginibus profectam, qua perverſa excuſatione illos nonnunquam uſos fuiſſe credibile eſt, dubitationem Deo modeſte exponit, ſignificans, malle ſe alio, eoque aperto dicendi genere uti, quod excuſationem auditoribus relinqueret nullam. Igitur proxima oratione explicatius nunc atque apertius declaratur, quod antea parabolice dictum eſt.

Vers. 7. אל מקדשים Syrus reddit, ad ſanctuarium *eorum*, quod in ſuo codice haberet defectivam ſcriptionem (מִקְדָשָׁם), quae extat in 3 libris Kennicottianis et uno De-Roſſiano, putaretque accipiendam eſſe pro מִקְדָשָׁם. Alexandrinus, qui habet, *και ἐπιβλεψον ἐις τα ἁγια ἀυτων*, אל מקדשיהם, ex ingenio videtur pronomen addidiſſe. Duo codices Kennicottiani habent מקדשי, quam lectionem ſuſpicamur inde ortam eſſe, quod librarii nonnunquam, maxime in extrema linea, loco ם pluralis ponerent ſuperne ſignum hoc, 'מקדשי. Caeterum מקדשים non loca ſancta univerſe innuit, ſed templum maxime Hieroſolymi-

lymitanum cum ſacris omnibus ad illud pertinentibus, ut eſt apud Jeremiam, LI. 51 בי באו זרים אל מקרשי בית יהוה, *quod barbari occuparent templum Jehovae ſacrum.*

Vers. 8 ad verba *inſontes reosque* placet commemorare ſcholion Tanchvmi, qui ſic: וְהִכְרַתִּי מִמֵּךְ צַדִּיק וְרָשָׁע ליס יצלח אן יכון צדיק פי אלחקיקה כל דלך פי זעמה וזעמם תבאעה כמא יסמו נביאי השקר ונביאי הבעל נביאים עלי זעמהם כמא קיל לחנניה בן עזור ויקח חנניה הנביא: *haud intelligendum de eo, qui ſit vere* צדיק, *ſed de eo, qui ſibi ſuisque aſſeclis talis videtur, quemadmodum etiam falſi prophetae et prophetae Baalis dicuntur prophetae juxta ipſorum opinionem, et Chananja* Jer. XXVIII. 10 *propheta dicitur.* Alexandrinus etiam non nihil dubitationis in hoc loco habuiſſe videtur, quod mutata lectione vertit, *και ἐξολοθρευσω ἐκ σȣ ἀδικον και ἀνομον.* At non putamus, verbis tam anxie inhaerendum eſſe, ut quae nonniſi publicam omnibusque communem cladem indigitant.

Vers. 11. Tanchvm haec habet, הֵאָנַח לְעֵינֵיהֶם הו אלתנהד ואלזפיר יאלערב איצא תקיל לה אנח בפתח אלנון והו אכראג אלנפס מן אלצדר בעד מדה כאלתמאם וגיץ: 1) h. e. *verbum ſignificat turgeſcere et ſpiritum demittere, etiam arabice hoc fere ſenſu uſurpatur verbum* أَنَّح, *diciturque, cum quis emittit ſpiritum e pectore poſtquam extendit illud, ut in moerore ac indignatione.* Verba בשברון מתנים putamus ex

1) גיץ puto eſſe غيظ, ut לפץ nonnunquam ſcribitur pro لفظ.

ex eo declaranda eſſe, quod, qui attoniti ſunt atque ex timore imminentis calamitatis ſtupefacti, hebraeis dicuntur lumborum doloribus correpti eſſe, velut Eſai. XXI. 3. Nahum. II. 11. contrarium vero חזק מתנים Nah. II. 2 eſt, animum recipere ac confirmare. Itaque בשברון מתנים eſt, cum ſummo animi angore. — Jubetur autem vates in querimonias lacrymasque effundi eo conſilio, ut non dictis modo, ſed factis etiam ſuorum animos commoveret, atque ad rem ſedulo reputandam excitaret.

Vers. 12 formula כל ברכים תלכנה מים, qua Ezechiel praeter hunc locum etiam VII. 17, ſed ſolus utitur, varie accipitur. Ill. Michaelis vertit: genua omnium concident, inſtar aquae imum petentis: qui ſenſus neſcio an cum uſu verbi תלכנה poſſit conciliari. Nec admodum arridet Hieronymi ſententia, quamquam et Grotio illa ſe probavit, et ven. Dathio; malimque מים cum auctore verſionis arabicae Bodleianae de ſudore quam de lotio accipere. Sed nobis videtur formula, *ire per aquam*, nonniſi vacillandi, labandi ſenſum habere, quod qui per aquam vadit, maxime fluentem, firmum greſſum vix habet, ſed labantibus genibus incedit. Itaque כל ברכים תלכנה מים inſolentius dictum eſt pro כל ברכים תכשלנה, Ps. CIX. 24. Eſai. XXXV. 3.

Vers. 13 nova incipit atque ab iis, quae antecedunt, diſtincta oratio, in qua nonnulla ſunt, quae difficultatem habent haud mediocrem. Vers. 14 loco מרוטה aptius videri poſſit מרטה ſeu מורטה, ut reſponderet antecedenti חוחדה, quod Tanchum etiam obſervavit, qui ad hunc locum ita: הק מרוטה אן תכון מורטה

מורטת 2) אי חרת ותקלת 3) מן נחשת ממורט
כמא קאל למען היה לה ברק מורטה אי אנהא
תקלת ליציר להא בריק ולמיע ותשריד אלטוא
ללאבצאח: *Pro* מרוטה *debebat dictum eſſe* מורטת, *hoc ſenſu: exacutus eſt et politus* (gladius), *in conjug. Pyh. quae locum habet* 1 Reg. VII. 45. *ut ſequenti vers.* 15. *quoque dictum eſt* מורטה, *ſive, politus eſt ut ipſi ſit fulgor et ſplendor, ubi Dageſch forte in* ט *poſitum eſt perſpicuitatis cauſa.* Forte primo ſcriptum erat defective מרטה, ut eſt in 3 libris Kennicottianis: ſed poteſt etiam ſcriptio מרוטה bene defendi, ſi ſubintelligas pronomen היא, vicem verbi ſubſtantivi hic ſubſtinens.

Vers. 15. או נשיש שבט בני מאסת כל עץ. Magnam difficultatem habere haec verba, interpretes uno ore omnes profitentur. Et Tanchumum quidem ſi audias, quicquid ſuper hoc loco dicitur, ad conjecturas redit, quae idoneis argumentis demonſtrari nequeant. Ita vero ille, מעני חדא אללפץ ואנתטאמה בעיד ועויץ ואלדי קיל פיה עלי סביל אלהדס: h. e. *ſignificatio vocis* נשיש *ejusque ad contextum accommodatio eſt obſcura et difficilis, et quicquid ſuper ea dicitur, nonniſi conjectura eſt.* Nos recentiſſimorum tantum interpretum, miſſis antiquioribus, varios conatus breviter videbimus. Ill. Michaelis ex vulgari vocum ſignificatione vertit: *gaudeamusne? baculus filii mei ſpernit omne lignum.* Sed negat ipſe vir ſummus, in *Notis* ad h. l. haec ſibi ſatisfacere atque ad bonum ſenſum efficiendum apta videri. Et ſane illud: *gaudeamusne?* non poteſt non ſi non plane alienum, certe languidum videri atque frigidum. Nec poteſt foe-

 mini-

2) codex quidem habet מָרוּטָה, ſed oppido error eſt librarii.

3) ثقل heterographia eſt, pro صقل.

mininum מאסת recte ad nomen שבט trahi, quod
conſtanti uſu maſculinum eſt: etenim, quamquam
frequentiſſime accidit, ut foeminino nomini adjunge-
retur verbum maſculinum, veluti Ezech. XXII. 4
ותבוא, loco ותבואי, XXIII. 49 וירעתם, loco וירעתן;
feminini contra pro maſculino poſita exempla ſunt per-
quam infrequentia. Vt taceamus, judaici ſceptri
commendationem, a firmitatis ſuae prae aliis ſceptris
praeſtantia ſumtam, plane ſuſpectam eſſe hoc ordine
et contextu orationis reliquae. Ven. Doederlein
locum exponere tentat ſic: *heu dolorem! Imperator*
filii mei omne lignum ſpernit. Nempe נשיש ipſi no-
men eſt; et Syris, inquit, נסיס vel נשיש ſignificat
dolorem, perturbationem; ſceptrum autem putat metony-
mice dictum eſſe pro imperatore, nempe rege Babylo-
niae, filium Dei, h. e. populum Judaicum, mox in pote-
ſtatem ſuam redacturo. Verum etiam in hac expoſitio-
ne videntur nobis eſſe nonnulla, quae non ſint extra
dubitationem poſita: primum hoc quod, quae ex Sy-
riaco ſermone repetitur, et ſignificatio et vox ipſa ex
uſu linguae demonſtrabilis haud eſt; alterum, quod
durum videtur, tyrannum Babylonium dici ſceptrum
ſeu imperatorem populi judaici; tertium denique,
quod imperator commode haud dici poſſit *omne lignum*
ſpernere, cum regem inter lignique etiam duriſſimi
contemtionem mutuus aliquis reſpectus intelligi ne-
queat. Ven. Moldenhaver ſic vertit: *gaudium tri-*
bus populi mei in moerorem convertet gladius ille, *qui*
nulli ligno parcet. Putat, pro אר נשיש reponendum
eſſe ארן שיש, atque ad nomen ארן (non ut ipſe per-
peram ſcribit שיש) praefixum ל ſubintelligendum:
ingenioſe quidem, nec tamen, noſtro quidem ſenſu,
prorſus probabiliter. Ven. Dathe textum editum in
mendo cubare ita ſibi perſuaſum habet, ut neminem
niſi moroſum lectionis receptae defenſorem negatu-
rum

rum id eſſe pronuntiet. Nempe, quod Alexandrinus pro verbis מרטה או נשׁרשׁ ponit *ἑτοιμη ἐις παραλυσιν*, et Syrus pro verbis מרטה או נשרש, שבט בני, ܠܡܬܥܪܘ ܠܫܪܒܬܗ ܕܒܪܝ *ad exagitandam ſtirpem filii mei*; colligit, utrumque non legiſſe אוֹ נשׁרשׁ, ſed potius לנסיס seu אל נסיס. Hancce igitur lectionem ipſe ratam habet, vertitque hoc modo: *ut dejiciat virgam filii mei*, uſus auctoritate linguae arabicae, in qua verbum; ſive per שׂ ſive per ס ſcribatur, ſignificare putat *debilitari*, *infirmari*: in quo veremur ne humani quid acciderit, lexica enim talem verbi نسّ ſeu نشّ uſum plane ignorant. — Proxime ad doctiſs. Dathii ſententiam accedit, cujus in Ezechielem commentarius modo in lucem prodiit, reverend. Gvilielmvs Newcome, dioeces. Waterford. in Irlandia epiſcopus digniſſimus. 4) Scholion ipſius ad locum noſtrum, quem vertit, *alas*, *the ſceptre of my ſon is deſtroyed*, eſt hoc: "Textum in mendo cubare planum eſt. Loco אוֹ, ſi talis particula exclamandi ſeu admirandi nulla extet, legas אוי ſeu אח. — נשש Syris ſignificat, *debilitatus infirmatus eſt*, teſte Caſtello. Conf. quoque נכסס apud eundem. נשס a radice hebraica שסס valet *direptus*, *ſpoliatus eſt*. — Obſervandum, quod in chaldaica lingua נסיס eſt *perturbatus*, et nomen ſubſtantivum, *perturbatio*, *afflictio*. Alexandrinus cum reddat *εἰς παραλυσιν*, Syrusque למרתער, *ad exagitandum*, *luxandum*, *elevandum*, *efferendum*, juxta Caſtellum; credibile eſt, habuiſſe illum nomen aliquod ſubſtantivum cum praefixo ל, veluti למשסה *ad direptionem*,

4) An Attempt towards an improved Verſion, a metrical arrangement and an explanation of the prophet Ezekiel, by William Newcome, D. D. Biſhop of Waterford and Maſter of the royal Iriſh Academy. Dublin. 1788. 4.

nem, hunc autem verbum aliquod cum praefixo ל, veluti לנתוש *ad extirpandum*, *deſtruendum*, ſeu לשאת, *ad auferendum*. Vulgata vertit: qui *moves* ſceptrum filii etc. Si participium נרשא idem valeat quod תֹּמֵךְ, haud dubitaverim ex hac auctoritate illud in contextum recipere, locumque vertere: *o qui geris ſceptrum filii mei*, (gladius) *ſpernit quamcunque arborem*. Vnus codex exhibet נשרא; duo extremam litteram ש habent ſuper loco, in quo antea aliquid eraſum fuit. Itaque vertas: heu principem, ſceptrum filii mei."

Nos ſi quid videmus, dixerimus, verſionum veterum diſcrepantiam non ex vera lectionis varietate, ſed ex eo magis repetendam eſſe, quod in loco difficiliori interpretum quisque ſuo ingenio obſequutus ſenſum utcunque conſectatus ſit. Verba שבט בני מואסת כל עץ Alexandrinus reddit, σφαζε, ἐξουδένει, ἀπωθου παν ξυλον. itane lectionem, quam reddit, שחט בזי מאס כל עץ, vere praeferendam dixeris editae? Praeterea vulgarem lectionem אך נשיש confirmat non modo Chaldaeus, liberius hic, ut ſolet, exſpatians, ſed vel maxime Symmachus. Etenim Symmachi interpretatio, quam ſyriace redditam commode ſervavit codex Hexaplaris Ambroſiano-Mediolanenſis, continetur his verbis,

ܡܫܬܠܦܐ. ܐܘ ܢܥܪܘܩ ܡܢ ܫܒܛܐ ܒܪܝ ܒܣܠܝ.
ܐܣܠܝܬ ܡܢ ܟܠ ܩܝܣܐ *evaginatus. O fugiemus a virga, mi fili, averſatus es ab omni ligno.*

quae textui hebraico edito mirifice reſpondere, nemo non intelligit: niſi quis putet, loco נשיש tribuendum eſſe Symmacho lectionem נגוס ſive נגוס. Nosmet itaque tenemus ac defendimus vulgatam lectionem, ejusque ſenſum tentamus conſtituere hac ratione. Nomen

Nomen שבט ad מאסת referri cum, quod antea obſervatum fuit, veret generis diſcrepantia, jungendum cum נשיש: verbum autem שיש cum nuſpiam veniat cum ſimplici accuſativo; ſequitur, נשיש non verbum eſſe, ſed nomen, ex radice נשש derivandum. Arabes autem a verbo ſuo نَسَّ nomen habent مِنَسَّةٌ, quod *virgam* denotat. *Phiruzabadius* in lexico: والمِنَسَّة بالكسر العصا *Gjeuharius:* نَسَسْتُ النَّاقَةَ أَنُسُّها نَسًّا اي زجرتُها ومنه المنسة وهي العصا علي مِفْعَلَة بالكسر وان همزي كان من نسأتُها h. e. *verbum* نسّ *futurum habet* اَنُسّ *infinit.* نَسّ, *diciturque* نسستُ *camelam, i. e. abegi. Hinc eſt nomen* مِنَسَّةٌ, *baculus, ad formam* مِفْعَلَةٌ, *cum Kesre: ſi cum Elif Hamzato ſcribatur, eſt a radice* نسأ. Neque vero hinc exiſtimandum, vocem منسّة unice de tali fuſte dici, quo camela propellitur. Certe cognatum nomen منسأة, quod ejusdem plane uſus ac poteſtatis eſt, de baculo, quem Salomo rex manu gerebat, dicitur in Korano, Sur. XXXIV. 13. 5) — Hancce igitur baculi ſignificationem haud dubitamus

 ad

5) MARACCIUS, apud quem verſus eſt 14. mendoſe habet مِنْسَاتُهُ, reſtituendum in مِنْسَأَتُهُ. conf. notam Geleloddini apud eundem, pag. 569. et SALIUM in not. ad h. l.

ad vocem נשיש transferre, locumque ſic interpretari: *o baculum, ſceptrum filii mei* (populi judaici), *ſpernit enim* (gladius ille) *qualecunque lignum*, h. e. neque enim ligni genus tam durum cui ſuccendo non par ſit ille gladius. Proprium autem ſenſum quod attinet, non poteſt ille jam dubius videri aut in longinquo poſitus. *Filius Jehovae* eſt populus Jehovae olim ſacer carusque, Exod. IV. 22. 23. Hos. XI. 1. *Sceptrum* pro imperio dictum eſt. *Gladius* vim denotat ac potentiam, Babylonio a Jehova traditam ad alias gentes exagitandas ſubigendasque. Hoc itaque vult propheta: rempublicam judaicam certiſſime venturam eſſe in arbitrium poteſtatemque Babylonii, tanta cum vi reliquas gentes petituri, ut omnis propulſandi hoſtis conatus plane vanus futurus ſit atque irritus.

Hanc vero cogitationem *gladii* jam non protinus dimittit Ezechiel, ſed, ut fere ſolet, diutius illi immoratur et quaſi inhaeret, eandemque imaginem ſtudioſius exornat amplificatque.

Vers. 16 ויתן imperſonaliter, ut recte monet Dathius, accipiendum: at formula ויתן אתה למרטה לתפש בכף vertenda non eſt, *tradetur autem politus, ut manu teneri poſſit*, ſed potius, quod etiam ex parallelismo cognoſcitur, hoc modo: *traditus fuit ut expoliretur*, i. e. jam jam politus eſt, adeoque paratus, ut absque mora prehendi adhiberique poſſit. חרב hic redundat quidem: ſed non eſt, cur ex auctoritate unius alicujus codicis Kennicott. vocem omittentis, gloſſema eſſe ſuſpiceris, in contextum ex margine demum illatum. Percuſſoris, הורג, nomine Babylonium indigitari, res ipſa loquitur, neque opus eſt, ut ex ſermonis univerſa ratione demum demonſtretur.

Vers.

Vers. 17 verborum מגורי אל חרב היו את עמי ſtructura talis eſt, ut non uno modo ea explicari mirum videri nequeat. ABVL WALIDI 6) ſententia, quam refert TANCHVMVS, eſt haec: וקאל אבו אלוליד ראע אן מענאה מתֿל נפלים בחרב היו ודלך אן תכון אלמים אצליה ותכון מגורי מפעולי מן אלפעל אלכפיף פי מעני וכסאו לארץ מגרת אלדי הו מתֿל הפלת מגאנס ללסריאני פי קול ימגר כדֿל מדך ועם ותכון אל במעני בא אלאסתעאנה מתֿל הנתוצים אל הסוללות ואל החרב אלדי מענאה בסוללות ובחרב וחרף את מזיד מתֿל ובא הארי ואת הדוב ונחוה ומים ארגמיע איצא עלי מעני מחרופה לגיר אצאפה פכאנה קאל נופלים בחרב היו עמי: h. e. *dicit Abul Walid, idem eſt ac ſi dictum eſſet* נופלים בחרב היו עמי*, etenim Mim radicale eſt, ac* מגורי *particip. paſſiv. in Kal. verbi* מגר*; quod extat* Ps. LXXXIX. 45. *ubi* מגרת *aequipollet verbo* הִפִּלְתָּ*, ex uſu chaldaico qui cognoſcitur ex Eſr.* VI. 12. *Particula* אֶל *poſita eſt pro* ב *inſtrumenti; quemadmodum Jer.* XXXIII. 4 אל הסוללות ואל החרב *dictum eſt pro* בסוללות ובחרב*, per aggeres oppugnantium gladiumque: particula vero* אֶת *redundat, ut* 1 *Sam.* XVII. 34 *in* ואת הדוב *aliisque locis ſimilibus; Mim tandem, nota pluralis, abeſt ut in forma regiminis, etſi non ſit in regimine: ut igitur plane idem ſit quod* נופלים בחרב היו.

Ff 5

6) *Abu'l Walid Merwân Ibn Dschannach*, Cordubenſis, princeps grammaticorum dictus Judaeis, is eſt, qui nomine R. *Jonae* ſaepiſſime laudatur a R. Dav. Kimchi. Scripſit ille ſaec. XII opus perutile, cujus altera pars, כתאב אללמע. *liber ſplendoris*, grammaticam hebraicam complectitur, altera כתאב אלאצול, *liber radicum*, dictionarium eſt, voces formulasque hebraicas arabico ſermone exponens. Extat hic liber in bibliotheca Bodleiana, ſignatus in catalog. pag. 90 num. CCCCLVI. VII.

היו עמי. His quid ſibimet ipſi videatur ſubjungit Tanchum his verbis, ואקול איצֿא אנה יגוז אן תכון מגורי מתֿל מגור מסביב והו אלמכֿאף פיכון אצלהא מעתל אלעין ותכון אל מזידה ואת במעני ענד מתֿל ומאת בני ישראל פיכון כאנה קאל מגורי חרב היו עם עמי אי אן מכֿאף ארסיף צארת ענדהם ומצאחבה להם ואללה תע' אעלם באלצואב: h. e. *mihi videtur ſtatui poſſe*, quod מגורי *hic habeat ſignificationem timorum ut Jerem.* VI. 25. *a radice mediae quieſcentis; quod* אל *redundet atque* את *valeat* apud, *ut alicubi in* ומאת בני ישראל; *ut igitur idem ſit ac ſi eſſet* מגורי חרב היו עם עמי; timores gladii ſunt apud illos, *iisque inhaerent. Deus autem ſummus novit quid ſit verum.* — Equidem haud magnopere dubitaverim ad Abul Walidi ſententiam accedere. Etenim nominativo, quando is ſubjectum definitum deſignat, non raro particulam את praemitti, idoneis exemplis probavit celeb. Schoedervs, *Syntax. nom.* reg. XXXI. quibus ex ipſo Ezechiele addi poſſint haec: XVII, 17 אותי פרעה; *ipſe Pharao*, XXXV, 10 את שׁני הגוים, *duae illae gentes erunt meae.* Neque in voce מגורי forma regiminis extra regimen dubitationem juſtam habere poteſt. Malim tamen pro מגורי ſcriptam eſſet מְגֹרְרֵי, a גרר *rapuit*, quod gravius hic ac ſignificantius videri poſſit quam verbum מגר.

Vers. 18. Celeb. Michaelis, in *Notis* verſioni ſubjunctis, ſi audias, locus ita comparatus eſt, ut, quemnam ſenſum habere poſſit, ipſe quidem haud perſpiciat. Ven. Doederlein, negans de gladio ſermonem eſſe poſſe, quod in hebraeo maſculinum ſit, b. Vogelio ſuffragatur, reddenti: *explora Judaeos eorumque animum ſcrutare, quid eſſet* (prodeſſet), *ſi ille imperator non adeo ſperneret eos*, ſi clementius eos tractaret? Ven. Dathivs autem putat, pro כי בחן ומה legen-

legendum eſſe, כִּי בְחוּנָה, hoc ſenſu: *probatus mihi erit gladius tum ſi virgam ſpreverit, ut illa non ſit amplius.* Sed in antiquis verſionibus non nihil cernimus, quod de veritate editae lectionis juſtam dubitationem injicere poſſit. Habet quidem Alexandrinus, *ὅτι δεδικαίωται*; et Vulg. *quia probatus eſt*: ſed profecto hi interpretes *ἀκριβείας* grammaticae non erant tam vel intelligentes vel tenaces, ut incredibile nobis videri debeat, eos verbum בחן maſculinum retuliſſe ad nomen foemininum: et poſſunt, voce בֹּחַן pro nomine ſumta, ut eſt Eſai. XXXVII. 16. ſenſum verborum magis quam verba ipſa reddidiſſe. Syrus autem, vertens, *quoniam verificatum eſt hoc*, confirmat lectionem בחן, paſſive ab ipſo acceptam; confirmat quoque Symmachus, in codice Syriaco-Hexaplari, qui בחן ut nomen reddit. ܘܡܢܐ ܒܘܚܢܐ *et quid probatio*? nec non Aquila, *ὅτι ἠρεύνησεν*, כִּי בָחַן. Et juſtam, ut nobis quidem videtur, interpretationem admittit lectio בֹּחַן. Etenim nobis verbum paſſivum eſt, neutraliter poſitum et vertendum: *probatio facta eſt*, veluti Es. XXIII. 1. שֻׁדַּד vaſtatum eſt, ſ. facta eſt vaſtatio; Jerem. XVIII. 12 נוֹאָשׁ deſperatum eſt, q. facta eſt deſperatio. (conf. celeb. SCHROEDER in *Syntax. verborum*, reg. LXI.) Reliqua verba ſic vertimus: *quid enim ſi vel ſceptrum haud ſperneret* gladius? h. e. egregium vero gladium, ſi ſceptro, facili opera diffindendo, parem ſe haud praeberet. Nempe verbum יהיה ad nomen חרב referre eo minus dubitamus, quo plura et certiora verbi maſculini cum nomine foeminino conſtructi exempla in hebraicis extant. (conf. SCHROEDER. loc. cit. reg. LVI.) — Sed placet apponere etiam, quae TANCHUM habet ad h. l. Ita vero ille, קאל אבן גנאח רצע אן בוחן פעל לם יסם פאעלה ואן כאן מלעיל ולם יד׳כר כיפיה דלך ולא מא יציר מעני גמלה אלפסוק ופיה מן אלצעובה ואלעסר מא הראה

הראה וקאל גירה אן מענאה אנהם אמתחן אמרהם פרם יתבת קציב ללאהרה ואנה אראד בשבט אלמלך ומואסת אנה. אמה ישראל אלתי זהרת פי פזאעה אללה פמנ אמתחנת פלא תתבת בעד דלך אלא תגלא ותטרד והדא שרח עלי טריק אלחדס ואללה אעלם:
h. e. *pronuntiat Ibn Dſchannach,* בוהן *verbum eſſe impérſonaliter poſitum, cum tono in penultima, ſed quomodo locum habere poſſit, et quis univerſi commatis ſenſus ſit, haud exponit. Eſt autem in eo nonnihil difficultatis, ut quisque videt. Sunt qui ſenſum ſtatuunt hunc, facto conditionis eorum examine jam non conſiſtere poſſe virgam ut vigeat; nomine* שבט *indigitari regem, voce* מואסת *autem populum judaicum, qui viguiſſet in timore Dei, ſed qui nunc, poſtquam exploratus eſſet poenis, non amplius ſubſiſtere poſſit, ſed abigendus ſit in exilium. Sed nonniſi opinationis loco habenda eſt haec expoſitio, et Deus novit.*

Vers. 19 quid ſit: *duplicabitur gladius ad tertiam partem* ſ. *vicem*, ſubobſcurum eſt. Putamus, ante vocem שלישתה ſubintelligendum eſſe verbum תִּהְיֶה, ut ad proximam certe ſententiam ſupplendum illud eſt, nec verbis hisce aliud quidquam ineſſe, niſi hoc: fore ut duplicata vi, immo triplicata, h. e. ſumma, maxima ſaeviat gladius. Senſus eſt, inquit Tanchum, *venturos illis hoſtes eſſe a variis partibus,* מענאה אן אלעדו אתיהם מן גהאת מכתלפה:

Extrema verba, החדרת להם, veteres ſic vertunt; ut de lectione הַחֹרֶרֶת cogitaſſe cenſendi ſint, niſi quod Symmachus, in codice Syriaco-Hexaplari habet ܕܐܬܚܪܪ ܥܠܝܗܘܢ *qui ſuper eos manumiſſus eſt.* Sed vanam atque ex negligentia ortam eſſe lectionem החררת ex eo intellexeris, quo verbi חרר prima conjugatio non

non alio quam paſſivo ſenſu ſolet uſurpari: editum autem חדרת, denominativum a חָדַר, etiam elegantius eſt ſignificantiusque. Caeterum notabile eſt, loco להם complures libros et Kennicottianos et De-Roſſianos exhibere lectionem לכם; quam parum abeſt quin genuinam pronuntiemus, quod paullo durior eſſe videtur, ac facillime tranſire poterat in להם, cum contra lectionis להם in לכם transformandae cauſa cogitari poſſit nulla.

Vers. 20 אבחת quid ſignificet, difficilis ſane quaeſtio eſt. Abvl Walid in *libro radicum* negat ſibi ſuppetere derivationem vocis vel ſignificationem probabilem. Tanchvm haec habet: אבחת חרב׳ קיל למעאן אלסיף ובריקה בהסב אלמכאן וקיל רגיפה באן תכון אלחא בדל עין אי אבערת חרב מן והנה בעתה וחמן נבעת מלפני הנזלך ועלי הדא תכון אלאלף מזידה ואלתא אצליה ליסת ללתאנית וקיל אן אלאלף בדל אלטא מן קבאלה אבטח 7) כמא דכרנא פי אלגז אלגז אלאול פתכון מתל טבחת חרב והו אלדבח ואלקתל: *dicitur ſplendor gladii ejusque coruſcatio, ut nempe ratio loci videtur exigere. Alii agitationem gladii denotari putant, littera* ח *poſita pro* ע, *et voce* אבחת *pro* אבעת, *coll.* Jerem. VIII. 15. Eſth. VII. 6. *ut* א *ſit littera ſervilis, et* ת *radicalis; neque nota foeminini. Alii volunt,* א *poſitum eſſe pro* ט, *adeoque* אבחת *pro* אבטח, *prout dictum a nobis eſt in parte prima, ut ſit* טבחת חרב, i. e. *mactatio et caedes.* Alios aliorum conatus refert J. H. Michaelis in *notis* ad h. l. Alb. Schvltensivs in *lexico hebraico* 8), cujus nonniſi duae plagulae typographicis formis deſcriptae

7) ſic certe habet codex, ſed minus recte.

8) vid. de hoc affecto opere Björnstahl in epiſt. vol. V. pag. 426 et 454.

prae extant, praeeunte Coccejo, voci ſenſum *objurgationis* tribuit, ſumtum a verbo arabico أَبَّخ et وَبَّخ. Magis placere poſſit Castelli ratio, afferentis in lexico ſuo vocem arabicam أَبَاحَةٌ, quae extat 2 Maccab. XXVI, 6 et latine redditur *exterminium*. At vereor, ut haec ſignificatio confirmari poſſit. أَبَاحَةٌ, infinitivus quartae conjugationis, eſt ſi quis perſonae aut rei curam omnem ita penitus abjicit, ut ejusdem copiam atque uſum permittat omnibus. Et quamvis verbum in conjug. X a Gjeuhario Phiruzabadioque declaretur per اسْتَأْصَل, *eradicavit*, *perdidit*; ad primam tamen quartamque conjugationem exinde haud redit iſta ſignificatio. Illud autem certum eſt, verbum بَاحَ de eo uſurpari, quod non eſt reconditum atque ab aliis remotum, ſed apertum ac in omnium conſpectu poſitum. Quid ſi אבחת חרב, ex eo loquendi modo, quo Ezechiel dicit XX, 28 כעס קרבנם, *munera quae aegre faciunt* (Schroeder. Synt. nom. reg. VII, 2.) ſit *gladius apertus*, qui non ex inſidiis incautos tantum opprimat, ſed palam et aperte manifeſtis caedibus quaſi indulgeat. Sed in re incerta nihil definiendum putamus. Ill. Michaelis in *Supplementis ad lex. hebr.* vocem neglexit. —

Verba אח עשויה לברק ipſe poſt alios vertit: *frater fulminis factus eſt.* Sed cum locus aperte reſpiciat ad verſum 15, videaturque nonniſi repetere quae ibi dicta ſunt; malim אח eo uſu accipere, quem habet cap. VI. 11. ubi dolentis vox eſt. מעטה ad verbum מעט refert doctiſs. Doederlein, quod arabice ſit *glabrum*, *laeve eſſe*, non abnuente Dathio; ſed ara-

bicum

bicum معط nonniſi de tali laevitate dicitur, quae fit demtis pilis, adeoque huc commode trahi nequit. Rectius alii, uſi verbo عطا, quod in prima conjugatione valet *tenuit*, *accepit quid*, in quarta fecit ut alius acciperet, i. e. *dedit*, *porrexit*, vertunt: *traditus*. Poſſis etiam ex alio ejusdem verbi uſu reddere, *inſervire factus eſt*, i. e. aptatus, paratus ad mactandum.

Phiruzabadius: عاطي الصبيّ اهلة عمل لهم وناولهم ما ارادوا وهو يُعاطيني ويعطّيني ينصغني ويخدمني وقوس عُطّوي كسكري وعطيّة وسمّوا عطاء وعطيّة, h. e. *dicitur de puero*, عاطي اهلة, *in tertia conjugatione, ſi ſuis inſervit, et praeſtat quod volunt. Verbum in tertia, nec non ſecunda conjugatione tranſitive cum accuſativo perſonae valet*, inſervire, operam praeſtare. *Atque* arcus *dicitur* عطوي, *ad formam* سكري, *qui in jaciendis ſagittis tractabilem ſe exhibet*, *nec non* عطاء et عطيّة. Paulo aliter Gjevharius: فرسٌ عطوي علي فَعْلَي مُواتِيَة سهلة equus *dicitur* عطوي, *ſi tractabilis ſit et lenis*. Eſt itaque מעטה fere idem quod הוחדה vers. 15. niſi quod illud latius pateat, hoc adſtrictius ſit. Codex Regiomontanus loco מעטה habet מרוטה, quod gloſſema eſſe videtur, forte ex margine demum in orationis ſeriem illatum.

Vers. 21. verbi התאחדי ſenſum jam Abul Walid ex arabico petendum eſſe vidit, qui in *libro radicum* ſic, התאחדי תפסיר אסתאחדי אי אנפרדי באחדי אלגהאת יקאל אסתחד אלרגל אדא אנפרד, h. e.

h. e. *verbum* התאחדי *idem valet quod* إستأحدي, *nempe* ſecede in unam partem: *dicitur enim de aliquo* إستأحد, *quam ſeceſſit ac ſeorſim eſt.* Sed nos maluimus vertere, *operam da*, ex illo uſu verbi إستأحد, quo valet, *animum addixit advertitque et operam dedit*: conſentiente fere Tanchvmo, qui ſenſum verborum התאחדי השימי perhibet eſſe, תאמלי ותעקלי, *attente confidera et prudenter age.* Sunt nonnulli codices, qui vel vere habent, vel habere viſi ſunt התאחרי, egregia, inquit ill. Michaelis in *Supplementis ad lexica hebr.* pag. 55. ſententia, modo ita vertere liceat: ad tergum, ad dextram, ad anticam, ad ſiniſtram verte te. Alexandr. et Vulg. reddunt, ὀξύνȣ, *exacuere*, quod ipſis obverſaretur verbum חדד; Syrus, *fortis eſto*, התחזקי. Vnus etiam codex De-Roſſianus primam ſcriptionem התאחדי mutavit in התאחזי. Nos quid in recepta lectione jure deſiderari poſſit, haud cernimus; eſt enim vox exquiſitior, eaque ſimul ita comparata, ut mirifice reſpondeat parallelo השימי (לב), *attende.*

Vocem מערות, quod genere differt a פנים, ſuſpectam habet ven. Dathe, haud alienus ab Hovbigantii conjectura, reponendum eſſe עמרת ſeu העמרת ex 2 Reg. VIII. 11. At quum, monente ipſo Dathio, in antiquis verſionibus ad firmandam hanc conjecturam nihil adſit adjumenti, atque etiam codices haud diſſentiant, omnino acquieſcendum videtur in lectione edita. Caeterum verbum יעד eo ſenſu, quo hic venit, etiam arabice uſurpari, non ſolum ex verſione judaeo-arabica intelligitur, ſed et ex Tanchvmi expoſitione, quae haec eſt, אָנָה פָּנַיִךְ מֻוּעָדוֹת אלי אין ינהך מיעודא יא ילא או אלגהאת קצרך אלדי ועדת נפסך באן תלתגי

הלתני אלתה ענך שרתך:, *hebraica verba ſignificant, quocunque conſtituta ſit facies tua, i. e. in quamcumque partem fuerit directio tua quo conſtitutum ſit fugere in adverſitate tua.* At in eo haud leviter fallitur, quod ad populum ſpectare haec verba exiſtimat. Ad gladium enim ſubito convertitur ſermo hic haud mediocriter concitatus; poſſis etiam ad initium verſus ſubintelligere verbum אָמַר, *dicam.*

Tandem vers. 22 animo vehementiſſime commotus propheta perhibet Deum ex clade populi laetitiam capturum eſſe haud mediocrem, atque exortae ſuper illum irae ſuae tempeſtati veniam cedendi prius haud conceſſurum, quam omnis in eum deſaevierit. Ad הנחתי ſubintelligendum eſt בך, ſeu בעם הזה, ex V. 13. XVI. 42. XXIV. 13.

Sequitur vers. 23 alia oratio. Jubetur propheta duas ſibi vias fingere, quibus proficiſci poſſit rex Babylonius cum copiis, ex eodem loco ductis, et ad bivium conſtituere ſpatium, in quo conſiſtere rex poſſit cum exercitu. Heic enim ſubſtituturum eſſe ac conſilia agitaturum, utra ſibi via procedendum ſit eane quae Rabbatham, principem Ammonitarum urbem, an ea quae Hieroſolymas ducat? בראש דרך non poteſt de fine viae intelligi, ut ill. Michaelis habet, nam de principio dictum eſt בראש vers. 26. Itaque vertendum: *ſub initium viae quae ducit ad urbem alterutram.*

Vers 25 alterum hemiſtichium, ואת יהודה בירושלם בצורה concise dictum eſt, pro ודרך תשים — — יהודה. Pro ואת יהודה בירושלם videtur rectius dicendum fuiſſe ואת ירושלם ביהודה, ut quoque ven. Dathius vertit, *altera Hieroſolymam in Judaea munitam.* Sed conſentiunt cum ordine verborum

Gg hebrai-

hebraicorum verſiones antiquae, et poſſis בירושלם vertere, *unacum Hieroſolymis*, ut idem fere ſit ac ובירושלם, quod habent quatuor libri Kennicottiani. בצורה Alexandrinus vertit *ἐν μέσῳ αὐτῆς*, acſi eſſet בתוכה, et Symmachus in codice Syro-Hexaplari, *in anguſtia*, בְּצָרָה. Vocabulum דרך hoc verſu metonymice poſitum pro loco, quo via euntem deducit.

Vers. 26 ad verba קלקל בחצים haec habet Tanchum: קִלְקַל בַּחִצִּים קלקל אלסהאם אי חרכהא עלי טריק אלתפאול וקיל אנה מן מעני אלכפה אי אסתכפהא יעני אכתאר מנהא מא הו אכף ליתמלה אלהוא מסאפה אבעד ואלאול אליק במנאסבה אלמכאן, h. e. *hebraicum* קלקל *hic idem ſignificat quod arabicum* قلقل, *nempe commovit ſagittas, ominis cauſa. Putant quidem alii, ſignificatum levitatis hic locum habere, ut* קלקל *ſit, levitatem ſagittarum exploravit, ſeu elegit eam, quae levior eſſet, ut mitteret eam per aërem longius: ſed illud convenientius eſt pro ratione loci.* Haec vero per ſagittas, nec pennis nec ſpiculis inſtructas, ſeu virgas, divinandi ratio, graecis *βελομαντια* dicta et *ῥαβδομαντια*, qualis apud Arabes antiquiores fuerit, nam de Babyloniis nihil conſtat, copioſe exponit Pocockius in *Specimine hiſt. arab.* pag. 323 ſq. Nempe, cum eſſet alicui vel ſuſcipiendum iter, vel ducenda uxor, vel aliud magni momenti negotium peragendum, ſagittas, quas tres in vaſculo incluſas habebant, ſolebant conſulere. Earum primae inſcriptum erat, أمرني ربي, *juſſit me Dominus meus*, ſecundae, نهاني ربي, *prohibuit me Dominus meus*, tertia erat غفل, h. e. nulla nota inſignis. Harum unam manu extrahenti ſi occurreret illa, quae juberet, alacri animo, tanquam monente Deo, pergere; ſin illa, quae vetaret, deſiſtere; quodſi *ἀγράμματος* illa, reponere, donec

nec proditet, quae vel juſſu praeiret, vel interdicto occurreret. Credibile igitur eſt, etiam Babylonium ita in hoc negotio verſatum fuiſſe, ut ſagittas adhiberet alteram Rabbathae, Hieroſolymarum alteram nomine vel ſigno notatam. Certe Hieronymus rem eodem modo exponit ad hunc locum. Stabit, inquit, in ipſo compito, et ritu gentis ſuae oraculum conſulet, ut mittat ſagittas in pharetram et commiſceat eas inſcriptas, ſive ſignatas nominibus ſingulorum, ut videat, cujus ſagitta exeat, et quam prius civitatem debeat expugnare. Conferendus quoque locus Nuweirii, a Reiskio allatus in libello, cui titulus eſt, *Sammlung einiger arabiſchen Sprüchwörter, die von den Stecken oder Staeben hergenommen ſind*, pag 25. — Ejusmodi ſagittae dicebantur قداح الاستقسام, h. e. tales, quibus quis edoceri vellet, quid ſibi demenſum ſit atque decretum. At Muhamedes iſta conſuetudine, ſagittis ſortiendi divinandique, graviter ſuis interdixit in Korano, Sur. II. 219 (edit. *Hinckelmann.* vers. 215.) V. 4. 99. 100. (edit. *Hinck.* vs. 92. 93.) *)

Vers. 27. verba בימינו היה הקסם ירושלם varie redduntur ab interpretibus. Alexandrinus: *ἐκ δεξιων αὐτȣ ἐγενετο το μαντειον ἐπι Ἱερȣσαλημ*, atque eo-

dem

[*) Abulfeda, *Annal. Muslemic.* Tom. I. pag. 162 refert, in praelio Honainitico *ſagittas divinatorias ſecum in pharetra* habuiſſe Abû - Sofianum, وكانت الازلام معه في كنانته. Et Reiskius quidem, in nota, negat ſe ſatis aſſequi, cui bono ſecum traxerit ſagittas divinatorias Abu - Sofian, niſi forte id factum ſit, ut iſtarum ſagittarum incantatione cladem copiis Muhammedis efficeret. — Nobis credibilius eſt, uſum eſſe hominem ſagittis, ad divinandum de ſucceſſu exituque praelii.]

dem modo Vulgatus, *ad dexteram ejus facta eſt divinatio ſuper Jeruſalem.* Ill. Michaelis, reſponſum erit, ad dextram, verſus Hieroſolymas, arietes eſſe ponendos. Ven. Dathe: divinationes indicant, verſus dextram pergendum eſſe, verſus Hieroſolymam. Nobis videntur verba alium ſenſum non admittere niſi hunc: dextra ſua tenebit divinationem: Jeruſalem, h. e. dextram in vaſculum immiſſam ad ſagittam inde depromendam quum reduxerit, eam tenebit ſagittam, quae nomen Jeruſalem ſibi habet inſcriptam. Neque enim הקסם dici poteſt in regimine poſitum, ob ה nomini praefixum, ſed הקסם ירושלם ita accipiendum, ut ſit: reſponſum quod continetur voce, *Jeruſalem.*

לפתח פה ſi de hominum ore aperiendo intelligas, quod Dathio placuit; non modo languidior videri poſſit haec formula, ſed et ob ea, quae mox ſequuntur, plane ſupervacua. De moenibus autem perrumpendis ſi accipias; orationi minus accommodatum eſt quod additur ברצח, *cum caede.* Sed licet ברצח reddere, *frangendo, contundendo* ex uſu linguae arabicae, in qua رضخ et رضح idem valet quod كسر. — דיק non *turrem* eſſe, ſed vallum ſeu murum, quo urbem obſeſſosque circumvallare ſolebant obſidentes, ex uſu verbi arabici اداق *cinxit*, recte docet Michaelis in *Supplem. ad lex. hebr.* hac potiſſimum ratione uſus, quod nomen hoc conſtanti uſu nonniſi ſingulariter dicatur: cui addi poſſit etiam haec, quod in narratione hiſtorica Jerem. LII. 4 obſidionis initium ab hoſtibus factum eſſe perhibetur, ut contra urbem exſtruerent דיק; quod de turre exſtructa omnino intelligi nequit.

Vers. 28 להם fere uno conſenſu ad Judaeos refertur, quod mirum videri poſſit. Etenim ordo ipſe ora-

Digitized by Google

orationis adſtrictiorque nexus ſuadet, ut putes, ea nunc commemorari, quae proxime poſt eductam illam ſortem, non quae deinceps demum, poſtquam fama rei ad Judaeos perveniſſet, geſta ſint. Hinc fit, ut qui ad Judaeos haec pertinere volunt, ſenſum loci omnem obſcurum habeant ac perquam impeditum: ut Michaelis etiam verba שבעי שבעות להם plane intacta reliquerit in verſione. Nos vero להם ad Babylonios referendo ſenſum aſſequimur hunc: rem illis plane inopinatam atque incredibilem viſam eſſe, quod et munitiſſima eſſet Judaeorum urbs, et Numinis, cujus innumera extarent facta mirabilia, praeſidio gauderet; juraſſe alios, fraudem ſubeſſe omini, aliis certam ejusdem fidem aſſeverantibus: tandem fluctuantium animos ita compoſuiſſe Regem, ut diceret, eam nunc eſſe Judaeorum pravitatem, atque in patrium Numen impietatem, ut non ſit cur de urbe eorum expugnanda quisquam deſperaret. — Ad שבעי שבעות להם ſubintelligendum הָיָה. Pronomen הוא ad eundem referatur neceſſe eſt, ad quem ſpectat pronomen in כִּימִינוֹ. עון dictum pro עֲוֹנָה. Abruptum dixeris parcumque verborum ſic ſtatui ſermonem: at talis profecto ſtatuendus, quomodocunque ſenſum expoſueris; nec alienum ab hoc loco videri poteſt ejusmodi dicendi genus abruptum acceleratumque.

Nunc vers. 29 ad Judaeos ſubito convertitur oratio. Quod vero effeciſſe dicuntur, ut in mentem veniret ipſorum pravitas, id ſane alium ſenſum habere nequit, niſi hunc: tantam apud illos invaluiſſe morum perverſitatem, ut publice nota atque inter barbaras etiam gentes pervulgata ſit. Idem valet formula יַעַן הַזְכַּרְכֶם, *quod in memoria ac ſermone eſtis omnium*, dicta pro יַעַן הִזָּכֵר עֲוֹנְכֶם — Hoc igitur vult propheta: veriſſime judicare Babylonium, in pravitate Ju-

 daeorum

daeorum poſitam eſſe veram et certam cauſam, cur pereundum ſit reipublicae atque in poteſtatem barbarorum veniendum.

Ab univerſo populo ad regem, Zedekiam, tranſit oratio vers. 30. 31. חלל Alexandrinus vertit βεβηλε, Vulg. *profane*, conſentientibus Syro Symmachoque. Et aptior omnino hic videtur haec ſignificatio altera vulgatiore, quoniam poſteà demum de poena infligenda ſermo ſequitur. עון קץ *pravitas finis* eſt pravitas ſumma, extrema, fini proxima. Michaelis minus adſtricte ad verba hebraica reddit: cujus extremum tempus meſſis peccatorum adeſt. הסיר, הרים poſſit quidem imperative dictum eſſe: ſed cum mox הגבה et השפיל infinitivus ſit, loco verbi finiti poſitus, credibile eſt, et הסיר dictum eſſe pro אסיר, ארים pro ארים. זאת non eſt ad העטרה reſtringendum, ſed neutraliter accipiendum, ſic: quae nunc eſt rerum conditio, eadem amplius locum non habebit. Formam vocis השפלה ſic declarat Tanchum, ואלהא פי השפלה ללתפכים ואלמבאלגה לא ללתאנית מתל נחלה עבר על נפשינו וגירה: *He in voce* השפלה, *non eſt* ה *foemininum, ſed eſt intenſionis cauſa additum ut in* נחלת Ps. CXXIV, 4 *aliisque.* Intenſivum eſſe hic He paragogicum judicat quoque celeb. Schroeder, ſect. IX de particulis, reg. CLXV. Ceterum ſententia: quod humile eſt, extollam, et quod elatum, humiliabo, univerſe eſt accipienda, ut ſimiles aliae formulae, 1 Sam. II, 5 ſq. Eſai. X. 33. Ezech. XVII, 24. al. nec quis humilis hic, quisve elatus dicatur, anxie diſquirendum. Senſus, penes Jehovam eſſe rerum omnium ſummum arbitrium, ab ipſo ſolo ſtupendas converſiones proficiſci.

Vers.

Vers. 32 pronomen in אשמנה non habet, quo reſpicere poſſit, niſi העטרה. עוה Alexandrinus reliquique tres interpretes graeci reddunt *αδικιαν*, recte, ut nobis videtur, atque ad uſum verbi עוה, Dan. IX. 5 non minus quam ad ſenſum accommodate. Senſum vero putamus eſſe hunc: nefas eſto, interdictum ſit, ea corona uti! — זאת poſſis itidem referre ad העטרה, hoc ſenſu: etiam haec corona nulla facta eſt: לא ſubſtantive ſumto (conf. Schroederi *Synt.* reg. XCIII.) et verbo ſubſtantivo ad praedicati genus conformato, ut Ez. XXXV. 15 (vid. loc. cit. reg. LXIV.) Poſſit autem formula גם זאת לא היה etiam hoc modo intelligi, *tale quid adhuc factum non eſt:* quod fere aptius eſſe videtur, ac verbo praeteriti temporis convenientius. Aliter Tanchum, גם זאת לא היה מתל לא תהית אי והדה אלחאל איצא לא תדום ולא תבקא h. e. היה *dictum pro* תהיה, *hoc ſenſu: neque haec conditio erit durabilis.* — In verbo ונתתיו dubium eſt, utrum pronomen reſolvendum ſit in לו, ut in נתתני *dediſti mihi*, Jos. XV. 19. תנו־לנו *donate nobis*, Jud. XXI. 22. an ad nomen המשפט referendum. Quis vero ille ſit, ad quem jus pertineat, minus expeditum eſt. R. Tanchum, recitatis aliorum opinionibus, qui vel ad Ismaëlem (Jerem. XLI. 1) haec referrent, vel ad Nebucadnezarum ipſum, ob verba Jer. XXXIX. 5. rem in dubio relinquit. Grotius Zorobabelem intelligit. Communis fere opinio fert, locum de Meſſia eſſe accipiendum. Memorabile eſt, eſſe codices qui habeant אשר לא המשפט. Kennicottus duos commemorat, qui certo 9), duos qui

 forte

9) Tertius, 300, qui notas criticas deſignat, bibliis Mantuae 1742 editis adjectas, ad hujus ordinis teſtes referri haud debebat. Etenim R. Norzi ad h. l. non teſtatur niſi hoc, unum aliquem codicem margini ſuo inſcri-

forte hanc lectionem profiteantur: et celeb. De-Roſsi ex ſui codicis, 782, qui Kennicotto eſt 409. margine notam refert, in aliis libris legi לא חמשפט. Hac autem lectione poſita equidem nullus dubitaverim, Nebucadnezarem eſſe qui his verbis deſignetur, hoc ſenſu: tale quid antea factum non eſt, donec veniret qui jus perdendae reipubl. Judaicae non haberet, niſi a me acceptum. Verum et ipſa vulgaris lectio לו המשפט a tali ſenſu non videtur aliena eſſe. Babylonius enim, diverſa ratione, et *jus non habere* dici poterat, quod ſui juris eſſet respubl. judaica, et contra *jus habere*, quod traditum ac conceſſum ipſi eſſet a ſummo rerum arbitro. Quid igitur ſi ſenſum dixeris eſſe hunc: *nunquam id antea factum eſt, donec adeſſet, cujus eſſet illud perficere, me jus atque poteſtatem illi largiente.* Certo lectio לא aliam enaſcendi occaſionem habere non potuit, quam quod eſſent, qui locum ad Nebucadnezarem ſpectare cernerent, ſed offenſi acerbiore formula, quae barbaro regi jus in populum judaicum tribueret, lectione לא mitigandum eſſe putarent ſermonem emolliendumque: cujus rei alia exempla non deſunt in libris hebrnicis.

Quod reliquum eſt capitis, ad Ammonitas pertinet. Etenim quod praevideret Deus, fore ut Ammonitae, quod et ab Edomitis praecipue aliisque vicinis gentibus factum eſt, de excidio urbis reique publicae judaicae ſuperbius exultent glorienturque, profugosque Judaeos multis variisque moleſtiis afficiant, quod alia oratione cap. XXV. 1 — 7 copioſius exponit propheta; denuntiari voluit ac publice declarari, non eſſe

cur

inſcriptum habere לא המשפט ספרים אחרים. Et cel. De-Roſsi putat, quem Norzius innuat librum alium non eſſe quam ipſum illum, olim Taurinenſem, nunc ſuum, 782.

cur inſolentius ſe efferant Ammonitae, quod, quae Judaeis immineat, graviſſima calamitas et ipſis decreta ſit et certo parata. Nec eventu ſuo deſtitutum fuiſſe oraculum, ex Flavii Josephi *Archaeol. jud.* demonſtrabile eſt, qui Lib. X. cap. IX. §. 7 edit. Havercamp. refert, quinto poſt Hieroſolymorum vaſtationem anno exercitum deduxiſſe Nebucadnezarum in Coele-Syriam, eaque occupata et *Ammonitis* et Moabitis bellum intuliſſe, deinde redactis in ſuam poteſtatem iſtis gentibus in Aegyptum profectum eſſe, rel. — Res ipſa igitur, hiſtoria lucem affundente, obſcuritatem non habet: modo cave alium nunc gladium induci exiſtimes ac illum, quem ſuperiore oratione, vers. 14 ſqq. identidem commemoravit propheta: at ſunt voces quaedam ſingulae, verborumque formulae, de quibus nonnihil monendum ſupereſt.

Vers. 33 חרפתם active ſumendum eſt, ut Zephan. II. 8 חרפת מואב eſt ignominia Moabitarum, quam hi Judaeis intulerunt. להכיל dictum putatur pro להאכיל. At ſi vel maxime liceat, verbo האכיל, quod alias ſignificat *cibare*, conſumendi ſenſum tribuere; parum tamen concinne, noſtro quidem ſenſu, dicitur gladius ad id politus ut conſumat. Poliendo gladio enim non id agitur efficiturque, ut acie ſua nocentior, ſed ut ſpecie ſit ſpectabilior: et ſupra quoque vers. 15 diſerte gladius dicitur eo fine politus fuiſſe, ut ſuo fulgore coruſcaret. Itaque malim הכיל ad verbum כול referre, ut *ad continendum* ſit, quantum continere poteſt, i. e. quantum fieri potuit, quantum ſatis eſt: quo fere ſenſu vocem להכיל Ezechiel quoque uſurpat XXIII. 23 מרבה להכיל, *amplus erit quantum fieri poteſt.* Adverbii igitur vim quaſi ſuſtinet להכיל, et למען ברק proxime cohaeret cum voce מרוטה, hoc modo: politus eſt quam diligentiſſime ut refulgeat.

Vers. 34 לתת pendet a verſu proximo, quo gladius jam ſtrictus dicitur paratusque ad irruendum: אותך ad aliud nomen reſpiciat neceſſe eſt, quod equidem pronomine proximo, לך, innuitur, gentem ſcilicet Ammoniticam. Igitur ſenſus verborum לתת אותך אל צוארי חללי רשעים hic eſt: ut vos quoque addat gladius ad colla eorum, qui occiſi ſunt de improbis, h. e. ut idem vobis eveniat quod illis improbis, qui jam caeſi ſunt proſtratique. רשעים Judaei ſunt; *colla occiſorum* poëtice dicuntur pro occiſis, ad innuendum, truncos illos relictos eſſe, quorum a collis capita fuiſſent avulſa.

Vers. 35 difficultatem habet formula השב אל תערה, quod quis ſit, qui reponere gladium jubeatur, haud perſpicitur. Ammonitis quo minus haec verba dicta ſint, obſtat et genus verbi maſculinum, et magis etiam ſermonis ratio univerſa. Neque ad Babylonium illa referri queunt, quod qui ipſe gladii nomen habet, non poteſt niſi duriſſimo dicendi genere ad gladium ſuum recondendum impelli. Ven. Dathius intranſitive accepto verbo השב, pro תערה ſtatuit lectionem תערך, a Vulgato Syroque interprete expreſſam, quam ven. Moldenhawerus quoque, praeferendam eſſe editae exiſtimat. Nobis contra non videtur lectione mutanda opus eſſe: etenim poteſt השב infinitivus eſſe pro futuro poſitus, ut vers. 31 aliisque in locis permultis. (Schroederi *Syntax. verb.* reg. LIV.) Senſum autem quod attinet; eo reſpectu dicit Deus ſe effecturum, ut gladius in vaginam reponatur, quod Babylonius poſt expugnatam urbem terramque judaicam cum exercitu domum ſeſe recepturus eſſet, illaeſis tantiſper intactisque Ammonitarum finibus. Sed addit ſtatim, futurum tamen eſſe, ut et Ammonitae, intra patrios etiam fines, hoſtilem illum exercitum experiantur, ferro

et

et incendiis omnia pervaſtantem; quod quinto poſt expugnatam Hieroſolymam anno factum eſſe ante obſervavimus. — Formulae במקום אשר נבראת et בארץ מכרותיך eodem prorſus ſenſu dicuntur, quo deinceps uſitatiore loquendi modo dicitur בתוך הארץ, verſu ultimo. In vocabulo מכורות, quod formam quidem habet a verbo כור, ſignificationem vero a כרה fodit, videtur alluſionis quidquam eſſe ad id, quod hebraeis primi familiae ſeu gentis auctores cum *fonte* comparantur ſeu *puteo*, progenies cum *aqua* inde emanante. Eſai. LI. 1. Igitur ארץ מכורות העם proprie eſt terra ubi extant loca defoſſa, e quibus gens, quae terram habitat, emanavit. Aliter, ſed minus probabiliter, Abvl Walid in *libro radicum*, ואעלם אן מכורותיך ומולד במקום אשר נבראת בארץ מכורותיך לא ארץ מכורותם אחסן מא יקאל פיה אן תבדל אלכאף ברלא מן גים מגורותיך ומגורותם אביא להם מן מעני וכי יגור אתכם גר: h. e. *ſcito, quod attinet nomen מכורה tribus locis obvium, optimum quod de eo dici poſſit eſſe hoc, quod* כ *poſitum ſit pro* ג *ei ſignificatio derivanda ex illo uſu verbi* גור, *quem habet* Exod. 12, 48. Similiter Tanchvm in commentar. ad Ezech. XVI. 3. מכורותיך ומלדותיך מתל מגורותיך מכורות .e .h ,אי מולדך ומסכנך ואלחולם פי מוצע אלשורק: *idem quod* מגורות, *nempe habitatio, et Cholem poſitum pro Schurek.* Auctor verſionis arabicae, qui vertit في بلد بيعكا, *in terra emtionis ſ. venditionis tuae*, ad verbum מכר referendum eſſe nomen exiſtimavit.

Qui reliqui ſunt duo verſus, explicatione haud egent. Sequitur itaque capitis interpretatio noſtra latina.

1. *Jehova mihi haec dixit.*

2. *Homo, converte te meridiem verſus, et loquere verſus auſtrum, et vaticinare ad ſylvam auſtralem.*

3. *Haec vero dicas ſylvae auſtrali: percipe dicta Jehovae, Jehova haec dicit: Ego accendo in te ignem, qui conſumet in te arbores virides omnes, omnesque arbores aridas; non extinguetur flamma graviſſima, ante quam ea conſumta ſint omnia a meridie ſeptentrionem verſus.*

4. *Atque intelligent homines omnes, a me Jehova eam accenſam fuiſſe, haud extingui poterit.*

5. *Et dixi ego: ah Domine Jehova, exprobrare mihi ſolent illi, me nonniſi parabolis uti. —*

6. *Tunc haec mihi dixit Jehova:*

7. *Homo, converte te verſus Hieroſolymam, et loquere ad loca ſancta, et vaticinare ad terram Iſraëliticam.*

8. *Dicas autem terrae Iſraëliticae: haec dicit Jehova, Ego contra te ſurgam, ſtringamque gladium meum, et exſcindam ex te inſontes reosque.*

9. *Quod decrevi exſcindere ex te inſontes reosque, ideo ſtringatur gladius meus in omnes homines a meridie ad ſeptentrionem.*

10. *Ac intelligent omnes homines, a me Jehova ſtrictum eſſe gladium; non redibit* (in vaginam)

11. *Tu itaque, homo, anhela; cum dolore in lumbis et amariſſimo fletu anheles, illis praeſentibus.*

12. *Ac ſi ex te quaeſiverint, quare anheles, reſpondeas: ob nuntium futuri mali, quod quum avenerit, liqueſcet omne cor, remiſſae erunt manus omnes, concidet omnis animus, et omnia genua lababunt. En eveniet et perficietur, inquit Dominus Jehova.*

13. *Et*

13. *Et Jehova mihi dixit haec:*

14. *Homo, vaticinare his verbis: haec me Jehova dicere juſſit, gladius eſt exacutus, atque etiam politus.*

15. *Ut bene mactet, exacutus eſt; ut bene fulguret, politus eſt. O virgam, ſceptrum populi mei! ſpernit* (gladius) *omne lignum.*

16. *Traditus fuit ad poliendum, ut manu prehendi; ipſe exacutus fuit, gladius, ipſe politus, ut in manum percuſſoris tradi poſſet.*

17. *Clama et ejula, homo, paratus enim eſt contra populum meum, contra omnes ipſe principes Iſraëlis; projectus ad gladium erit populus meus, ideo percute femur!*

18. *Nam probatio facta eſt, et quid, ſi vel virgam non ſperneret* (gladius)? *inquit Dominus Jehova.*

19. *Tu vero, homo, vaticinare, et complode manus; duplicata vi, triplicata ſaeviet gladius, multos perimet, perimet primarios etiam, in penetralia quoque illos perſequetur.*

20. *Ut concidat animus, et multi pereant, ad omnes eorum portas conſtitui apertum gladium: ah, factus eſt ad fulgurandum, aptatus ad mactandum.*

21. *Operam da, verte te ad textram: attende, verte te ad ſiniſtram: quocunque tendis,* (perge.)

22. *Atque etiam ego manibus plaudam, iramque meam inſiſtere faciam. Ego Jehova effatus ſum.*

23. *Haec mihi dixit Jehova:*

24. *Tu, homo, pone tibi duas vias, quibus progredi poſſit gladius regis Babylonii, ex eadem regione procedant ambae: et ſpatium fac; in principio viarum, quarum ad urbem ducit, fac* (illud ſpatium.)

25. *Viam*

25. *Viam nempe facias, qua venire poſſit gladius Rabbatham Ammoniticam, et viam, qua venire poſſit in terram judaicam, Hieroſolymamque, urbem munitam.*

26. *Etenim conſiſtit rex Babylonius ad bivium, ad viarum divortium, ut divinationem inſtituat: concutit ſagittas, conſulit Theraphim, jecur inſpicit.*

27. *Dextra ſua tenet divinationem: Hieroſolyma! ut admoveat arietes ad aperiendum aditum contundendo, ut tollere jubeat clamorem bellicum, ut admoveat arietes portis, ſtruat aggeres, erigat vallum.*

28. *Videtur illis omen mendax — jurant viciſſim — at Ille mentionem facit pravitatis* (urbis), *quae ut expugnari poſſit ſpem faciat.*

29. *Propterea ſic dicit Dominus Jehova, quod vos facitis alios commemorare pravitatem veſtram, cum conſpicua ſint ſcelera veſtra, et pateant veſtra peccata, in tantis veſtris flagitiis, quod, inquam, in fama eſtis* (pravitatis), *capiemini.*

30. *Ac tu, profane, improbe, princeps Iſraëlis, cujus dies venit, tempore pravitatis extremae.*

31. *Haec dicit Jehova: removeo cidarim, et tollo coronam: ut nunc eſt, non erit amplius: quod humile eſt, exaltabo, quod elatum, humiliabo.*

32. *Nefas eam reddam! factum id non eſt, donec veniret penes quem jus eſſet, quod ipſe illi concederem.*

33. *Et tu, homo, vaticinare et dic: Sic ſtatuit Dominus Jehova de Ammonitis eorumque ignominia; dic, inquam, gladius, gladius eſt ſtrictus ad mactandum, politus ſummopere, ad fulgurandum,*

34. *Ut,*

34. *Ut, dum vanis viſionibus divinationibusque lactaris, adjiciat te ad colla eorum, qui occiſi ſunt de improbis, quorum dies venit, in pravitate ipſorum extrema.*

35. *Reponam gladium — (at) in loco quo nata es, in terra originis tuae puniam te.*

36. *Et effundam ſuper te iram meam, igne aeſtus mei afflabo te, et tradam te in vim hominum ferociam, qui ſunt in perdendo exercitati.*

37. *Igni cedes in pabulum, ſanguis tuus erit in terra fuſus, peribit tui memoria. Nam ipſe Jehova effatus ſum.*

XV.

XV.

PSALM. CVII.

Pſalmus, de quo agere inſtituimus, tantum quidem abeſt, ut vel multis vel gravioribus difficultatibus laboret, ut potius inter faciliores ipſe referri poſſit. Sed de ratione tamen carminis univerſa, eiusque poëtica conformatione videmur nobis nonnihil tradere poſſe, quod interpretum, quos pſalmi nacti ſunt, et multorum et praeclarorum diligentiam effugerit.

Atque hoc quidem latere haud facile quemquam poterat, conſtructum eſſe carmen ex partibus ſeu ſtrophis quinque, quarum fines et termini haud difficulter deprehenduntur, quamquam et ipſos non ab omnibus recte conſtitutos reperias. *Primo* enim in ſcenam producuntur, qui poſtquam, ſedibus ſuis expulſi, ſummam cibi potusque penuriam paſſi eſſent, reſtituti ſint a Deo in rem familiarem, v. 2 — 9. *ſecundo*, qui ex carcere et vinculis in libertatem aſſerti, 10 — 16. *tertio*, qui ex morbo graviore liberati, 17 — 22. *quarto*, qui ex immani procella ſalvi in portum deducti, 23 — 32. quibus *denique*, mutata nunc orationis forma, ſubjungitur imago terrae, quae, poſtquam vaſtata penitus incolisque orbata eſſet, receperit nunc colonos ſuos, atque ad priſtinam culturam ubertatemque redierit.

Illud autem mirum videri poſſit, nemini, quod quidem novimus, obſervatum fuiſſe, quod, quae primae ſtrophae praemittitur, formula יֹאמְרוּ etiam ad tres

tres reliquas aeque pertineat, atque ad vers. 10. 17. et 23 ſit repetenda. Quae quidem res nobis haud quidquam dubitationis habere videtur. Etenim, quae primam ſubſequuntur, ſtrophae ad ejus exemplum ita ſunt penitus conformatae, ut partibus ſuis ſingulis manifeſto illi reſpondeant. Primo certum genus hominum producitur, deinde exponitur calamitatis magnitudo, ſequitur auxilii divini, ejusque precibus efflagitati, commemoratio, et ad gratias Deo peragendas exhortatio ſubjungitur. Igitur, cum plane eadem appareat ſtropharum omnium facies et forma, intelligitur, quod praecedit verbum יאמרו non uni primae privum et peculiare, ſed reliquis etiam commune eſſe debere. Praeterea, niſi repetatur formula haec, verbum, quo commode referantur, non habent nomina ישבי חשך vers. 10. אוילים vers. 17. unde etiam factum eſt, ut quae exſtant verſiones, etiam optimae, orationem exhibeant haud parum impeditam et quaſi interruptam: quod legentibus non poteſt non ſponte occurrere. Verbo autem יודו vers. 15. 21. 31. quo minus nomen in ſtrophae limine conſtitutum jungere poſſis, quod perill. Michaelis feciſſe videtur, impedit et nimium, quo verbum illud diſtat, intervallum, et ipſius interjecti ſermonis ratio et ſtructura. Contra, ſi verbo יאמרו utaris, juſto atque concinno ordine decurrit univerſa oratio.

Argumentum autem pſalmi quod attinet, ſi miſſis, qui, ingenium magis ſuum quam certas probabilesque rationes ſecuti, futurarum rerum adumbrationem videre hic ſibi viſi ſunt, interpretibus, e quorum numero eſt etiam Hermannus Venema, alios eosque praeſtantiores audiamus; eſt hymnus pro acceptis a Deo beneficiis ad hanc vitam pertinentibus, confectus ad uſum eorum, qui ſint a Deo ex ſingulari quadam

 cala-

calamitate liberati. Sic ſtatuit perill. MICHAELIS quem, ut alias ſaepe, ſequitur ven. KNAPPIVS.

Enimvero, ſi quid ipſe ſentiam atque intelligam, haud ita comparatum eſſe videtur hoc carmen, ut formulam exhibere dici queat, qua uti poſſent, qui juvante Deo graviora mala evaſerint. Etenim, primo illud certum eſt et manifeſtum, in eo magis verſari pſalmum, ut malorum quaedam genera, eorumque feliciorem exitum enumeret, atque officium grati animi erga Deum pro acceptis beneficiis commendet, quam ut grati animi ſenſus ipſos exprimat atque declaret. Deinde hic non agitur de vinctis ac aegrotis quibuscunque, ſed de illis, qui ſua culpa, hoc eſt, ob negatam monitis divinis obedientiam vers. 11. morumque perverſitatem vers 17. in vincula vel morbum graviorem incidiſſent: cuius rei cauſam probabilem haud facile invenerit, qui tam late patere carminis conſilium dixerit. Denique illud maxime mirum videri debet, nautas adeo in ſcenam produci, quibus, ſaeva tempeſtate defunctis, ad portum pervenire contigerit: etenim rem nauticam maritimamque, quod ſcimus, non curabat gens judaica, ſi a ſplendido Salomonis aevo diſceſſeris (1 Reg. IX. 26. X. 22.) quem impari ſucceſſu ac plane infelici imitatus eſt Joſaphatus (1 Reg. XXII. 49.) Suſpicatur quidem ven. KNAPPIVS, claſſem aliquam Iſraeliticam, forte Salomonis tempore, graviſſimis difficultatibus conflictatam, atque exitio proximam fuiſſe, unde immenſam jacturam factura fuiſſet respublica. Sed neſcio, an multum ponderis habeat iſtiusmodi opinio: nec in omni pſalmo quidquam deprehenditur, quod eum a Salomonis inde aevo repetendum eſſe ſignificet.

Nec magis ſatisfacit illorum ſententia, qui exiſtimant, pſalmum hunc, aliter quam plerique alii, qui eam

eam providentiam ſpectarent, qua Iſraelitici populi res Deus ſpecialiter procuraret, pertinere ad celebrandam ejus curam, omnia complectentem, qua numen alios homines atque populos omnes perpetuo gubernaverit. Sic fere ven. Dathivs, qui ſummam pſalmi deſcripſit hiſce verbis: "Hic Pſalmus continet laudes providen-„tiae divinae generalioris, quae ſe erga omnes homi-„nes exſerit. Quod argumentum ita tractatur, ut „exempla quaedam commemorentur, ex quibus ſingu-„laris illa Dei benignitas, potentia et ſapientia in gu-„bernatione hujus univerſi cognoſci poſſit. Primo exu-„les 2 — 9, deinde captivi 10 — 16, tertio aegroti „17 — 22, quarto navigantes 23 — 32. tandem aliae „regionum et populorum mutationes, ex quibus Dei „ potentia et juſtitia cognoſci poteſt, 33 — 43." Equidem putaverim, hunc locum ſi tractare in animo habuiſſet poëta, providam Numinis curam, quae omnes omnis generis homines complectatur, celebraret commendaretque, multo aliter ſcenam inſtructurum, atque ex infinita, quae praeſto erat, multitudine exemplorum alia adhibiturum fuiſſe, quae ad eos, quibus proxime ſcribebat, propius pertinerent, atque ad animos eorum movendos certiorem vim habitura eſſent, quam fata navigantium: praeſertim, ſi ad prima tempora reditus ex Babylonico exilio referendus ſit pſalmus, ut ipſe Dathivs exiſtimat, et, ſi quid videmus, rectiſſime.

Etenim ſi primam carminis partem ſeorſim ſpectaveris, commodiſſime poteſt ad reduces ab exilio Babylonico Judaeos referri: non quod eo usque redacti fuerint, ut in vaſta ſolitudine oberrandum illis eſſet, et cum fame ſitique confligandum: ſed poterant certe, ad illuſtrandam ex ſuperioris conditionis miſeria divini beneficii magnitudinem, comparari cum illis, qui

domibus ejecti, verſarentur in ſumma rerum omnium inopia atque egeſtate. Hoc autem ſi detur, nihil profecto adparet, quod impediat, quo minus et reliqua ad hanc ipſam rationem poſſint accommodari.

Nobis itaque ſic videtur, pſalmum hunc compoſitum fuiſſe tum demum, poſtquam Judaei ex Babylonia primum, deinde et aliunde ex variis regionibus, velut ex Aegypto, Arabia etc. quo olim, turbato reipublicae ſtatu vel ultro profugiſſent, vel per vim hoſtium abducti eſſent, reduces in patriam facti, rem ſuam publicam et familiarem atque domeſticam feliciter inſtaurare coepiſſent. 1) Hos igitur eſſe, quos ad gratias Jehovae pro accepto mirifico beneficio perſolvendas excitet auctor. Ad hos ſolos unice redire, quae, ad gratam orationi varietatem conciliandam, de variis periclitantium generibus dicta ſint. Induci profugos, captivos, ex morbo languidos, nautas procellis

1) Etiam pſalmus, qui hunc proxime antecedit, *centeſimus ſextus*, ut hoc obiter moneamus, abſoluto demum Babylonico exilio ſcriptus eſt. Neque huic ſententiae obſtat illud, quod 1 Chron. XVI. 34 — 36 verba, quae Pſ. CVI exhibet vers. primo et duobus extremis, dicuntur adhibita fuiſſe in ſacris publicis, Davidis cura inſtauratis ordinatisque. Neutiquam enim certa ratione hinc efficitur, pſalmum, cui eadem verba inſunt, univerſum vel ab ipſo Davide profectum eſſe, vel certe ejus aetate in ſacris adhibitum. Equidem putaverim potius, formulas 1 Chron. XVI. 34 ſq. commemoratas, poſtquam in ſacris adhiberi coepiſſent, abhinc ita uſu receptas et apud populum frequentatas fuiſſe, ut inferioris aetatis vati eaedem facillime potuerint occurrere, atque ab hoc in ſuo carmine uſurpari. Ceterum vix eſt, cur moneamus, verba ברוך יהוה et quae ſequuntur, non eſſe ab ipſo auctore pſalmi profecta, ſed ab eo, qui univerſos pſalmos in V libros deſcriberet, adpoſita.

lis agitatos nonniſi eo conſilio, ut recordationem et quaſi multiplicem imaginem triſtium laetorumque haberent, qui et ipſi nunc ab exilio in patriam, et quaſi ex carceribus in libertatem, ex morbo ad incolumitatem, ex naufragio ad litus perveniſſent.

Hac demum ratione ſi Pſalmum noſtrum ſpectaveris, habebis partium ſingularum omnium juſtam aptamque conſenſionem. Intelligis, cur vincti memorentur, qui juſſorum divinorum contemtu, et aegroti qui vita inique acta hanc ſibi calamitatem acceſſiverint: etenim eorum haec cauſa eadem erat, ad quos carmen hoc totum pertinet. Neque nautarum commemoratio quidquam nunc habet juſtae offenſionis, eſtque illa omnino ſic comparata, ut etiam ab homine profecta eſſe poſſit, qui ipſe mare haud expertus non niſi ex fando talia percepiſſet. Maxime autem confirmatur iſta ſententia ex eo, quod pars carminis poſtrema nequaquam agit de regionum populorumque viciſſitudinibus univerſe, ſed ſeparatim atque unice exhibet rerum omnium commutationem eam, quam ipſa judaica reſpublica experta eſſet, graviſſimam et prorſus ſingularem: quod ſperamus ex ipſa etiam verſione poſſe intelligi.

Sequitur itaque verſio latina, ſic inſtructa, ut et deſcriptio carminis, et ratio ſingularum partium conſpicua ſit legentibus. Verſionem excipient adnotationes nonnullae, ſi quibus in oratione tam plana et perſpicua opus eſſe viſum fuerit.

1. *Celebrate Jehovam,*
quod bonus, quod perennis eſt gratia ejus.

 2. Di-

2. Dicant: perennis eſt gratia ejus! qui vindicati ſunt a Jehova,
quos vindicavit e vi hoſtium,

3. Et ex variis regionibus collegit,
ab oriente atque ab occidente, a ſeptentrione et a mari.

4. Errabant in deſerto, in ſolitudine,
viam ad urbem habitatam non inveniebant,

5. Famelici nec non ſitientes,
ut animi deliquium paterentur.

6. At quum implorarent Jehovam in hac ſua calamitate;
ex anguſtiis ipſorum liberavit eos,

7. Duxitque eos in viam rectam,
qua pervenirent ad urbem habitatam.

8. Celebrent coram Jehova gratiam ejus,
et mira ejus facta apud homines:

9. quod ſatiavit ſitientem,
et famelicum replevit bono.

---

10. Dicant: perennis eſt gratia ejus! Qui ſedebant in tenebris et caligine,
conſtricti gravi ferro,

11. Quoniam immorigeri fuerant dictis Dei,
et conſilium Altiſſimi ſpreverant;

12. Subegit aerumna animum eorum,
ruebant, nemine auxiliante,

13. At quum implorarent Jehovam in hac ſua calamitate;
ex anguſtiis ipſorum expedivit eos

14. Edu-

14. Eduxit eos e tenebris et caligine,
et vincula eorum disrupit.

15. Celebrent coram Jehova gratiam ejus,
et mira ejus facta apud homines:

16. Quod fregit portas aeneas,
vectesque ferreos dejecit.

---

17. Dicant: perennis eſt gratia ejus! Qui ſtulti fuerant, vita ſua improba criminibusque ſuis noxam ſibi contraxerant.

18. Omnem cibum faſtidiebant,
et attigerant jam portas mortis.

19. At quum implorarent Jehovam in hac ſua calamitate;
ex anguſtiis ipſorum expedivit eos.

20. Juſſit, et incolumes facti ſunt,
fecitque eos evadere ſepulchra ſua.

21. Celebrent coram Jehova gratiam ejus,
et mira ejus facta apud homines,

22. Et offerant ſacrificia euchariſtica,
enarrentque facta ejus cum jubilo.

---

23. Dicant: perennis eſt gratia ejus! Qui deſcenderant in mare, in naves,
tractaturi negotia in aquis multis.

24. Hi experti ſunt opera Jehovae,
et mira ejus facta in profundo.

25. Dicto arceſſivit procellam,
fluctus haec maris ſurſum egit.

26. Evehebantur ad coelum, deſcendebant ad ima,
in adverſitate animus deficiebat.

27. Vertigine agebantur et titubabant inſtar ebrii,
omni peritia ipſorum abſumta.

28. At quum implorarent Jehovam in hac ſua calamitate;
ex anguſtiis eorum eduxit eos.

29. Sedavit procellam mutavitque in auram,
conticuere fluctus,

30. Laetati ſunt illi, quod conquieſcerent,
et deduxit eos ad litus optatum.

31. Celebrent coram Jehova gratiam ejus,
et mira ejus facta apud homines,

32. Extollantque eum in coetu populi,
ac in conſeſſu ſeniorum laudent eum.

---

33. Convertit fluvios in deſertum,
et aquarum ſcatebras in ſolum aridum,

34. Terram frugiferam in ſalſam tellurem,
ob nequitiam incolarum ejus.

35. Convertit iterum deſertum in ſtagnum aquarum,
et terram aridam in aquarum ſcatebras.

36. Collocavitque ibi famelicos,
et condiderunt urbes habitabiles,

37. Et conſevere agros, et plantavere vineas,
reddentes nunc fructum proventus.

38. Et benedixit ipſis, ut valde augeſcerent,
atque etiam jumenta eorum minui haud ſivit.

39. Pau-

39. Pauci facti fuerant et depreſſi,
premente eos adverſitate et maerore.

40. Effuderat contemtum in principes,
et vagari fecerat eos in vaſtitate invia.

41. Sed tutos nunc collocavit, qui inopes erant, ab afflictione, reddiditque familias gregis inſtar numeroſas.

42. Vident probi et laetantur,
et perverſi omnes obmuteſcunt.

---

43. *Qui ſapiunt, obſervent haec,*
intelligantque inſignem gratiam Jehovae.

Vers. 2 ad verbum יאמרו repetenda eſt vel omnis formula, quae praecedit, — — הודו ליהוה, ut eſt Jerem. XXXIII. 11. vel pars ejusdem, כי לעולם חסדו, ut Ps. CXVIII. 3. 4.

Vers. 3 ומים *Meridionalem* plagam innui, clarum eſt ex ratione contextus. At nomen יָם, nude poſitum, mare mediterraneum, h. e. occidentem, ſignificare ſolet, nec facile pro meridie dicitur. Itaque Clericus conjecit, legendum eſſe מימין, quemadmodum Ps. LXXXIX. 13 extat צפון וימין, *ſeptentrio et meridies*. Idem, poſt Harium, ſtatuit ill. Michaelis[2], non abnuente ven. Knappio. Et Kennicottus[3], etiam hoc ipſo loco utitur ad demonſtrandum, "quantopere conducat, vel potius quam neceſſe ſit, textum noſtrum aliquando ex conjectura ſola corrigere." Sed

 nobis

2) Biblioth. Or. et Exeger. P. XIX. p. 150.

3) Diſſertat. general. pag. 12. edit. Oxonienſis, pag. 51. edit. Brunovic.

nobis non videtur ſollicitanda eſſe lectio, quae et verſionum librorumque omnium auctoritate confirmetur, et interpretationem admittat haud improbabilem. Etenim mare *rubrum* intelligi poteſt ſeu *arabicum*, ut fere Ps. LXXII. 8 וירד מים עד־ים, *dominabitur a mari* occidentali, mediterraneo *ad mare* auſtrale, arabicum. Sic Chaldaeus vocem interpretatus eſt, מן ימא דרומא *de mari auſtrali.*

Vers. 4 בישימון דרך Duas has voces conjungunt accentus, ſed minus probabiliter. Etenim de *invia* ſolitudine dicendum potius erat בישימון לא דרך, coll. vers. 40. quapropter et Clericus ſuſpicatus eſt, vocem לא ante דרך e contextu excidiſſe. Venema vult, דרך jungendum eſſe cum verbo תעו, *errarunt in deſerto et ſolitudine viam*: quod incommodum videtur. Aptius Alexandrinus interpres, *ὁδὸν πολεως κατοικητηρίȣ ȣ̓χ εὗρον*, et Syrus, addita etiam copula, ܘܐܘܪܚܐ ܕܡܕܝܢܬܐ, *et viam urbis.* Atque hos quidem nos ſequimur, maxime ob vers. 7. quo Deus dicitur eos duxiſſe recta via, quae ad urbem habitatam duceret.

Vers. 10 notanda ſunt fere haec: 1) ישבי intelligendum eſt de praeterito tempore, ut עשׂה Ps. CVI. 21. Etenim participia, cum proprie ſint adjectiva verbalia, nullis diverſorum temporum formis diſtincta, omnium temporum eſſe poſſunt. (Schroeder de Synt. verb. reg. LV.) Itaque et אסירי ad praeteritum tempus referendum eſt. 2) *Caligo* dicitur pro carcere atro et tenebroſo, ut Eſai. XLII. 7. Similiter Virgilius Aeneid. VI. 734 neque auras Reſpiciunt clauſae tenebris, et carcere coeco. 3) In verbis עני וברזל eſt forma loquendi, quae dici ſolet hendiadys, et nomen עֳנִי vicem adjectivi ſuſtinet.

Vers.

Vers. 16. Formula haec omnis petita eſſe videtur ex Eſaia, cap. XLV. 2. Vſurpatur verbum גרע de caedendis dejiciendisve rebus iis, quae erectae ſint, veluti cornibus, arboribus, ſtatuis. Igitur et hic intelligendi obices ferrei, non transverſi illi ſed qui erecti foribus clauſis obſtent obnitanturque extrinſecus.

Vers. 17 אוילים, adjectivum, putamus participii uſum hic habere, atque, ut illud אסירי vers. 10, ad praeteritum tempus referendum eſſe. Stultus autem hebraeis dicitur quoque, qui improbam vitam agit: quapropter Alexandrinus Ps. CXIX. 113 vocem סעפים, quae ex uſu arabici verbi شعف mente turbatos, inſanos ſignificat, (conf. Schvltens. in commentar. ad Job. IV. 13.) bene reddidit *παρανομους*. Ante vocem מדרך ſupplendum eſt pronomen אשר. Praefixum מ ſignificat *propter*, ut vers. 34 in formula מרעת יֹשבי בה. Verbum התענה ex uſu, quem in Pihel habet, poteſt eſſe: afflictum ſemet reddidit, mala atque incommoda ſibi concitavit. Michaelis, poſtquam in prima editione verſionis Pſalmorum vocem אוילים reddidiſſet: *qui ſtulti fuerant*, poſtmodum, mutata ſententia, vertit: *qui ex via prava revertuntur*; uſus, ut videtur, nam ipſe in Supplementis ad lex. hebr. haud quidquam monuit, ſignificatione verbi arabici آل, quod idem valet ac رجع, rediit. Kennicottvs 4) laudat atque exornat conjecturam Houbigantii, pro אוילים, levi mutatione facta, legendum eſſe אולים, *qui contabuerant*, quae poteſtas verbi אול adhibita alio in loco ſit a Symmacho, et in arabica lingua maxime vigeat, ubi אול ſit, inopia laborare. Ille putat,

4) in opere poſthumo, *Remarks on ſelect paſſages of the old teſtament*. pag. 270.

putat, alluſionem eſſe ad lepram, qua, qui correptus fuerit, eſſet ab aliorum commercio removendus ac ſecludendus, ut quum talem ſanitati reſtituerit Deus, bene dici poſſit fores aeneas effregiſſe et obices ferreos dirupiſſe. Verum haec videntur longius petita eſſe, nec adeſt juſta cauſa de lectione אולים dubitandi. Alexandrinus quidem habet, *ἀντελαβετο ἀυτων ἐξ ὁδȣ ἀνομιας ἀυτων*, Vulg. *Suſcepit eos de via iniquitatis eorum*, et Syrus, — ܥܕܪ ܐܢܘܢ, juvit eos de via peccatorum ipſorum, quod fere eſſet עָזְרָם, vel et אזרם, arabice certe אזר eſt adjuvare. Sed haec dixerimus magis ex ingenio interpretum profecta eſſe, quibus obſcurior viſus eſſe poſſit locus, quam ex lectionis varietate; et univerſa carminis ratio et forma requirit omnino, ut hoc loco, ubi novae partis initium eſt, nomen praecedat, quo ſequentia poſſint referri.

Vers. 20 ישלח דברו poëtice dictum eſt pro ויאמר, ut eſt vers. 25. Similis formula extat Ps. CIV. 30 תשלח רוחך, dicta pro תאמר. וימלט Alexandrinus exprimit *και ἐρρυσατο ἀυτȣς*, Syrus quoque habet ܦܨܝ ܐܢܘܢ, et eripuit *eos*. Neque vero hinc conſequitur, quod Kennicotto placuit, lectum illis eſſe, vel nobis legendum eſſe, וימלטם.

Vert. 23. Qui navi ſeſe committunt, haud inepte dicuntur *deſcendere* in mare, in naves, tum quod mare depreſſius eſſe videatur litore, tum quod moles altae ſint ad portus, ex quibus in naves praeſertim onuſtae ſi fuerint, omnino deſcenditur.

Vers. 24. Haec non putem intelligenda eſſe de multis variisque, quae in mari navigantibus ſeſe offerant, rebus inſolitis mirandisque, ex quibus certe perſpicitur potentia et ſapientia Dei, a quo condita ſunt

omnia,

omnia, ſed redeunt potius, ad mirificum Dei auxilium, quo uſos ſe eſſe perſuadere ſibi debeant, qui ex horrenda tempeſtate ſalvi eluctentur; fere ut germanice de eo, qui extremum aliquod diſcrimen feliciter evaſit, dicimus: er kann von Wundern ſagen, miram ipſe bonitatis et potentiae divinae vim expertus eſt.

Vers. 25 pro וַיַּעֲמֵד, quo ad nomen יְהוָה, ven. Knapp mavult וַיַּעֲמֹד, praeeunte Alexandrino et Vulgato; etenim רוּחַ eſſe utriusque generis, et verbum הָרִימָם poſſe pendere a nomine סְעָרָה. Et certe, ſi quid ſentio, editum illud: dixit *et praeſto eſſe juſſit* procellam, nonnihil minorem habere videtur vim et gravitatem, quam: dixit *et adfuit* procella; ut fere eſt Ps. XXXIII. 9 הוּא אָמַר וַיֶּהִי הוּא צִוָּה וַיַּעֲמֹד, ipſe jubet et fit, ipſe praecipit et adeſt, Ps. CV. 31 אָמַר וַיָּבֹא, dixit et venit — Sed editum וַיַּעֲמֵד exactius reſpondet formulae יִשְׁלַח דְּבָרוֹ וְיִרְפָּאֵם vers. 20, ubi ſimiliter dici poterat וַיִּרְפָּאֵם; et verbum quoque הָרוֹמֵם videtur magis ad nomen regens pertinere, quam ad rectum סְעָרָה, quapropter nos a mutanda forma abſtinemus.

Vers. 27. In voce יָחוֹגּוּ duas lectiones confluxiſſe, obſervavit ill. Michaelis, alteram יָחֹגּוּ, a verbo חגג derivandam, quam ex uſu arabici verbi خجّ, impulit, inflexus fuit, terrae impegit pedem, reddit: *caeſpitabant — — ut ebrius:* quod in nave tempeſtate gravi jactata vere accidere ſoleat mari non valde adſuetis (Supplem. ad lex. hebr. pag. 670.) alteram יְחוּגוּ, ad verbum חוּג referendam, quam adhibito ſyriaco ܚܓ, circumvivit, explicat his verbis: *In orbem*

bem ire, eſt ibi ebriorum, vertigine capitis in orbem actorum, quibus procella jactati, nullibi in navigio conſiſtere valentes, ubique vacillantes, vomentes quoque, comparantur. (loc. cit. pag. 681.) Ac ipſe quidem illud praeferendum eſſe exiſtimat. Sed nobis nonnihil dubitandum videtur de illa *caeſpitandi* notione, ducta ex ſignificatione, quam verbo خجّ, Camuſi auctoritate uſus, Golivs adſcripſit: *terrae impegit pedem.* Phirvzabadii enim in Camuſo verba ſunt haec: الخَجُّ الدفعُ والشقّ والالتواء والانجماع والرمي بالسلخ والنسف في التراب in quibus neſcio an illud النسف في التراب tuto verti poſſit: terrae pedem impingere. Neque illud certum eſt, quod ven. Knapp offert, arabicum verbum خج eſſe *in orbem agere* vel *agi:* quamvis ipſum quoque Schvltensivm tripudiandi ſignificationem verbo tribuere, Clav. diall. pag. 231. haud ignoremus. Malumus in eo acquieſcere, quod חוג, chaldaice etiam et ſyriace, ſignificationem habet gyri, orbisque, unde יחוגו haud dubie reddi poteſt: circumagebantur, vertigine correpti; quod eorum eſt, qui perculſi ſtupefactique, conſilii inopia laborant. Veteres minus adſtricte interpretantur verbum, Alexandrinus ἐταράχθησαν, Syrus ܕܠܚܘ turbati ſunt, Chaldaeus יִרְתְּתוּן tremunt. Caeterum, quam apta atque elegans ſit ſimplex haec et quaſi primis tantum lineis ducta imago tempeſtatis, unusquisque ſponte intelligit. Temperare tamen nobis haud poſſumus, quin locum illum Ovidianum, Triſtium I Eleg. 2. a multis jam hic adhibitum et ipſi commemoremus:

Me

Me miſerum, quanti montes volvuntur aquarum!
  Jamjam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantae diducto ſubſidunt aequore valles!
  Jamjam tacturas tartara nigra putes.
Rector in incerto eſt, nec quid fugiatve petatve
  Invenit, ambiguis ars ſtupet ipſa malis.

Vers. 29 דממה cave de ſilentio venti, Windſtille, intelligas: neque enim gratum eſt navigantibus, vento omni carere, nec navis ad litus appellere poterat abſque venti beneficio. דממה, ut ex 1 Reg. XIX. 12 etiam intelligitur, *aura* eſt; et ſcite vertit Alexandrinus, *και ἐπεταξε τη καταιγιδι, και ἐϛη εις αὐραν.* Eſt enim hic conſtructio verbi, quae praegnans dicitur, pro יקם סערה ויעשה לדממה, ſedavit tempeſtatem eamque convertit in auram. גליהם non eſt cur cum Kennicotto mutes in גלי הים, ut quidem apud Syrum extat. Etenim ים cum fere collectivum ſit, ut עם, צאן, בית, poteſt aeque ac haec, ratione ſignificationis habita, conſtrui ut plurale. Nec magis ex ſyriaci interpretis formula ܠܓܠܠܘܗܝ ܕܝܡܐ conficitur lectio גלי הים, quam ex Alexandrini *τα κυματα αὐτης*, lectio גליה. Quod idem Kennicottus ex Hario affert, verba יעמר vers. 25 et יקם vers. 29 locum permutaſſe, adeoque priſtinis locis reſtituenda eſſe, conjectura eſt, ingenioſa quidem, ſed qua facile caremus.

Vers. 30 מחוז, *ἀπαξ λεγομενον*, Alexandrinus vertit *λιμενα*, Syrus quoque ܠܡܚܘܙܐ, *portus*, Chaldaeus ipſam vocem repoſuit מחוז, quam in Polyglottis quidem redditam videas *portum*, ſed non ſatis certo. Etenim judaici magiſtri ipſi, quod Hydius docet

docet 5), מחוז et *urbem* et *tractum* ſeu *provinciam* eſſe ſtatuunt. Et urbis quidem ſignificatio confirmatur ex uſu linguae ſyriacae, in qua ܡܚܘܙܐ *oppidum* eſt. Syrorum enim lexicographi, teſte eodem Hydio, ſcribunt: ܡܚܘܙܐ ܩܪܝܬܐ ܙܥܘܪܬܐ. مدينة صغيرة *Mochazo eſt urbs parva* ſeu *civitas minor*, nempe oppidum magnum. Altera autem ſignificatio demonſtrari poteſt ex arabico: etenim Gieuhario teſte الحوزة الناحية وحوزة الملك بيضته, h. e. *nomen* حوزة *ſignificat tractum*, *et*, *ſi de regno dicatur*, *meditullium regni.* Quod vero ex Ibn Maruph tradit Golius: حوز, *ora*, *margo*, ignorant quidem lexica Gievharii Phiruzabadiique, idem tamen etiam Kimchi refert in libro Radicum, hauſtum, putem, ex lexico R. Jonae, ſeu *Abu'l Walid Merwân Ibn Dschannach*, Cordubenſis, teſtis omnino probi atque idonei, cujus auctoritas ſpernenda non eſt. Quae cum ita ſint, ambiguum videri poſſit, *portusne* ſit מחוז, an generatim *ora maritima*, *litus.*

Vers. 33 — 35. Eſt in his manifeſta imitatio Eſaiae, et verſus etiam 35 totus, ne minima quidem mutatione facta, petitus eſt ex Eſai. XLI. 18. Nempe vates hebraeus, quod ſub ferventiore ſuo coelo oculis cerneret; agrum pluviae vel aquae penuria laborantem, ſemper ſterilem ac triſtem eſſe, loca autem irrigua, vel largioribus imbribus recreata, laetiſſimam faciem prae ſe ferre, ac plane luxuriare; ita animo conjunxit cum fertilitate agri aquae copiam, ut hanc etiam pro illa diceret, et uber-

5) in notis ad *Abrah. Peritsol itinera mundi*, Oxon. 1691. pag. 41.

ubertatem fere ex ſola aquae multitudine aeſtimaret. Eſaiae autem excitatius atque audax ingenium eo etiam progreſſum eſt, ut, cum terrae vel conditionis univerſae a Deo inſtaurandae renovandaeque imago exprimenda eſſet, non fontes tantum, ſed fluvios adeo orituros, quin ipſa deſerta arida non niſi ſtagna, ſed ea arboribus varii generis conſita, futura eſſe diceret. XXXV. 6. 7. XLI. 18. 19. XLIII. 20. Igitur et hoc loco *fluvii* et fontes *dicti* ſunt ad ſignificandam terram uberem et fecundam, idque vel ex eo intelligas, quod quae ſubſequuntur verba propria, ארץ פרי, explicationem habent eorum, quae ſunt antea figurate dicta: *deſertum* contra et *ſiticuloſum* de terra inculta et ſterili, quae magis proprie dicitur מלחה, h. e. talis, *quae omnis exuſta ſit, haud conſita, nec quidquam graminis vel herbae progerminans, ſimilis everſae Sodomae et Gomorrae* Deut. XXIX. 22. nomine ducto a valle, mare mortuum ambiente, quae cum ſalis copiam multam habeat, et ſit una omnium Palaeſtinae regionum maxime ſterilis, effecit, ut hebraei ſummam agri vaſtitatem deſcripturi ſalſuginoſum eum dicerent, et urbes etiam, quas reſtitui nollent, ſale conſpergerent. 6)

Caeterum quid ſit, quod efficiat, ut haec, et quae ſequuntur, potius accipienda ſint univerſe de terrarum gentiumque viciſſitudinibus, tum laetis, tum triſtibus, quas Deus ex ſummo ſuo in res omnes imperio decernere poſſit et ſoleat, quam ad unius populi

6) vid. *Michaelis* ad *Lowthi* praelect. de ſacra poëſi Hebr. pag. 42. coll. diſſ. ejuſdem de mari mortuo, quae extat in faſciculo commentatt. Bremae 1763. 4 editarum.

populi judaici hiſtoriam reſtringenda, nos quidem haud perſpicimus. Poſſit forte illud urgeri, quod bis poſitum ſit verbum in futuro, יָשֶׂם, futurum autem frequenter uſurpatur de eo, quod quis facere ſolet, vel quod omni tempore eodem modo fieri poteſt. Enimvero cum continuo ſequantur futura, quae ob praefixam Vav converſivam vim habent praeteritorum; conſequitur, etiam quod antecedit verbum ישׂם non poſſe non deſignare rem vere praeteritam, quam reliquae deinceps ſubſecutae ſint. Ad mirabilem vero illam terrae judaicae converſionem, qua factum eſt, ut primum, deductis in Babyloniam incolis, vaſta atque inculta relinqueretur, deinceps, redditis colonis, novam faciem indueret, planiſſime omnia referri poſſunt et commodiſſime. Certe inſignis locus Eſaiae, XLI. 18. 19. ex quo noſter ductus eſſe videtur, nonniſi hanc ipſam rem ſpectare cenſendus eſt.

Vers. 37 verbum ויעשׂו non eſt referendum ad illud ſubjectum, ad quod ſpectat antecedens ויזרעו, nempe רעבים, quales Judaei, dum exules eſſent, recte dici poterant: neque enim hebraice *homines* dicuntur עשׂות פרי, ſed *agri*, *vineae*, *arbores*, ut Gen. I. 11. 12. 2 Reg. XIX. 30. Habac. III. 17. Alienum vero haud eſt a more loquendi hebraeorum, quod recte obſervavit celeb. Schroeder, de Synt. verb. reg. LVII. ut verba ejuſdem perſonae, generis et numeri, unam in ſeriem connectant, quae tamen referenda ſint ad diverſa ſubjecta.

Vers. 39. 40 quae dicuntur, ne antecedentibus repugnarent, hoc modo plerumque cautum videas ab interpretibus, ut de alio plane hominum genere haec dicta eſſe perhibeant. Sic, praeeuntibus aliis, quoque ven. **Dathe** vertit: *alii contra* decreſcunt et depri-

deprimuntur. Et ven. Knappius non neglexit monere, de hoſtibus Iſraëlitarum, non de Iſraëlitis ipſis eſſe haec accipienda. Sed hoc certe negari nequit, in oratione ipſa nihil prorſus eſſe, quod lectorem moneat, de aliis iisque diverſis hominibus nunc eſſe ſubito cogitandum. Eſt potius oratio ipſa ſic comparata, ut non poſſis non in eam ſententiam adduci, quod ad eosdem referenda ſint omnia. Nos putamus, praeterita haec וימעטו וישחו, nec non participium שֹׁפֵךְ qnod ob ſequens ויתעם poſitum eſſe debet pro שָׁפַךְ vel וַיִּשְׁפֹּךְ, dicta eſſe in relatione ad res praeteritas ante commemoratas, adeoque reddenda eſſe in plusquamperfecto: quo facto planiſſime progreditur omnis oratio. Etenim, cum diceret vates auctum nunc iterum eſſe divino beneficio civium numerum, fere non poterat non ſuccurrere memoria priſtinae calamitatis, qua factum erat, ut ad exilem numerum redigeretur populus. Et quod clades illa non in plebe ſola ſeſe contineret, ſed latiſſime ad omnes omnium ordinum homines pateret, addit: ne principibus adeo viris peperciſſe Deum, quin contemtim eos ab hoſtibus haberi permitteret. Formula: *vagari in vaſtitate invia*, inde orta eſt, quod ſint in oriente deſerta, tota obtecta arenis, vento mobilibus, aeſtuque ardentibus, in quae, qui incidit, niſi habeat itineris ducem gnarum et bene exercitatum, non poteſt non miſerrime perire.

Vers. 41 pro משפחות ex ſyriacae interpretationis auctoritate legendum eſſe משפחותם, ſtatuit Kennicottus. Sed primo, quod Syrus vertit ܫܪܒܬܗܘܢ, ſane haud efficit, ut משפחותם legiſſe cenſendus ſit, nam alii quoque, velut Knappius Dathiusque, pronomen in verſione exprimunt, non quod legendo addendum, ſed quod ſubintelligendum illud

illud eſſe exiſtimarent: deinde et Alexandrinus et Chaldaeus confirmat lectionem editam. Et poteſt haec rectiſſime defendi; ſenſus enim eſt, effeciſſe Deum, ut nunc ſingulae etiam familiae gregis inſtar numeroſae evadant.

Vers. 42 ישרים Judaei ſunt, a Jehova iterum in gratiam tutelamque recepti. Qui contra confuſi nunc eſſe dicuntur, ut ne hiſcere quidem audeant, putem Idumaeos eſſe, Philiſtaeos, aliosque olim infenſiores accolas, quos Judaeis, quum in Babyloniorum poteſtatem venirent, proterve illuſiſſe, atque adeo patrii numinis vel negligentiam, vel virium, quae vindicando populo ſuo pares eſſent, inopiam exprobraſſe, ex multis prophetarum locis certo conſtat.

Vers. 43 יתבוננו, pluraliter, recte dictum, neque erat haec lectio ſollicitanda Kennicotto. Quamvis enim, formae ratione habita, ſingulare ſit מי, certe tamen hic non de uno aliquo, ſed collective uſurpari, facile intelligas: collectiva autem in eadem oratione varie conſtrui, non abeſt ab hebraei ſermonis conſuetudine. Caeterum extrema haec pars carminis non eſt ad Judaeos ſolos referenda, ſed latiſſime patet, atque ad omnes omnino illius aevi homines pertinet. Habuit enim populi judaici reſtitutio hunc quoque uſum plane eximium, ut inter exteras etiam gentes multorum animi excitarentur ad intelligendum, quam praeclare et mirabiliter actum fuerit cum Judaeis. Ps. CXXVI. 2. Cumque ipſi, ut par erat, omnia referrent ad unius Dei ſui curam providam immenſamque potentiam, effectum eſt, ut apud barbaros quoque naſceretur reverentia Jehovae, et deinceps ſpargeretur et diſſeminaretur quam latiſſime.

ADDI-

ADDITAMENTVM

AD DISS.

DE PENTATEVCHO ARABICO POLYGLOTTO.

cf. ſupra p. 236-238.

Iuvat et alterius libri praefationem, quam ſimiliter nonniſi latinam tradidit *Lelongius* loco citato, mutilam illam et mancam ſuſpicatus, arabicam hic exhibere, communicatam ab eodem humaniſſimo Cavssino, cujus benevolentiae, quidquid inde commodi ad litteras redundaverit, omne acceptum referre par eſt. Est haec:

ترجمة التوراة المقدّسة

قال العبد المسكين الراجي عفو اللّه تعالي
ابي البركات بن سعيد البصري السرياني غفر
الله له الذي لما رايت ترجمة هذا الكتاب
الشريف واصطلاجهم (a) المفسودة باللغه العربية
مع كون بعضهم يزعمون انها ترجمة الشيخ
الفاضل ابي الحسن الصوري رحمة الله فانها
ليست له وانما هي ترجمة الفيوي عالم اليهود
وذلك

(a) Scriptum eſt واصطلاجهم, ſed legendum واصطلاحهم.

وذلك اخطي في ترجمة في قلة صحة الالفاظ
خصوصًا فاقتضت المصلحه عندي ان اترجم
هذا الكتاب الشريف من اللغة العبرانية
والسريانية بعبارة صحيحة لينقل منها النسخ
ويترك ما اعتمده الفيومي ويصير لي بذلك
ذكرًا جميل بمعونة الله تعالي
والحواشي الذي عليها جميعها استخراجي (b)
مما ودي اليها اجتهادي واكثرها معاني
غريبة

Interpretatio legis ſanctae.

Dicit ſervus humilis freius indulgentia Dei Summi, bonorum omnium auctoris, Ibn Said, Bozra-Syrus, *cui Deus condonet! Cum ego viderem verſionem hujus libri praeſtantiſſimi, eorumque,* qui ea utuntur, *emendationem vitioſam eſſe in ſermone arabico, et eſſe etiam, qui exiſtiment*, quod ſit *ipſa verſio doctoris eximii* Abi'l Haſan, Tyrii, *cujus vero nequaquam eſt, eſt enim opus* Phajumenſis, *doctoris Judaeorum, qui peccavit in verſione praecipue in eo, quod pauca vocabula redderet, ut par erat; adegit me neceſſitas ad convertendum hunc librum praeſtantiſſimum ex ſermone arabico ſyriacoque ratione recta, ut inde peti queant exempla, et miſſum fiat opus* Phajumenſis, *utque ſit mihi ex hac re memoria pulchra, juvante Deo ſummo.*

Notae

(b) استخراجي

Notae autem marginales, quas vides, ſunt omnes a me profectae, quantum valuit ſtudium meum, et verſantur illae potiſſimum in declarandis vocibus infrequentioribus.

Si ſana ſit lectio ابي البركات بن سعيد de qua dubitandi juſta cauſa non eſt; intelligis, formulam ابي البركات non poſſe niſi ad Deum redire, relictis, ad nomen auctoris deſignandum, ſolis vocibus بن سعيد. Igitur humani aliquid paſſus eſt, qui verſionem, à *Lelongio* publici juris factam, condidit hanc: "Dixit ſervus pauper, ſperans veniam „ſcelerum a Deo, Abu'l Bircat, filius Said Baſſorenſis Syrianus, ignoſcat illi Deus!" — Errorem vero, ut fit, repetiit, qui in catalogi codicum mſtorum bibliothecae regiae tomo I. edito anno MDCCXXXIX orientales codices enumeravit, *Stephanus Fourmont*, codicem II. deſignans hisce verbis: "Codex bombycinus, inter antiquos numerandus, Cairo in bibliothecam regiam Vanslebii opera illatus. Ibi continetur Pentateuchi arabica interpretatio e codice hebraeo-ſamaritano, cujus interpretationis, ut conſtat e praefatione, auctor *Abul bircat* filius Sahid Baſſorenſis." Quo tamen fere turpius videri poſſit, quod idem primo codici arabico, veteris teſtamenti libros omnes continenti, ſcribit praemitti praefationem Anonymi, qui deſcriptos a ſe teſtetur ex Aegyptio exemplari, quod *Saidus* Phajumenſis, monachus Coptus, ſecutus ſeptuaginta interpretes, e graeca lingua in arabicam converterit. Unde fere ſequitur, in condenda codicum recenſione non, ut par erat, codices ipſos inſpexiſſe, ſed aliorum, quae praeſto eſſent, narratiunculas temere ſecutum eſſe Steph. Fourmontium. Ceterum, cum haec praefatio alteri uni-

univerſe ſimillima ſit, praeter mirum illud, quod in auctoris nomine deſignando verſatur, diſcrimen, quod ſatius videri poſſit intactum relinquere, quam vanis conjecturis expedire velle; non videtur fides denegauda vel *Lelongio*, affirmanti, verſionem ipſam in utroque libro ſimillimam eſſe immo et eandem, vel *Fourmontio*, qui utrobique verſionem arabicam e codice hebraeo-Samaritano confectam exſtare teſtatur. Modo ſit vel DE GUIGNES aliquis, vel CAUSSINUS, qui utriusque libri, diligentius a ſe cogniti, indolem et rationem omnem fuſius exponat: quod videtur hoc ipſo tempore commodiſſime fieri poſſe in Commentariis, regiis auſpiciis edi coeptis, *Notices et extraits des Manuſcrits* de la *bibliotheque du Roi*. —

Quod reliquum eſt, ne cuiquam eorum, quibus bibliothecam adeundi copia non eſt, ex permutatis librorum numeris quidquam difficultatis dubitationisve oboriatur, tenendum, codicem, qui *Lelongio* dicitur 368, verius tunc dicendus 370, quique praefationem habet, nomen ABU SAID diſerte referentem, veriſſime eſſe eum, qui nunc, et in bibliothecae catalogo edito, *quartum* locum occupat; alterum, in cujus praefatione legitur formula ABI'L BIRCAT, *Lelongio* dictum 370. rectius tum dicendum 372, obtinere nunc locum *ſecundum*.

DE FIDE

LIBRI ESTHERAE

COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA.

SCRIPSIT

MICHAEL BAUMGARTEN

PHIL. DR. ET THEOL. LIC. IN ACADEMIA KILIENSI.

HALAE

EDUARDO ANTON.

1839.

Digitized by Google

(2)

Digitized by Google

Praefatio.

In acerrimorum certaminum theologicorum strepitu, quo omnis Germania hodie personat ea quae leviora videntur, vix ulla digna habentur attentione. Quamquam nos non ii sumus, qui dictum illud „in literis nihil leve“ ubique et semper valere existimemus, etenim est profecto discrimen quaestionum graviorum et leviorum, hoc vero discrimen non ita est exaggerandum, ut quae non ad ipsius rei caput pertineant, prorsus flocci habeantur, quippe quum nulla particula tum parva sit, quin ad totam rem aliquid valeat. Argumentum libelli huius, quem benevolis lectoribus nunc offero, ad inferius quaestionum theologicarum genus pertinere non infitias eo, attamen quominus a theologiae provinciis prorsus exterminetur, hoc

praefatiuncula, si fieri possit, prohibere velim. Difficile sane videtur ad demonstrandum, quaestionem de libello, in quo ne nomen quidem Dei legatur, cum theologia esse copulatam. At vero haec ipsa est quaestio theologica, qua ratione fieri potuerit, ut historia Estherae, a qua omnis aperta sacrarum rerum mentio aliena inter Hebraeorum libros sacros referretur. Ii quidem, qui V. Testamenti canonem, qui dicitur, ab Alexandrino canone genere quidquam differre negant, quaestionem illam de libro Estherae facili negotio historicis solvunt argumentis, sed iidem, si quidem sibi constant, N. quoque Testamenti auctoritatem divinam negent, itaque universam theologiam evertant in eiusque locum artem criticam et historiam substituant necesse est. Si quis autem Christi et Apostolorum auctoritatem tenere velit, is necessario etiam illorum doctrina ad V. T. traducitur. Hoc enim cuivis diligenter novi foederis libros perscrutanti manifestum erit, a Christi eiusque discipulis Legem et Prophetas summo studio efferri et divinam iis adscribi auctoritatem atque originem. Cum vero aliunde satis constet, iam Christi tempore canonem Israelitarum certis circumscriptum fuisse terminis, iure nostro colligimus, N. Testamenti auctoritate eosdem libros sancitos esse, qui nobis a Iudaeis ut sacri et canonici sint traditi. Et nobis persuasum est, eum, qui hoc certissimum vestigium, quod e N. Testamento nos ad Vetus traducat, sequi ve-

lit, ipso usu veteris foederis divinitatem sensurum atque esse intellecturum. Ita nobis per accuratam rerum earum, quae in quaestionem veniunt, pervestigationem compertum est, librum Estherae loco suo in V. Testamenti canone minime indignum esse habendum. Etenim argumenta, quae recentioribus temporibus ad fidem libri huius impugnandam prolata sint, ei qui in rem ipsam accuratius inquisiverit, leviora esse apparebit, eique sat multa suppeditabunt, quibus illa possint dilui. Non autem solum argumenta illa adversaria quaestione nostra refutata sunt, sed etiam universa libri indoles historica multis rationibus egregie nobis probata est. Deinde quum ea, quae libro nostro narrantur, ad sacram Israelitarum historiam pertineant, ab argumento quoque nihil deest, quod ad canonicam libri naturam requiratur. Quamquam hic divini nominis omniumque rerum sacrarum praetermissio mira cuipiam videri possit et ab omni libro sacro prorsus aliena. Attamen scriptione nostra speramus demonstratum esse, illud silentium gravissimum historicae diligentiae, quae res ipsas quam accuratissime studeat exprimere, esse testimonium. Tota autem divina auctoritas, quae historicis libris sit adscribenda, cernitur in ea fide et diligentia, quae res sacras et divinas nullo humano errore sive temperamento depravatas posteris tradiderit. Itaque si illud silentium, quod impietatis paene maculam habere videatur, huic fidei et diligentiae histo-

ricae servit, tantum abest, ut canonicae libri nostri auctoritati officiat, ut potius eam stabiliat.

Quamobrem quamquam commentatio nostra in meris versatur historicis quaestionibus, tamen cohaeret cum theologia et hoc praecipue est in votis, ut penes Deum, qui parva non contemnat, hoc opusculum haud indignum habeatur, quod qua possit ratione ecclesiae inserviat exaedificandae.

Scripsi Kiliae IV. Apr. MDCCCXXXIX.

Digitized by Google

Bücheranzeigen.

Bei Eduard Anton in Halle iſt ferner erſchienen:

Anton, H. E., Verzeichniss der Conchylien, welche sich in der Sammlung desselben befinden. gr. 4. 1839. 1 Thlr. 8 gr.

Bernhardy, G., Grundriss der Griechischen Litteratur. 1r Theil. gr. 8. 1836. 2 Thlr. 12 gr.

— Grundlinien zur Encyclopädie der Philologie. gr. 8. 1832. 1 Thlr. 12 gr.

Blume, Fr., Iter italicum. 2r Thl. Arch. Bibl. und Inschriften von Parma, Modena, Lucca, Toscana und Kirchenstaat. 8. 1827. geh. 1 Thlr. 8 gr.

— — 3r Thl. Arch. Bibl. und Inschr. d. Stadt Rom. 8. 1830. geh. 1 Thlr. 6 gr.

— — 4r und letzter Thl. Arch. Bibl. u. Inschr. v. Königr. Neapel. Nachträge u. Register. 8. 1836. geh. 2 Thlr.

Burmeiſter, Herm., Lehrb. d. Naturgeſchichte. 8. 1830. 1 Thlr. 12 gr.

Conradi, F. C., Scripta minora, cum praef. et singularum commentationum epicrisi ed. ab L. Pernice. Vol. I. 8 maj. 1823. 1 Thlr. 16 gr.

Dzondi, C. H., einzig sichere Heilart der contag. Augenentzündung u. der gefährl. Blennorrhagie d. Neugebornen. gr. 8. 1835. geh. 8 gr.

Erbfolge, die, in Schleswig-Hollſtein. gr. 8. 1837. cart. 8 gr.

Erdmann, J. E., Wenn dieſe ſchweigen, werden Steine ſchreien, Was iſt chriſtlich u. Die Berufung. Drei Predigten. gr. 8. 1837. geh. 6 gr.

Gartz, J. E., Verſuch einer ſtreng ſyſtematiſchen Darſtellung der reinen, allgemeinen Arithmetik. gr. 8. 1824. Ladpr. 21 gr.

(**Gneiſt**) die gerichtl. Arithmetik in Beziehung auf die königl. preuß. Geſetze, und mit beſonderer Rückſicht auf die der Algebra Unkundigen abgefaßt. gr. 8. 1824. Ladpr. 1 Thlr. 4 gr.

Hufeland, C. W., über die Ungewißheit des Todes und das einzige untrügliche Mittel, ſich von ſeiner Wirklichkeit zu überzeugen, und das Lebendigbegraben unmöglich zu machen. Mit 1 Kpfr. Neue Aufl. 8. 1824. 6 gr.

Jahrbuch der Chemie und Physik, herausg. v. Fr. W. Schweig-

ger-Seidel. gr. 8. Mit Kupfern. 4 Jahrg. 1829 — 32. oder Bd. 25 — 36. Jeder Jahrg. Preis 8 Thlr.

(Alle 4 Jahrg. zus. 24 Thlr.)

Laspeyres, E. A. T., Lex salica, ex var. recens. una c. lege ripuar. synoptice. etc. 4 maj. 1833. 1 Thlr. 12 gr.

Leo, H., Lehrbuch der Geſchichte des Mittelalters. 2 Thle. gr. 8. 1829. 3 Thlr. 18 gr.

— Studien und Skizzen zu e. Naturlehre des Staates. Erste Abtheil. gr. 8. 1833. 1 Thlr.

— zwölf Bücher niederländ. Geschichten. 2 Theile. gr. 8. 1835. 8 Thlr.

— die Hegelingen. Aktenſtücke und Belege zu der ſ. g. Denunciation der ewigen Wahrheit. 2te mit Nachträgen vermehrte Auflage. 8 gr. gr. 8. 1838.

— Leitfaden für den Unterr. in der Univerſalgeſchichte. 1r Thl. 12 gr. 2r Thl. 12 gr. 3r Thl. 16 gr. gr. 8. 1838.

— Sendſchreiben an J. Görres, 2te mit einer Vorrede vermehrte Aufl. gr. 8. 1838. 16 gr.

Lorenz, Fr., de Carolo magno, Lit. fautore. 8. 1829. 5 gr.

Mühlenbruch, C. F., rechtl. Beurtheil. d. Städelſchen Beerbungs=falles. gr. 8. geh. 1828. 1 Thlr. 6 gr.

Roſenkranz, K., Geſchichte der deutſchen Poeſie im Mittelalter. 8. 1830. 2 Thlr. 12 gr.

— Handbuch e. allgemeinen Geschichte der Poesie. 1r Thl. oriental. u. antike Poesie. gr. 8. 1832. 1 Thlr. 12 gr.

2r Thl. die neuere latein. französ. u. ital. Poesie. gr. 8. 1832. 1 Thlr. 4 gr.

3r Thl. die Span., Portug., Engl., Scandinav., Niederl., Deutsche u. Slavische Poesie. gr. 8. 1833. 1 Thlr. 20 gr.

(Alle 3 Theile 4 Thlr. 12 gr.)

— das Heldenbuch und die Nibelungen. Grundriß zu Vorleſungen. gr. 8. geh. 1829. 10 gr.

Schlieben, W. E. A. v., Staatengeographie der Länder und Reiche v. Europa zum Unterrricht auf höh. Bildungsanſtalten. gr. 8. 1833. 1 Thlr. 12 gr.

Sprengel, A., Commentatio de Psarolithis, ligni fossilis genere. cum tab. aen. 8. 1828. 6 gr.

Zeitſchrift, neue, für die Geſchichte der germaniſchen Völker. Herausg. von K. Roſenkranz. Mit Steintafeln. 8. 1832. 4 Hefte. geh. Ladenpr. 3 Thlr.

Fuit quondam tempus, quo vir id aetatis in literis paene summus, cum quaestionem institueret, utrum libri sacri vere iis adscribendi auctoribus, quorum nomina ferrent, an aliorum essent habendi, omnem scrupulum omnemque dubitationem sibi praecidisse visus est hac argumentatione: si libri non sunt illorum (quorum esse dicuntur), sed aliorum, hoc videtur inconveniens dicere, quia ita negabitur quicunque liber esse illius auctoris, cuius dicitur esse. Quare ergo soli isti falso adscripti sunt auctoribus quorum non erant. Haec Scoti verba tantopere ab omni ratione nostra de eiusmodi quaestionibus sentiendi et iudicandi discrepant, ut aegre tantum quid ille sibi voluerit indagare possimus. Ita autem videtur ratiocinari: si libri sacri dubitantur, an ab iis non conscripti sint, quorum esse feruntur, nulla exstat causa, cur non quaecunque scripta nobis tradita sint in eandem vocentur suspicionem. Hoc vero prorsus absurdum est. Omnis igitur argumenti illius vis in ea posita est opinione, eorum, quae de libris quibuscunque eorumque auctoribus memoriae prodita sint, prorsus eandem esse rationem atque auctoritatem, quare si unum addubitetur, aliud eodem iure posse ambigi. Facile autem intelligitur, hanc opinionem non solum in quaestione de librorum auctoribus valuisse, sed eam in omnibus rebus historicis quaerendis tamquam arcem quandam invictam omni dubitationi esse oppositam. Quemadmodum igitur credendi libido caeca erat omniaque arripiebat, ita quoque dubitatio nulla ne fingi quidem poterat, nisi temeraria. Quare non mirum est, quod illo tempore, quo haec in rebus historicis credulitas, quae fabulas vagas libentius amplectitur et studiosius sectatur, quam certa testimonia, latissime florebat, omnis fere antiquitatis memoria obruta, totaque historia fabulis oppleta et foedissimis erroribus depravata est.

Duplex autem ortum est lumen, quod hanc caecitatis historicae noctem fugavit. Immortalia veteris humanitatis mo-

numenta ex tenebris diuturnae oblivionis et negligentiae vindicata et ad lucem adducta sunt. Hac re non solum multi veteris historiae loci, qui aut toti ex hominum recordatione exciderant, aut fabulis obscurati erant, iterum quodammodo inventi sunt, sed, id quod longe gravius censendum est, patebat tunc campus latissimus, in quo ingenia sua in spinosarum disputationum umbris flaccentia exercere et subigere possent ad ea, quorum aditus apertus esset, percipienda et imitanda. His autem exercitationibus et studiis mox perspectum est, non quaecunque essent tradita eodem modo se habere, sed esse, quae merito in suspicionem vocari possent. Neque vero hanc ob causam vaga quaedam et caeca dubitandi prorupit libido, sed certa quaedam in rebus historicis veritatis et falsitatis indicia sunt observata; et, ut breviter dicam, ars, quam dicimus criticam, inventa est, quae dubitationem effrenatam non minus, quam credulitatem temerariam certis quibusdam terminis circumscriberet. Quamquam haec doctrina, ex antiquitatis studiis nata illa quidem, statim ad res quoque sacras adhibita est, ut Laurentii Vallae docet exemplum, tamen altera causa, qua barbara illa rerum historicarum ignorantia et negligentia propulsata sit, ab iis, qui totos se rebus sacris cognoscendis et emendandis dederunt, repetenda est. Etenim gloriosior etiam atque divinior, quam literarum artiumque studium ex reclusis antiquitatis Graecae et Romanae fontibus uberrime irrigatum, rerum sacrarum fuit emendatio, ex libris sacris per viros aliquot ingentis fortitudinis et sapientiae iterum in publicae lectionis et usus lucem protractis illa quidem instituta. Nihil enim fere tenebris illius aetatis, quam dicimus mediam, tantopere obrutum tamque penitus in mentibus hominum obliteratum fuit, quam ea monumenta antiqua, quibus totius de rebus divinis doctrinae nostrae et sacrae historiae cognitio nititur. Non solum ingens fabularum ore et scriptis traditarum turba divinorum librorum auctoritatem minuebat, sed scriptis etiam suppositis, quorum auctoritas, quamquam vestigia falsitatis apertissima erant, apud omnes fere summa erat, loci doctrinae coelestis gravissimi maximopere depravabantur. Qui igitur aditum ad fontes illos sacros et limpidos patefacere voluit, is molem illam rudem, qua obstructus erat, removeret

itaque murum illum aeneum, quo quidquid historiae speciem prae se ferebat, septum ac munitum fuit, frangeret necesse erat. Quamobrem ab hac quoque parte fundamentum artis criticae iactum est, et luculentissimum huius rei documentum illud erat, quod cum vetus illud discrimen gravissimum inter libros canonicos et apocryphos, ut loquuntur, per historiae negligentiam in dies magis magisque obliteratum et tandem prorsus sublatum esset, ex testimoniis antiquitatis denuo constitutum est.

Ita vi stupidae credulitatis fracta studia historiae efflorescebant, et iudicium in rebus criticis examinandis ipsa exercitatione atque meditatione magis magisque acuebatur et ad certas regulas componebatur. Sed quemadmodum boni homines, quamvis probe sciant, mentes mortalium fallaces esse, et ipsi saepius decepti sint, tamen fiduciam aliorum, quibuscum iis res est, minime deponere solent, itaque non raro cum suo ipsorum damno a dolis et fallaciis parum cavent, ita quoque auctoritas eorum, quae bona fide narrata erant, tam penitus hominum animis insita erat, ut, cum in universum regulas inter vera et falsa distinguendi critici tenerent et adhiberent, nonnunquam tamen testimoniis plus aequo tribuerent.

Tota autem res conversa est, postquam philosophia maiori studio inter nos tractari atque coli coepit. Etenim philosophia quodammodo historiae ex contrario opposita est; nam cum historiae studium eo nitatur, ut homo mentis suae inopiam earum rerum, quas genus humanum gesserit quaeque ei acciderint, cognitione suppleat, philosophia eum ad se ipsum reducit eumque iubet omnia ex suae ipsius meditationis et intelligentiae thesauris depromere. Itaque magnum est periculum, ne philosophia historiam ut rem externam et alienam contemnat atque spernat. Haec autem rerum historicarum contemtio, in quam philosophi facile incurrunt, minime fere apertam se et nudam ostendit, sed saepe sub ipsius artis criticae specie latet. Haec enim ars posita quidem est in facultate quadam nostra inter verum et falsum distinguendi; sed quemadmodum, quamquam in rebus, quae sub sensus cadunt, multa falso percipiuntur, ideo tamen ipsa veritas sensuum non debet negari, ita quoque critica illa ut ita dicam facultas secundaria tantum

est, quae fiduciam nostram testimoniorum dirigat atque moderetur, sed intimam eius vim minime possit enervare. Qui autem nimia sui confidentia effertur, ut nihil ab aliis traditum ac narratum, nisi quod ipse penitus comprehendere et ex intelligentia sua ducere possit, accipere velit, facile criticae illius modestiae terminos egreditur et tales constituit regulas criticas, quibus multi historiae loci immerito in suspicionem vocentur et in fabularum contemtionem detrudantur. Et negari non potest, multos recentioribus temporibus in hunc errorem incidisse. Cum autem haec testimoniorum contemtio in literis, quae profanae dicuntur, mox ad iudicium sanum et subactum reducta sit, in critica sacrorum librorum tractatione tam altas egit radices, ut utrum iam temperari coepta sit nec ne dici vix possit.

Postquam haec in universum monuimus propius ad quaestionem, quam hoc libello tractandam nobis sumsimus, accedere possumus. Etenim dente illo critico, de quo loquuti sumus, cum multi alii V. T. libri, tum auctoritas libri Estherae historica arrosa est. Primus historiae Estherae adversarius exstitit Oederus,*) qui scripsit: ***Freie Untersuchungen über den Kanon des A. T.;*** vir doctrina non mediocri et sagacitate praeditus. Maxima quidem quaestionis eius de libro Estherae pars spectat ad auctoritatem, quae dicitur canonica, et versatur in testimoniis Patrum Graecorum de hac V. T. particula examinandis. Postquam hunc locum fusius tractavit et vulgares passim opiniones corrigendas esse demonstravit, tum demum ad alteram transgreditur partem, qua in historiae ipsius veritatem et probabilitatem inquirit. Attamen si libri alicuius sacri fides historica addubitatur, ante omnia ipsa historica libri huius indoles examinanda est, nam nisi verus est, sacer esse non potest. Quare testimonia illa Graecorum et totam omnino de auctoritate libri canonica quaestionem relinquamus, et hoc solum nobis quaerendum sumamus, utrum historia, quae de Esthera narratur, vera sit an falsa. Et hanc

*) Quae ante Oederum contra librum Estherae prolata sunt (v. Bonart. Comm. p. 8 sqq. Huetii Demon. Evang. p. 223. 225. ed. Francf. 1722. Carpz. Introd. p. 352. Budd. Hist. V. T. II. p. 946.) admodum levia ac vaga erant, neque ad universum virorum doctorum de hoc libro iudicium quidquam valebant.

historicam potissimum quaestionem nunc esse necessariam, eorum, quae recentioribus temporibus de libro Estherae in utramque partem disputata sunt, demonstrat via atque ratio. Nam ii, qui Oederum deinceps sequuti sunt, hoc maxime egerunt, ut difficultates et dubitationes, quas ille contra historiae fidem excitavit, augerent et exornarent. Michaelis quidem (Bibl. Orient. II. p. 34 sqq. et maxime in Aunotatt. suis T. XIII. p. 91. sqq.) speciem defensoris libri Estherae nonnunquam prae se fert, sed non solum difficultates multas in medio relinquit et ipse novas suspicionis ansas profert, sed ex tota etiam eius de libro Estherae loquendi ratione apparet, mentem ipsius a dubitatione minime esse liberam. Corrodi vero, qui in libro: *Beleuchtung der Geschichte des jüdischen Bibelcanons* p. 64. etc. fidem historiae Estherae impugnat, summam suam sententiam his verbis complectitur: *es wird nicht darauf gesehen, dass eine Geschichte, die voll unwahrscheinlicher Umstände ist, gesetzt auch, dass man den einzelnen Schwierigkeiten etwas entgegensetzen kann, das Gepräge der Verwerflichkeit trägt* (p. 65.). Similiter Semlerus historiam nostram pro mera habet fabula (*Untersuchung des Kanons* II. p. 251.). Deinde Eichhornius cum primum librum suum: *Einleitung ins A. T.*, in publicum ederet, quamquam plures difficultates ipse solvere studuit, tamen ad historiam addubitandam multo magis inclinavit, quam ad credendam. Eodem fere modo Bertholdtius, postquam nonnihil in utramque partem disputavit (*Einleit.* V, I. p. 2416 etc.), hanc pronuntiat sententiam: *bei der Uebersicht dieser in dem Buche vorkommenden Unwahrscheinlichkeiten kann man unmöglich das Urtheil zurückhalten, dass der Inhalt desselben ganz und gar nicht das Gepräge der wirklichen Geschichte trägt* (p. 2433.), et volumen Estherae, ut Hebraei loquuntur, inter libros poeticos refert (p. 2444.). De Wettius denique unum tantum festum Purim integrum reliquit, cetera omnia, quae hoc libro referuntur, in suspicionem vocat. *Die Erzählung*, inquit V. D., *spottet aller historischen Wahrscheinlichkeit, und enthält die auffallendsten Schwierigkeiten und mehrere Verstösse gegen die persischen Sitten neben richtigen Beziehungen auf dieselben. Man kann in Lösung fast aller*

Schwierigkeiten durch Geschichtskenntniss und Scharfsinn glücklich sein, aber dem Ganzen wird man nie das Gepräge ächter Geschichte leihen, so wenig als dem sehr ähnlichen **3. B.** *der Makkabäer* (*Einleit.* I. p. 251. ed. 3.).

Ex his plurium criticorum, qui magnam habent laudem, sententiis manifestum est, historiae huius auctoritatem penes multos criticos levem vel etiam nullam esse. Neque tamen defuerunt, qui quum liber ille tam acriter impugnaretur, patrocinium eius susciperent. Iam prinsquam Oederi quaestiones a Vogelio editae sunt, scripsit Huepedeuius quidam „Dissertationem bibliologicam, in qua historiae sacrae de Esthera Asiae regina sua vindicatur auctoritas" (Gotting. 1736.). Is divinasse quodammodo videtur periculum, in quod liber ille esset incursurus, studet igitur ausas aliquot dubitandi praeoccupare; ceterum hic libellus neque a doctrina neque a subtilitate valde commendatur, nec mirum est, quod in quaestione de Esthera nulla eius fit mentio. Oederi accusationibus occurrere conatus est Schulzius, qui in Bibliotheca Hagana (Class. 5. Fasc. 2. p. 249—282.) scripsit „dissertationem de fide historica libri Estherae." Ex titulo huius scriptionis apparet, Schulzium primariam quaestionis Oederi partem aggressum esse, neque negari potest, eum plures dubitationes docte et scite tractasse. Deinde peculiarem orationem pro libro Estherae habuit I. A. Vossius (Traiect. 1775.), sed hanc inspicere mihi non contigit. Iam supra monuimus, Eichhornium, quamquam de veritate historiae dubitaret, plura ad solvendas difficultates attulisse; hanc viam, cum iterum librum suum ederet, tam strenue persequutus est, ut nihil eorum, quae contra veritatem libri Estherae dici posse putaret, relinqueret, quin contrariis argumentis rescindere conaretur, quamquam a pristinis suis dubitationibus prorsus liberari non potuit. Hunc in defendenda libri nostri auctoritate sequitur Iahnius, qui non solum singula adversariorum argumenta diluere studet, sed totius historiae veritatem plena amplectitur fiducia (*Einleit.* II, 1, p. 298 etc.). Tum laudabili diligentia quaestionem nostram tractavit Dereserus, qui eam partem V. T. a Brentanio editi et illustrati, quae librum Estherae continet, curavit (Franc. 1813.). Is omnium fere argumentorum, quae accusatores li-

bri Estherae protulerunt, instituit recensionem atque refutationem, et quamquam non omnia tuta haberi possunt, multa tamen docte ab eo disputata sunt; praeterea annotationes eius ad historiam illustrandam passim haud inutiles sunt. Quamquam non levem excitare potest suspicionem, quod idem Dereserus auctoritate Concilii Tridentini permotus eodem studio fidem appendicis Graecae, quae Hebraeorum volumini de Esthera adiecta est, defendendam suscepit. Breviter denique sed fortiter librum Estherae defendit Rosenmuellerus (*Bibl. Alterthumskunde* I, 1, p. 361. 384. etc.).

Quae cum ita sint, multa quidem ad dubitationes contra fidem libri nostri diluendas collecta atque prolata sunt, tamen qui peculiari scriptione omnia comprehenderet, quibus haec causa posset defendi, exstitit nemo.*) Quamobrem equidem hanc causam suscepi, ut quantulumcunque pro facultate mea fieri posset, ad hanc controversiam componendam conferrem.

Facilius autem hanc quaestionem, quam multas alias, quae de libris sacris agantur, ad finem posse produci mihi persuasum est. Maximum enim impedimentum, quominus multi plenam fiduciam in libris sacris ponere possint, est hoc, quod saepe eiusmodi res narrant, quae omnes rerum terrestrium fines excedant et peculiari quadam ratione esse divinitus institutae et peractae censeri debeant. Hoc autem argumentum a miraculis, quae dicuntur, petitum cum tam penitus in animis hominum insideat, ut historicis argumentationibus tolli nequeat, hi libri admodum difficiles sunt ad defendendum. In historia autem Estherae nihil legimus, quod a Deo contra naturae legem et consuetudinem institutum sit. Nihilo minus tamen ea, quae de recentioris artis criticae confidentia in uni-

*) Cum quaestionem meam paene iam absolvissem, comperi, exstare librum: Kelle vindiciae-Estherae Frib. 1820. 4. Sed cum ex ratione, qua Winerus (*Bibl. Realwörtrb.* s. v. Esth. II. ed.) hunc librum affert, colligi liceat, Kellium ab ea sententia, quam equidem quaestione mea reperi, multum discrepare, opus haud inutile egisse mihi videor. Praeterea post Kellium res nonnullae patefactae sunt, quae ad quaestionem nostram non parvum habent momentum. Attamen dolui, quod librum illum ad scriptionem meam adhibere non contigerat.

versum docuimus, ad hunc librum debent accommodari. Multa enim continet, quae etsi non sunt miracula, tamen vulgarem rerum humanarum usum et morem transgrediuntur. Qui igitur nimis sibi in rebus iudicandis confidit, omniaque ex sua ipsius intelligentia et eorum, quae ipse viderit, ratione metitur, is facile res illas credere gravabitur, et ex hac causa plurimas criticorum dubitationes infra videbimus repetendas esse. At vero quum res, quae hic nobis narrantur, a nostra consuetudine et loco et tempore longissime absint, in hoc genere historiae examinando ante omnia oportet nostrum ponamus modulum; transeundum est ad ipsum orientem, contemplanda sunt instituta, mores, consuetudines, quae ibi valent, discenda, quae ex his universis causis hic illic nata sint facta singularia et illis, quae in libro nostro leguntur, similia. Ita comparatur copia rerum multiplex, qua qui instructus fuerit is demum ad hanc controversiam rite diiudicandam aptus censendus erit. Recte igitur monet Schulzius, eiusmodi res, quae primo quidem obtutu miram habeant speciem, „illustrandas esse partim ex interiori antiquitatum Persarum penu, partim ex hodierno huius gentis statu" (p. 262.). Et quod ad hoc posterius attinet pergit ille: orientis gentes et imprimis Persae antiqui ritus atque habitus tenacissimi sunt, nec uti Gallorum atque Germanorum Protei sese mox in hanc, mox in illam formam vertunt. Quibus verbis duplicem indicat V. D. fontem, e quo, quae ad historiam Estherae cum intelligendam tum ab suspicione vindicandam sint necessaria, haurire debeamus.

Priusquam vero ad rem ipsam aggrediamur, breviter praemonendum est, qua ratione quaestionem nostram instituamus. Hoc facile manifestum est, si quis fidem libri Estherae defendendam suscipiat, ei ante omnia refutanda esse ea argumenta, quae ab adversariis huius libri inventa sint. Sed in plurima libri lectione in nonnulla incidi, quae quamvis offensionem habeant, ab istis tamen non sint annotata neque contra auctoritatem libri historicam prolata. Haec igitur cum alios fortasse, qui dubitationes suas non publicas fecerunt, impediant, quominus veritatem historiae Estherae possint agnoscere, vel tempore etiam futuro in medium possint proferri, non reticebo, sed inter cetera illa argumenta proponam co-

rumque offensionem tollere conabor. Attamen vera historia, praesertim cum temporis et loci, quo circumscripta est, notitiam habeamus, non solum a falsis suspicionibus defendi potest, sed habeat etiam necesse est, quibus fides eius et veritas demonstrari possit. Ad eam igitur partem, qua argumenta adversa diluantur, altera quaedam accedere debet, quae quidem altera pars illa priori eo videtur maioris etiam esse momenti, quod fuerunt critici, qui, quamvis omnibus contra fidem libri Estherae prolatis argumentis aliquid posse opponi concederent, ipsam tamen historiam ab omni veritatis specie destitutam esse contenderent. Hae autem duae quaestionis nostrae partes quamquam si ad ipsum genus spectamus satis inter se distant, tamen in singulis rebus exponendis difficillimum est, hoc discrimen servare, quia nonnunquam una eademque res ita comparata est, ut utrique parti subiici possit vel etiam debeat. Quare ne in molestas incurrerem repetitiones neve tota quaestio in particulas nimis sepositas discerperetur, ordinem ita studui administrare, ut gravissimas quasque res secundum illam regulam discernerem, quae vero iis adhaererent minuta et levioris momenti, ibi insererem, ubi quaestionis cursus postulare sive facillime admittere videretur. Praeterea cum altera illa pars multo copiosior sit et plura complecteretur capita, quae facilioris conspectus causa commode possint inter se segregari, id quod in priori minus videtur aptum esse, in singulis capitibus describendis diversorum illius partis generum ordinem, cuius rationes suis locis indicabo, sequi quam fundamentum bipartitae quaestionis illud ubique contra partium etiam concinnitatem tenere malui.

Caput I.

Argumenta, quae contra fidem libri Estherae prolata sunt sive proferri possunt, examinantur atque refutantur.

Si in singulis argumentis recensendis libri ipsius ordinem sequimur, primum incidimus in narrationem de magnis epulis, quos Ahasverus rex instituerit. Narratur enim Ahasverus omnibus vasti sui imperii ministris per centum octoginta dies epulas parasse et postquam hoc nobilium convivium finitum sit, omnem Susianorum, inter quos rex domicilium suum haberet, plebem per septem dies de mensis regiis cocnasse. Describitur praeterea, quantopere totus horum conviviorum apparatus ad summum splendorem regium et luxuriam compositus fuerit. Si quis hanc narrationem ex rerum nostrarum mediocritate et penuria, ex nostra temperantia atque industria metiri voluerit, ei omnia, fateor, stupenda sane et incredibilia erunt. Quare non mirum, quod Oederus et Corrodi, qui illum modulum nostrum ad hoc historiae Estherae initium examinandum et alias saepe adhibuerint, exclamant: quam inauditum! quam incredibile! (*s. freie Unters.* p. 116. *Beleucht.* p. 69) Plures etiam critici in hoc maxime offenderunt, quod omnes provinciarum praefecti propter convivii diuturnitatem per totum dimidium annum a sedibus suis abessent necesse fuerit (v. Oeder. l. c. Eichhorn. p. 581. ed. II. Bertholdt p. 2425 etc.). Sed ea, quae supra in universum de causis criticae confidentiae et dubitationis immodestae monuimus, admodum perspicue in hoc argumento cernuntur. Quantum Asiaticorum desidia et tarditas a nostra agilitate et studio distat! Quantum discrimen inter nostrarum rerum angustias et imperii Persici vastitatem et opulentiam! Sed nos in hoc universo argumento, quemadmodum adversarii nostri, acquiescere

nolumus; adeamus scriptores et antiquos et recentiores, qui rerum Asiaticarum Persicarumque naturam et rationem aut ipsi viderunt, aut a testibus locupletibus docti sunt; tum videamus quid illud argumentum ex nimia conviviorum Ahasveri luxuria petitum ad historiae nostrae fidem impugnandam valeat.

Quaerentibus autem de Persarum moribus testimonia scriptorum veterum fidei satis certae nobis occurrunt, quae difficultatem, quae instat, augeant potius quam tollant. Etenim cum omnia fere, quae libro nostro narrantur, summa diffluant luxuria, apud veteres scriptores loci inveniuntur, qui Persis eximiam temperantiae laudem attribuant. Pandanis Lydus quidam, ut refert Herodotus (1, 71), Croesum hortans ne contra Persas bellum susciperet, hoc usus est argumento: *ὦ βασιλεῦ ἐπ᾽ ἄνδρας τοιούτους στρατεύεσθαι παρασκευάζεαι, οἳ . . . . , σιτέονται οὐκ ὅσα ἐθέλουσι, ἀλλ᾽ ὅσα ἔχουσι, χώρην ἔχοντες τρηχέϊην· πρὸς δὲ οὐκ οἴνῳ διαχρέονται, ἀλλὰ ὑδροποτέουσι, κ. τ. λ.* Deinde Xenophon, licet in Cyropaedia sua in Persarum institutis describendis multa ex animo suo finxerit, haec tamen, quae de Cyro narrat: *εἰδὼς Πέρσας τοὺς οἴκοι κακοβιωτάτους μὲν ὄντας διὰ πενίαν, ἐπιπονώτατα δὲ ζῶντας διὰ τὴν τῆς χώρας τραχύτητα* (7, 5, 67), sine dubio ad historiae veritatem accommodavit. At vero nemini facile in mentem veniet, haec et similia testimonia contra fidem historiae nostrae afferre, nam magna aliorum locorum silva invenitur, qui de moribus Persarum omnia contraria testantur; neque vero haec locorum controversia difficilis est ad solvendum. Nam manifestum est, illos scriptores loqui de rerum Persicarum primordiis, quum illi vix ex pristinis sedibus suis egressi alios populos, penes quos Asiae principatus esset, adoriri et vincere coepissent, alteros vero ad posteriora spectare tempora, quibus Persae totam fere Asiam tenerent occupatam. Haec enim erat communis omnium populorum antiquorum fortuna, ut simulac fortitudine sua vicinis populis victis ad maius quoddam imperii fastigium veherentur, patriae ac priscae simplicitatis atque modestiae immemores insolentia et pravis moribus in dies magis magisque corrumperentur. Hoc Persis quoque accidit et Xenophon ipse hanc morum depravationem commemorat eamque ortam esse

existimat ἐπεὶ Ἀρταξέρξης ὁ βασιλεὺς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἥττους τοῦ οἴνου ἐγένοντο (Cyrop. 8, 8, 12. cfr. Strabo l. 15. p. 329. T. III ed. Tauchn). Attamen idem Xenophon ne suis quidem temporibus, omne priscae illius temperantiae vestigium evanuisse testatur, postquam enim veterum Persarum mores descripsit, ita pergit: καὶ νῦν ἔτι ἐμμένει μαρτυρία καὶ τῆς μετρίας διαίτης αὐτῶν καὶ τοῦ ἐκπονεῖσθαι τὴν δίαιταν (Cyr. 1, 2, 16 cfr. Ammianus Marcellinus 23, 6.)

Vix haec tam fuse essem persequutus, nisi inter tot summae luxuriae vestigia, quae in narratione de epulis Ahasveri insunt, unam rem mihi visus essem deprehendisse, quae ex prisca illa Persarum continentia ducenda esset. Postquam enim totus mensae regiae apparatus et pompa descripta est, ut singulare aliquid additur: והשתיה כדת אין אנס כי כן יסד המלך על כל רב ביתו לעשות כרצון איש ואיש (v. 8.). Si hic mos vulgaris fuisset in epulis regiis, sine dubio haec omnia non commemorata essent; praeterea etiam formulam illam כדת אין אנס non puto adhibitam fuisse, nisi iam altera contraria כדת אנס solennis esset facta. Et aliunde satis certo coniicere possumus, hanc necessitatem bibendi conviviis regiis plerumque impositam fuisse. Alexander, qui in omnibus fere rebus reges Persarum imitabatur, non solum inter convivas suos potationis certamina instituit (v. Athen. 10, 44. 49. Arrian. Exp. 4, 12, 4.), sed etiam sodales bibere coegit (Athen. 12, 53.). Deinde Horatius hunc morem universo regum generi adscribit (de arte poet. 434. cll. et Serm. 6, 68.). Chardinus denique, cum in oppido Tiflis apud praefectum quendam regium coenaret, eandem invenit consuetudinem (Voyages I, p. 197 etc. edit. Amstel. a. 1735.). Cum autem Ahasverus extraordinarium instituisset convivium, omnesque undique convocasset ministros et praefectos suos, ex testimoniis supra de Persarum moribus allatis facile fieri potuit, ut nonnulli eorum ad vinolentiam aulicam nondum assuefacti priscam potius sequerentur continentiam. Quid igitur magis est consentaneum, quam eiusmodi convivarum respectu necessitatem illam bibendi molestissimam sublatam esse?

Iam vero ad luxuriam et splendorem harum epularum explicandum progrediamur. *Κτησίας ἐν τρίτῃ Περσικῶν πάντας*

φησὶ τοὺς βασιλεύοντας τῆς Ἀσίας περὶ τρυφὴν σπουδάσαι, scribit Athenaeus 12, c. 38., et Strabo loco supra allato reges imprimis testatur a pristina simplicitate declinasse. Et quod apertius huius rei documentum fingi potest, quam illud, quod pluribus locis (4, 25. 12, 9. 39. 55.) refert Athenaeus, adeo omnis libidinis fontes et rivulos a regibus Persarum exhaustos esse, ut ad satietatem et fastidium evitandum ei, qui novum voluptatis genus invenisset, praemium pollicerentur? Cum his testimoniis egregie convenit, quod idem Athenaeus narrat, Darii Hystaspis monumento hanc laudem fuisse inscriptam: *ἠδυνάμην καὶ οἶνον πινεῖν πολὺν καὶ τοῦτον φέρειν καλῶς* (10, 45.); *) similiter Cyrus Minor virtutes regias, quibus fratri suo praestet, iactans hoc quoque gloriatur: *οἶνον πλείονα πινεῖν καὶ φέρειν* (Plutarch Artax. c. 6.). Quae intemperantia si totam imperandi vim atque rationem dissolutam reddidit (*ὁ βασιλεὺς ὑπὸ πάντων ἡδέων ἡττωμένην ἀπέδειξε τὴν βασιλείαν* Ath. 12, 55.), quid mirum, quod epulae regum omnem modum egrediebantur? Ad hanc libidinem accessit immanis quaedam insolentia, qua reges Persarum inflati plus quam humanum honorem et totam Asiam ad suum ipsorum usum atque commodum sibi nacti esse videbantur (Hdt. 9, 115.), cui quidem insolentiae eo plus attribuendum est in splendore epularum ab Ahasvero institutarum explicando, cum ab auctore narrationis hoc ipsum efferatur, omnia ostentationis causa comparata esse (v. 4.).

Si hae solae causae universae respiciuntur, quis affirmare audeat, narrationem nostram ab omni probabilitate destitutam esse? Sed multo propius ad singularum rerum descriptionem accedere possumus. Inter luxuriae Persarum documenta a Graecis scriptoribus hoc quoque refertur, regem magnum peculiare quoddam vini genus, quod Chalybonium diceretur, in suum usum sibi elegisse (Ath. 1, 51. cll. 4, 26. Plut. fortun. Alexand. 1. c. 11. Strabo 15. p. 330. T. III.

*) Si haec inscriptio per se spectatur, dubia facile alicui videri potest, ut Grotefendio (*v. Heeren Ideen* I, 2, p. 379. 4. ed.); sin autem cetera quoque id genus testimonia respiciuntur, nihil habere mihi videtur, quod probabilitati contrarium sit. Ceterum Grotefendius loco Darii Cyri nomen posuit.

ed. Tanch. cll. Ezech. 27, 18.). Hoc vinum regium (יין מלכות) nostro loco Ahasverus narratur conviviis suis proposuisse (v. 7.). Deinde quod ad ingentem attinet numerum eorum, qui ad regias illas epulas invitati sunt, mos erat regum Persicorum, de abundantia sua omnes, qui secum aliquo vinculo essent coniuncti, lautissime alere. Hanc munificentiam eximiam Xenophon a Cyro suo repetit et ita describit: ἐτίμα καὶ τῶν οἰκετῶν ἀπὸ τῆς τραπέζας, ὁπότε τίνα ἐπαινέσειε καὶ τὸν πάντα δὲ σῖτον τῶν οἰκετῶν ἐπὶ τὴν αὐτοῦ τράπεζαν ἐπετίθετο, οἰόμενος ὥσπερ καὶ τοῖς κυσὶν ποιεῖν τινα καὶ τοῦτο εὔνοιαν· εἰ δὲ καὶ θεραπεύεσθαί τινα βούλοιτο τῶν φίλων ὑπὸ πολλῶν καὶ τούτῳ ἔπεμπεν ἀπὸ τραπέζας· καὶ νῦν γὰρ ἔτι, οἷς ἂν ὁρῶσι πεμπόμενα ἀπὸ τῆς βασιλέως τραπέζας, τούτους πάντες θεραπεύουσι μᾶλλον κ.τ.λ. (Cyrop. 8, 2, 4. cll. 4, 7. 8, 6, 11.). Apertiora etiam sunt, quae Athenaeus et Plutarchus referunt. Ille cum mille bovum et ovium quotidie regi Persarum mactari retulerit, pergit: τὰ δὲ πλεῖστα τούτων τῶν ἱερείων καὶ τῶν σιτίων, οὓς τρέφει βασιλεὺς τῶν τε δορυφόρων καὶ τῶν πελτατῶν τούτοις ἐκφέρεται εἰς τὴν αὐλήν, οὗ οἱ ἐδέατροι ἅπαντες μερίδας ποιήσαντες τῶν κρεῶν καὶ τῶν ἄρτων ἴσας διαιροῦνται. κ. τ. λ. (4, 26.). Plutarchus de hoc more ita: τοὺς Περσῶν βασιλεῖς οὐ μόνον φίλοις καὶ ἡγέμοσι καὶ σωματοφύλαξιν ἀποπέμπειν ἀεὶ μερίδας ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν δούλων καὶ τῶν κυνῶν ἀεὶ δεῖπνον ἐπὶ τῆς ἐκείνων προτίεσθαι τραπέζης, ὡς ἄνυστον ἦν πάντας οἷς ἐχρῶντο ποιουμένων ὁμοτραπέζους καὶ ὁμοεστίους· ἡμεροῦνται γὰρ τῇ τῆς τροφῆς μεταδόσει καὶ τὰ σκυθρωπότατα τῶν θηρίων (Sympos. 7, 4.).*) Iam si apud alios quoque populos similia conviviorum exempla inveniuntur (conferantur si placet quae collegit Dereserns p. 202. et Buddeus Hist. V. T. I. p. 805.; addi praeterea possit illustre Alexandri exemplum apud Athenaeum 1, 30.), quid est, cum ille singularis Persarum mos accedat, quod de narratione nostra miremur? Neque vero a peculiari quodam de ingenti eorum, quos rex Persarum ad mensam suam advocare soleret, copia documento destituti sumus: ex Ctesia enim et Dinone Athenaeus haec exscribit:

*) Hanc consuetudinem Cyrus quoque Minor, quamquam satrapae tantum habebat dignitatem, imitatus est. Anab. 1, 9, 25. 26.

ὁ Περσῶν βασιλεὺς ἐδείπνει μετὰ ἀνδρῶν μυρίων πεντακισχιλίων καὶ ἀνελίσκετο εἰς τὸ δεῖπνον τάλαντα τριάκοντα (4, 27.). Et similis munificentiae exemplum vidit Chardinus inter recentiores Persas (II. p. 249.).

Deinde de apparatibus Persarum in conviviis instituendis, qui in proverbium etiam abierunt (cf. Horat. Carm. 1, 38, 1.) Strabo in universum ita scribit: δειπνοῦσι πολυτελῶς Πέρσαι τιθέντες καὶ ὁμοτελῆ καὶ πολλὰ καὶ ποίκιλα. κόσμος δὲ λαμπρὸς στολῆς ἐκ πωμάτων τε τῶν ἄλλων, ὥστε χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ καταλάμπεσθαι (15. p. 328.). Et recentiores quoque Persae omnis splendoris atque ornatus studiosissimi sunt (Chardin. III. p. 74.) Neque vero hic deest singularum rerum, quae commemorantur, cum ceteris morum Persicorum documentis convenientia. Locus, ubi tanta convivarum multitudo coenabat, erat hortus regius (v. 5.) Hoc non solum propter necessitatem factum est, sed bene cum Persarum consuetudine congruit. Etenim non solum horti in maximis regis Persarum deliciis habebantur (cffr. Xenoph. Oecon. 4, 13. Diod. 16, 41. Plut. Artax. c. 25.), sed etiam communem Asiaticorum esse consuetudinem foris coenandi per plures testes recentiores, quibus de ipsis Persis addi potest Vallaeus (de la Valle) II. p. 174 etc. (Genev. 1674.) demonstrat Dereserus ad h. l. Tum vero ex iis, quae Aelianus et Athenaeus (apud Brisson. de regno Persic. p. 781. ed. Lederl.) atque Polyaenus (apud Cleric. ad h. l.) de Alexandri tabernaculis nobis reliquerunt, manifestum est, structuram illorum tabernaculorum descriptioni, quam noster exhibeat, admodum similem fuisse. Deinde ea quoque, quae Arvio, de Sultani tabernaculis narrat (*Merkwürd. Nachrichten* T. IV. p. 431 etc.), bene cum loco nostro congruunt. Heerenius denique (*Ideen* I, 1, p. 230. etc.) cum descriptione libri Estherae comparat porticus, quae in reliquiis Persepolitanis cernantur. In tegmentorum etiam diversis generibus, quibus teutoria Ahasveri ornata esse dicuntur, I. H. Vossius, harum rerum peritissimus, Persarum morem manifeste apparere iudicat (s. *Mytholog. Br.* III. p. 307. 2. ed. De hac re Hartmannus quoque conferri potest in libro: *die Hebräerin* I. III. p. 39 etc. 409 etc.).

Ingens autem auri argentique copiá (non solum pocula aurea fuisse dicuntur (v. 7.), sed etiam lectuli (v. 6.), *) nemini, qui modicam tantum rerum Persicarum sibi comparaverit cognitionem, mira videbitur. Herodotus narrat (9, 81.), totum fere apparatum, quem Xerxes ex Graecia fugiens Mardonio reliquerit, ex auro argentoque fuisse confectum, maximeque effert *κλινὰς χρυσέας καὶ ἀργυρέας καὶ παρασκευὴν μεγαλοπρεπέα τοῦ δείπνου*. Curtius inter opes regias, quas Darius secum gesserit, aurea vasa dicit et aureos frenos (3, 13.). Et quam bene cum loco nostro (והשקות בכלי זהב וכלים מכלים שונים v. 7.) convenit, quod idem Curtius tradit Alexandrum invenisse supellectilem Darii regiam non ad usum modo sed ad ostentationem luxus comparatam (5, 6.), praesertim cum Athenaeus dicat Persas pocula pretiosa magnopere amasse (11, 14.). Maximum autem omnium huius luxuriae esse documentum videtur, quod ipsa pavimenta tentoriorum ex gemmis confecta esse dicuntur (v. 6.). Attamen ne huius quidem rei desunt testimonia. Primum constat, gemmas multas inveniri in sinu Persico (v. Heer. l. l. p. 105.). Cum huic gemmarum propinquitati magnum splendoris studium, quo Persae erant imbuti, occurrerit, consentaneum est, multiplicem earum apud illos usum fuisse. Celeberrima fuit Persarum regum vitis aurea *λιθοκόλλητος, βότρυας ἔχουσα ἐκ τῶν πολυτελεστάτων ψήφων συντεθεμένους* (v. Brisson. p. 105 etc.). Deinde Bochartus, ut illam in gemmarum usu luxuriam, quae hoc loco commemoretur, demonstret minime esse incredibilem, testimonia huius rei ex Martiale et Seneca affert. Ille enim canit: calceatusque tuo sub pede lucet onyx; et Seneca Romanos increpat his verbis: eo deliciarum provenimus, ut nisi gemmas calcore nolimus (Hier. III. p. 651. ed. Rosenm.), Aliud praeterea testimonium affert Dereserus ad h. l. In uni-

*) In lectulis et stragulis pretiosis sternendis Persae excellebant. Athenaeus ex Heraclide refert: *πρῶτοι Πέρσαι καὶ τοὺς λεγομένους στρώτας ἐφεῦρον, ἵνα κόσμον ἔχῃ ἡ στρῶσις καὶ εὐάφειαν* (2, 31.). Idem Artaxerxem narrat Timagorae misisse *πολυτελῆ στρώματα καὶ τὸν ὑποστρώσαντα, φάσκων οὐκ ἐπίστασθαι τοὺς Ἕλληνας ὑποστρωννύειν*. ibid. cfr. Plut. Pelopidas c. 30. et Artax. c. 22. Xenophon. Cyrop. 8, 8, 16.

versum autem de hoc genere dignus est qui inspiciatur Heerenius: hic rerum Asiaticarum inquisitor doctus et cautus ita profitetur: *der unermessliche Reichthum an edlen Metallen, vorzüglich an Gold, der sich in den ältesten nicht weniger als in den neuern Zeiten* (cff. Chardin. II. p. 370. Bruinaeus [le Bruyn.] Voyages T. IV. p. 95.) *in dem innern Asien findet, muss nothwendig Jedem auffallen, der asiatische Geschichte studirt, und gleichwohl sind die Nachrichten darüber sowohl bei den altpersischen Königen als bei den Arabern und mongolischen Fürsten zu glaubwürdig, als dass darüber vernünftigerweise ein Zweifel statt finden könnte* (l. l. p. 87.).

Luxuriae, quae in epulis Ahasveri appareat, universas causas et singula vestigia persequuti sumus, et hoc, ni fallor, demonstratum est, in hac narratione nostra nihil inesse, quod suspicione dignum sit. Sed reliquum est, ut iis respondeamus, qui longa praefectorum absentia totum rerum publicarum ordinem perturbaverit necesse esse contendunt. Huic dubitationi primum opponimus: hoccine prorsus inauditum est et incredibile, res publicas per regum luxurias perturbatas esse? Hoccine ab eorum ingenio abhorret, de quibus Athenaeus testatur: ὁ βασιλεὺς ὑπὸ πάντων ἡδέων ἡττωμένην ἀπέδειξε τὴν βασίλειαν? Deinde Eichhornius ipse, quamquam in tanta epularum diuturnitate suspicionis aliquid inesse opinatur, censet, sat multos facile ministros inferioris ordinis in provinciis esse relictos, ut magnae turbae possent coerceri (p. 588.). Denique idem Eichhornius renovavit interpretationem, quam antiqui libri nostri interpretes, Bonartius, Salianus et Clericus protulerunt, non omnes fortasse simul provinciarum praefectos ad convivium regium adscitos esse, sed diversos fuisse ordines, qui inter se exciperent. Concedo hanc opinionem ex solis verbis repeti non posse, neque tamen Bertholdtio assentiri possum, hanc interpretationem verbis loci nostri prorsus repugnare. Summum autem est hoc, minime omnia, quae de Persicis regibus tradita sint, ad rationis et iusti ordinis normas posse accommodari, praesertim ubi libidinis, summae in rebus Persarum reginae, causae atque rationes manifestae sint. Deinde non negligendum est, causam illius diuturnitatis, de

qua quaeritur, haud levem ex re quadam gravissima, quae id temporis totum Persarum regnum moveret, ut infra demonstrabimus, posse repeti.

Supra monitum est, quamvis plures exstiterint, qui fidem libri nostri historicam impugnarent, tamen nondum omnia prolata esse, quae suspicionis aliquam speciem haberent. Huc referenda est mentio Susorum in libro Estherae frequens. Si enim comparamus, quae veteres de domicilio magni regis nobis tradiderint, manifestum videtur, eum non semper unam eandemque sedem habuisse. Xenophon de Cyro hoc testatur: *τὸν μὲν ἀμφὶ τὸν χειμῶνα χρόνον διῆγεν ἐν Βαβυλῶνι ἑπτὰ μῆνας. — τὸν δὲ ἀμφὶ τὸ ἔαρ τρεῖς μῆνας ἐν Σούσοις, τὴν δὲ ἀκμὴν τοῦ θέρους δύο μῆνας ἐν Ἐκβατάνοις.* (8, 6, 22.). Hunc morem Plutarchus ad omnes Persarum reges transfert, de exil. c. 12. (cf. Xenoph. Exped. 3, 5, 15.). Sin autem nostrum sequimur librum, Susa perpetuum regni Persici caput videtur fuisse: ibi non solum per sex menses epulae illae regiae habitae sunt, sed ibidem etiam Ahasverus cum tota aula sua omnibus temporis momentis, quae accuratius designantur, mense decimo (2, 16.), primo (3, 7. cll. v. 15.), tertio (8, 9. cll. v. 14.) et duodecimo (9, 1. cll. v. 11 etc.) habitasse narratur. Sed quaeritur satisne certa sint illa Xenophontis et Plutarchi testimonia. Longe aliud tradit Aelianus, is quidem reges Persarum dicit domicilium suum ex tempestatis ratione tum Susis, tum Ecbatanis ponere (H. A. 3, 13.), sed alio loco ordinem istorum prorsus invertit: *ὁ Π. βασιλεὺς*, inquit, *θερίζει ἐν Σούσοις, χειμάζει ἐν Ἐκβατάνοις* (10, 6.). Hoc quidem Aeliani testimonium ideo parum probabile videtur, quod regio Susorum calidissima erat (v. Strab. 15, p. 323.). Sed alii accedunt loci, quorum fides dubitari nequit, qui cum trimestri illa habitatione, qua reges Persarum singulis annis Susorum urbem testibus Xenophonte et Plutarcho honorare soliti sint, male conveniunt. Multi enim sunt loci veterum scriptorum, qui ita de Susis loquuntur, ut haec urbs pro unico aut certe pro praecipuo imperii Persici capite haberi debeat. Aristagoras per totam demonstrationem suam hoc sumit, Susa primariam Persarum esse urbem (Hdt.

5, 49—54.), eamque simpliciter ita describit: ἔνθα βασιλεύς τε μέγας δίαιταν ποιέεται καὶ τῶν χρημάτων θησαυροὶ ἐνθαῦτά εἰσι (c. 49.). Eundem honorem Aeschylus in Persis suis Susis passim tribuit (v. lexic. Wellaneri.). Similiter Strabo: οἱ Πέρσαι καὶ ὁ Κῦρος ἐν Σούσιδι ἔθεντο τὸ τῆς ἡγεμονίας βασίλειον (15, p. 317.), et alio loco: ἐν Σούσοις ἑκάστῳ τῶν βασιλέων ἐπὶ τῆς ἄκρας ἰδίᾳ πεποιῆσθαι οἴκησιν καὶ θησαυροὺς καὶ παραθέσεις, ὧν ἐπράττοντο φόρων, ὑπομνήματα τῆς οἰκονομίας (p. 329.). Deinde Ammianus Marcellinus: inter oppida Susianorum eminet Susa, saepe domicilium regum (23, 6. p. 293. ed. Ern.). Et quod Herodotus atque Strabo de thesauris regiis Susis conditis dicunt, historia ipsa confirmatur; quamquam enim alia quoque oppida commemorantur, ubi Alexander magnas pecuniae copias deprehenderit, Susis tamen praeter immensam pecuniam omnem regiam supellectilem quaeque Xerxes ex Graecia secum duxisset reperisse narratur (Arrian. Exped. 3, 16. Curt. 5, 2.). Deinde id quod gravissimum est argumentum, ubicunque in Herodotea historia Persarum copiosa de sede regis sermo est, Susa nominantur: ibi Cambyses domicilium suum habebat (3, 64. 65.), ibi Darius (3, 129. 132. 4, 83. 5, 25. 30. 107. 6, 1. 20. 119. 7, 3.), ibi denique Xerxes (7, 6. 135. 136. 9, 107.) habitasse narrantur. Cum his locis bene congruit initium libri Nehemiae, ubi regis Artaxerxis pincerna Susis fuisse narratur mense Cislev, qui mensis cum sit decimus anni Hebraeorum, inter tres illos vernos, quos Xenophon et Plutarchus loquuntur, referri vix potest. Quae cum ita sint, non sane levis est causa, cur istud testimonium de solenni regum Persarum more domicilium suum ex tempestatis ratione mutandi, in suspicionem vocemus. Origo eius inde fortasse potest explicari, quod reges nonnunquam, Cyro antecedente, si liberet et per temporis rationes nihil obstaret, frigoris et caloris incommoda coelo per vastum suum imperium mutando evitare studebant. Hoc facile adeo potuit augeri et exornari, ut id quod identidem factum esset, pro consuetudine haberetur perpetua. Heerenius quoque illis locis non prohibitus est, quo minus Susa diceret ex tempore Darii Hystaspis, per quem hanc urbem renovatam esse constat

(Aelian. H. A. 1, 59.), vulgarem regum Persarum sedem fuisse (p. 302.).

Si ordinem historiae nostrae sequimur, id quo deinceps offenditur critica dubitatio, est mandatum Ahasveri propter Vasthiae pertinaciam editum. Maurerus in Commentario suo ad 1, 22. haec scribit: postrema verba non intelligo, neque apud interpretes probabilem eorum inveni interpretationem. Fortasse ad regem referenda sunt hoc modo: edixit rex, ut suae quisque domus principatum teneret, literis cuiusque populi sermone scriptis, prop. et loquutus est sc. rex secundum linguam populi sui, ita ut repetantur, quae ante dicta sunt. — Haec sane admodum contorta est interpretandi ratio, nam quid sibi vult repetitio eius sententiae, quae modo prolata erat? Deinde quam molestum et contra orationis concinnitatem, ad Participium מדבר, cui accurate respondet שרר proxime antecedens, alienam regis personam subintelligere! Tum contra rei naturam non minus quam contra loquendi rationem in libro nostro constantem pugnaret, si omnes totius imperii Persici gentes unius populi (כלשון עמו) notione comprehenderentur. Aliam viam ingressus est Calmbergius, recentissimus libri nostri interpres, qui ita hunc locum vertit: edixit rex ut quisque paterfamilias domus suae imperium haberet, idque provinciae suae sermone proclamaret. Sed quid futilius hoc postremo additamento fingi potest? Haec enim edicti regii promulgatio non nisi ad singulas familias pertinere posset, cum publica promulgatio non esset patrumfamilias, sed ministrorum regiorum. Nihil vero abundantius esse potest, quam edicto publico, quod spectet ad patrisfamilias potestatem, addere mandatum, ut ne quis paterfamilias hoc edictum cum familia sua communicare obliviscatur. Si autem praeterea adiungeretur, patremfamilias hoc edictum non alio sermone, quam quo a rege scriptum esset et quo eodem ipse a puero uteretur, pronuntiare debere, omnis sane stultitiae modus cumulatus esset. Quamvis non laudationem Ahasveri sapientiae scribamus, eiusmodi tamen res scurriles ab imperio eius arcendas esse opinamur. Haec duo interpretamenta inde videntur orta esse, quia interpretes ipsa loci sententia offensi sint. Vulgaris enim huius loci interpretatio per se tam plana est atque simplex, ut vix ambigi pos-

sit. Edictum regium patremfamilias esse iubet שרר בביתו et מדבר כלשון עמו, quae quidem potestatis partes et forma grammatica et sententia inter se respondent, ita ut posterior alteram accuratius circumscribat et definiat, quae posterioris membri vis atque ratio admodum vulgaris est in loquendo. Sententia vero est haec, patremfamilias potestatem suam eo maxime debere tueri, ut cum familia sua peregrino sermone uti non sustineat. Haec res mira videri potest, sed si consideramus, plures uxores eodem tempore in matrimonio habendi licentiam et libidinis intemperantiam sine dubio iam antiquitus, ut temporibus recentioribus, in causa fuisse, ut permultae peregrinae mulieres in Persarum familias inducerentur, et has peregrinas mulieres facile suas consuetudines suumque sermonem retinere et maritis suis commendare studuisse, hoc edictum a probabilitate minime destitutum est. Videntur viri, inquit Ludovicus de Dieu ad h. l., ex ignavia uxoribus tantum concessisse, ut si peregrini idiomatis uxorem quis duxisset, eius linguam cum ipsa in familiam introduci pateretur. Exstat huius rei exemplum satis testatum. Nehemias narrat tempore suo fuisse Iudaeos, qui uxores ducerent Asdodaeas, liberos vero ex his coniugiis procreatos non Hebraee scivisse, sed sermonem eorum dialecto Asdodaeorum corruptum fuisse (Nehem. 13, 23. 24.). Deinde conferri etiam potest illustre exemplum Salomonis, qui quamvis vir haud mediocris fuerit pietatis et ingenii, a peregrinis tamen uxoribus ad impietatem inductus sit (1 Reg. 11, 1—8.).

Bertholdtius quidem in ipso Ahasveri edicto de non spernendis maritis causam desiderat, quae Vasthiam ad pertinaciam suam impulerit, itaque edicti rationem non satis potuisse perspici contendit (p. 2432.). Sed hac in re V. D. prorsus negligit totam huius edicti naturam, etenim Ahasverus tyrannus est, qui nullum dominationis suae terminum agnoscat, ideoque mandata sua ad ipsa familiarum interiora negotia extendat; ab hoc rege prorsus alienum est, edictis suis longam rationum expositionem adiicere. Probabiliorem habet speciem id quod opponit Oederus (p. 117 etc.), totum edictum ideo prorsus abundans fuisse, quia per totum orientem haec valeat lex, ut mariti domini sint, uxores autem ad ancillarum locum de-

trudantur. Cum autem plura alia libro nostro narrentur, quae cum hac opinione parum videantur congruere, haec statim addamus. Regina Persarum, qualis volumine Estherae nobis proponitur, non solum signo regiae dignitatis ornata est (1, 11. 2; 17.), sed Esthera tantam etiam habet potestatem in rebus publicis administrandis, ut suo nomine mandata ad omnes Iudaeos imperio Persarum subiectos ederet (9, 29—32.). Simile femineae potestatis exemplum cernitur in uxore Hamanis, ea enim ad concilium de re quadam gravissima ab Hamane institutum adsciscitur, eiusque auctoritas tantum valet, ut ceteri consiliarii in mulieris sententiam pedibus ire non dubitent (5, 14.), et alio loco Serescha sententiam illorum confirmasse narratur (6, 13.). Haec longe aliud demonstrant, quam servitutis infimae conditionem, qua omnes orientis mulieres constitutae esse plerumque habentur.

Quod ad privatarum uxorum attinet conditionem, quae in edicto illo Ahasveri respicienda est, plures scriptores recentiores iis longe maiorem libertatem et potestatem, quam vulgo existimetur, tribuendam esse defendunt (v. *Niebuhr Reisebeschr.* II. p. 317 etc. *Richardson über Sprache; Literatur und Gebräuche morgenl. Völker, übers. v. Federau. Leipz.* 1779. p. 267. *Leben und Sitte in Persien. Aus dem Engl. übers. v. Lindau. Dresd.* 1829. II. p. 57. *Abu Talib. Reise.* p. 305 etc. *Heidelb.* 1812.). De reginarum autem potestate ex antiquitate tam aperta habemus testimonia, ut quidquid ex illis locis dubitationis oriatur, funditus evertere posse nobis videamur. Huc maxime pertinent verba Plutarchi: *ὅ γε Περσῶν βασιλεὺς πάντας ἡγεῖτο δούλους, πλὴν τῆς αὐτοῦ γυναῖκος, ἧς μάλιστα δεσπότης ὤφελεν εἶναι* (ad princip. indoct. p. 780. b.). Unam autem in tanto pellicum et uxorum legitimarum grege, qui in regis gynaeceis haberentur, tantopere excelluisse, ut regi esset proxima, manifestum ex loco Athenaei: *παρὰ Πέρσαις ἀνέχεται ἡ βασίλεια τοῦ πλήθους τῶν παλλακίδων, διὰ ὡς δεσπότην ἀρχεῖν τῆς γαμετῆς τὸν βασιλέα**) *ἔτι δὲ καὶ διὰ τὴν βασιλίδα*

*) Huic loco Plutarchi verba non repugnant. Nam quamvis saepe rege Persarum uxores suas maximis affecerint honoribus, ta-

(ὥς φησι Δίνων ἐν τοῖς Περσικοῖς) ὑπὸ τῶν παλλακίδων θρησκεύεσθαι, προςκυνοῦσι γοῦν αὐτήν. (l. 13.). Iam vero si regius adorationis honor primariis regis uxoribus tribuebatur, non mirum, quod Vasthia et Esthera ipsa corona ornatae esse narrantur; deinde quod non solum Estherae nuptiae publice celebratae sunt (2, 18.), sed ipsum Vasthiae repudium per omnes provincias promulgatum est. *) Neque vero has inanes apud Persas fuisse caeremonias, ipsa testatur Persarum historia antiqua. In universum enim hoc iam satis est memorabile, in regum Persarum rebus gestis narrandis uxorum nomina saepius commemorari. Nonnunquam vero auctoritatem et potestatem earum in rebus publicis gerendis manifestam cernimus. De Ocho sive Dariaeo Ctesias haec refert: εὐνοῦχοι τρεῖς ἠδύναντο παρ' αὐτῷ μέγιστα μὲν, ἐχρῆτο δὲ μάλιστα τῇ γυναικὶ συμβούλῳ (Persic. c. 49.). Atossa Darii uxor admodum fortiter regem ad bellum Graecis inferendum adhortatur (Hdt. 3, 134.), et de eadem regina Atossa alio loco Herodotus scribit: ἡ Ἄτοσσα εἶχε πᾶν τὸ κρᾶτος (7, 4.). Nehemias tradit, cum rex Artaxerxes secum de itinere suo Hierosolymas faciendo deliberaret, reginam quoque, quae iuxta regem sederet, verba sua interposuisse (2, 6.). Cyrum Minorem, qui quamvis non haberet regiam potestatem, eam tamen affectaret, Aelianus (V. H. 12, 1.) perhibet, de rebus suis saepius Aspasiae suae consilio usum esse. Et maxima identidem rerum momenta ex reginarum Persicarum arbitrio pependerunt. Athenaeus scribit: ἡ ἐπὶ Αἴγυπτον Καμβύσου στρατεία, ὥς φησιν Κτησίας, διὰ γυναῖκα ἐγένετο (18, 10); erat autem haec femina Nitetis uxor Cambysis (cfr. Hdt. 3, 1 etc.). Deinde quantam potestatem in omnibus fere, quae publice gererentur, habuit Parysatis uxor Darii Ochi et mater

---

men consentaneum est, eosdem nonnunquam non lenius cum illis egisse, quam cum ceteris. Bene enim tenendum est, honorem illum reginarum multo magis ex libidine regum mutabili, quam ex virtute eorum et constantia esse repetendum. Ipsa nostra historia non solum nobis narrat summam Estherae potestatem, sed etiam violentum Vasthiae repudium.

*) Admodum similia sunt quae Ludolfus (apud Paulsen *Regier. der Morgenl.* S. 413.) de honoribus reginae apud Habessinios testatur.

Artaxerxis atque Cyri (cffr. Xenoph. Exp. l. 1. et Plut. Artax.)!

Capite secundo libri nostri narratur, Mordechaeum pupillae suae, cum in gynaeceum regium reciperetur, mandasse, ne gentem suam indicaret et huic mandato ab Esthera esse obtemperatum (v. 10.). Neque vero quum per aliquantum iam temporis in aula Ahasveri fuisset puella, hoc mandatum violatum erat (2, 30.). Cum autem infra de hac re nihil amplius dicatur, consentaneum est, Estheram priusquam ad gentem suam servandam necessarium habuerit, nihil de origine sua regi aperuisse. Contra hanc Estherae originis ignorantiam magnam dubitationis turbam excitat Michaelis (Annot. p. 110 etc. *Orient. Bibl.* II. p. 35 etc.). Contendit enim fieri non potuisse, ut Esthera tamdiu gentem suam et necessitudinem cum Mordechaeo, qui eam quotidie viseret (2, 11.), celaret, et si nulla alia re, certe Mosaicis ciborum discriminibus observandis populum suum prodiderit necesse esse. Hanc dubitationem repetiit Eichhornius (p. 583.). Idem vero Eichhornius, cum omnes fere dubitationes suas ipse conetur evertere, hunc nodum facili negotio dissecat, ex historia nostra colligi posse negans, gentem Estherae usque ad magnum illud Iudaeorum discrimen latuisse (p. 590.). Sed quamquam concedendum est, nullum apertum exstare testimonium, Estherae originem usque ad illud discriminis tempus latuisse, tamen hoc ex ipso silentio colligi potest, nam nulla alia causa esse potest, cur illud mandatum Mordechaei et obedientia Estherae tam consulto efferatur, nisi quod haec res ad totam historiam magnum habuerit momentum. Itaque redit Michaelis dubitatio. Sed haec dubitatio nullo certo nititur fundamento; nam quis in his rebus demonstrandum sibi sumat, quid fieri possit et quid fieri non possit? Quod vero contendit Michaelis, Estherae gentem ex legis Mosaicae de cibis discernendis observatione facillime cognosci potuisse, inconsiderate dictum est. Primum enim regina Persarum in publicum non prodibat, et quae in cubiculis eius fierent, eunuchorum taciturnitate occulebantur; quare vulgaris eius vivendi ratio paucis tantum hominibus nota erat. Sin autem forte alios, ut regem et Hamanem, invitabat Esthera, facile coenam ita poterat instituere, ut cibi impuri non

exhiberentur. Deinde hoc minime certum est, Estheram caeremonias patrias tam religiose servâsse, ut si periculum esset, ne origo eius patefieret, ne tum quidem paullulum ab iis declinare sustineret. Etenim infra, ubi de toto Estherae ingenio quaestio erit, apparebit, eam a vulgari Iudaeorum superstitione longe abfuisse. Alia via, qua origo Estherae innotescere poterat, erat commercium, quod inter Estheram et Mordechaeum, cuius gens nota erat, intercessisse narratur. Eichhornius quidem in hoc ipso commercio tantam vidit difficultatem, ut hoc certe loco exornationis vestigium in historia Estherae apparere contenderet. Nimirum cum iam antiquitus regum Asiaticorum gynaecea muris et custodiis omnium hominum consuetudini diligentissime fuerint praeclusa, nullo modo posse intelligi, qua ratione Mordechaeus cum Esthera colloquium habuerit (p. 590.). At vero hoc nusquam dicitur, Mordechaeum ipsam Estheram vidisse, imo effertur, eum non ultra portas vestibuli ante gynaeceum esse progressum (2, 11.), unde colligi licet, eum internuntiis usum esse, quemadmodum c. 4. eiusmodi colloquium Hatachis internuntii ope habitum in ipsam scenam producitur. Qui autem putaverit, per hos internuntios necessitudinem inter Estheram et Mordechaeum facillime ad Hamanis sive regis notitiam venire potuisse, is non reputat magnam cum Persarum tum ministrorum gynaecei taciturnitatem; de qua tacendi virtute illustria collegit testimonia Brissonius (p. 51.). Quod vero semel Mordechaei nomen ab ipsa Esthera apud regem commemoratum est (2, 22.), hoc per se mysterium Estherae aperire non potuit.

Progrediamur ad Hamanis mentionem. Hunc Hamanem, qui אגגי dicitur, rex Ahasverus magnis affecisse honoribus et supra omnes ministros suos extulisse narratur. Illud vero cognomen Hamanis Iosephus repetit a nomine אגג, quod regi cuidam Amalekitarum tribuitur (1 Sam. 15. cf. Num. 24, 7.); appellat enim Josephus Hamanem Amalekitam. Et haec opinio in Hamanis ingenium bene quadrat, ab ipsis enim historiae Israeliticae primordiis nullus fere populus Iudaeis tam infestus erat, quam Amalekitae (v. Exod. 17, 14. Num. 24, 20. Deut. 25, 17. 1 Sam. 15, 3 etc.). Si igitur Haman ex stirpe Amalekitarum regia ortus est, tota eius historia hanc originem

apertissime demonstrat, et maximam habet vim, quod in volumine nostro nomini Hamanis additur: האגגי צרר היהודים 3, 10. 9, 24. Hac Iosephi coniectura nititur Eichhornius, qui hanc ipsam Hamanis originem peregrinam impedimentum esse contendat, quominus ad summam imperii dignitatem potuerit efferri (p. 582.) et Eichhornio quodammodo assentitur Bertholdtius (p. 2432, sed cfr. p. 2440.). Nihil autem facilius est, quam hoc argumentum refutare. Nam si vere homo peregrinus ad Veziri, ut vocabulum de hac dignitate Arabicum et valde usitatum adhibeam, locum apud Persas pervenire non potuit, auctoritate Iosephi non sumus obstricti. Et fuerunt sane, qui relicta Iosephi opinione ex Hamanis atque patris eius nomine et ex ipso illo cognomine אגגי Persicam eius originem demonstrare conarentur (cfr. Calmberg. ad 3, 1.). Ita quidem argumentum illud Eichhornii dilutum est, sed idem redit, si ad Mordechaeum transeamus. Nam hunc nemo negare potest Iudaeum fuisse, et tamen Hamanis munus ei traditum esse narratur. Itaque Bertholdtius illud argumentum contra Mordechaei quoque Veziratum contorquet. Quamobrem nobis quaerendum est, quo iure hoc a criticis ponatur, viros peregrinos omnes apud Persas a summo imperii honore exclusos fuisse. Lex quaedam, qua hoc constitutum sit, ut aditus ad munus illud solis Persis pateret, a criticis non allata est, neque vero, quantum equidem scio, talis lex unquam apud Persas exstitit. Hoc quidem satis notum est, inter Persas tres fuisse gentes nobilitate admodum excellentes, et Cyrum ex ipsa harum gentium nobilissima originem duxisse (Hdt. 1, 125.). Postea vero cum Pseudo-Smerdis, qui ex Magis erat oriundus, imperium occupasset, ipsi erant nobiles Persae, qui hanc peregrinam dominationem non sustinuerunt et Magum interfecerunt. Hos autem nobiles Persas Achaemenidas fuisse, ex qua familia ortus esset Cyrus (v. Hdt. l. l.) ex inscriptionibus Persepolitanis a Lassenio explicatis (Bon. 1836.) p. 157. 174. facile potest colligi. Hac igitur nobilitate sua freti septem coniurati legem sanxerunt, ut ne rex aliunde quam ex ipsorum familia uxorem duceret (Hdt. 3, 84.). Tales reges ex nobilissimis Persarum ortos et hac sua origine superbos insigni quodam favore populares suos prosequutos esse, con-

sentaneum est, et certum exstat Herodoti testimonium, Persidis provinciam tributi fuisse immunem (3, 97.). Minime vero reges Persis adeo favebant, ut quemvis alienum a publicis muneribus arcerent. Imo non desunt testimonia, peregrinos apud Persas multis affectos esse honoribus. Magorum gens a Mediis ad Persarum imperium iam tempore Cyri transiit (Xenoph. Cyrop. 8, 1, 23.); hos autem Magos in rebus sacris et publicis magna usos esse auctoritate satis notum est. Deinde quam facile Graeci, quamvis vehementissimam Persarum invidiam fortitudine sua excitassent, regum gratiam sibi conciliare potuerint, in honoribus Democedis, Demarati, Themistoclis, Timagorae, Ctesiae cernitur. Praeterea inter Persas nobiles, qui in reliquiis Persepolitanis solium regium stipant, Africani etiam animadvertuntur (*Niebuhr Reisebeschr.* II. p. 147.). Neque vero hic omittendum est, cum de Mordechaeo potissimum quaeramus, vix ullam gentem peregrinam a Persis tanti aestimatum esse, quam Iudaeos, qui maxime per peculiarem suum unius Dei cultum Oromasdis cultores a plurimarum gentium impietate alienos (Hdt. 1, 131 etc.) sibi conciliasse videantur. Huius eximiae Iudaeorum existimationis in nostro quoque libro memorabile quoddam exstat documentum. Cum Haman honorem, qui Mordechaeo Iudaeo contigisset, coram consiliariis suis et uxore narrasset, isti responderunt, si Mordechaeus ex gente Iudaeorum fuerit Hamani de causa sua esse desperandum (6, 13.). Grotius hoc dictum singulare inde repetit, quod vaticinia Israelitarum de Amalekitis exstirpandis inter familiares Hamanis nota fuerint. Haec opinio cum per se longe a probabilitate mihi remota esse videatur, tum dubia vocis אֲגָגִי nititur interpretatione. Sed multo facilior et simplicior est huius loci interpretatio, si ex praesentium Iudaeorum ingenio et conditione amicos Hamanis iudicare sumimus. Compertum habuerunt, reges iam saepius non solum singulos Iudaeos honoribus prosequutos esse, sed totam etiam gentem eximia laude et favore extulisse. Deinde admodum verisimile est, Iudaeos, quorum ingenium, quamvis per tot saecula per omnem terrarum orbem dissipati et ubique fere crudelissime tractati atque innumeris modis vexati sint, hodie etiam vigeat et in omni fere humanarum rerum genere excellat, in capti-

vitate etiam non vile quoddam et abiectum fuisse hominum genus, sed contra multiplici modo animum ad res inveniendas et agendas habilem atque fortem ostendisse. Quae si viderunt et audiverunt amici Hamanis, non sane opus erat magna arte divinationis, ut singularem et inauditum Mordechaei honorem pro omine detestabili haberent. Quorsum vero haec disputo? ut ostendam illa adversariorum laudatione, Iudaeos id temporis ita inter Persas vixisse, ut et commendarentur et metuerentur. Quae cum ita sint, nullam habet suspicionem, quod Mordechaeus ad summum imperii gradum evectus est, praesertim cum, ut infra videbimus, sat multae causae appareant, quae Ahasverum ad hanc rem movere potuerint.

Cum rex Hamanem in summo honoris gradu collocasset, eum ab omnibus ministris suis iussit adorari. Hunc honorem omnes aulici sine ulla haesitatione Hamani praestiterunt; unus Mordechaeus recusavit et quamquam sodales non solum eum monuerunt, ne edictum regis violaret, sed maximum etiam ex contumacia sua populo suo et sibi ipsi oriri periculum cognovit, tamen in adoratione Hamani recusanda perstitit (3, 2—5. 5, 9.). Hic obiiciunt critici, hanc Mordechaei pertinaciam a Iudaeorum ingenio prorsus abhorrere, quippe quum mos adorandi per totum orientem et inter Iudaeos quoque usitatus fuerit, Mordechaeum Graecos imitari, qui a gentium orientem colentium dominatione et servitute alieni fuerint (Michael. Bib. Orient. II. p. 36. Eichhorn. p. 583.). Ad hanc dubitationem examinandam opus est, ut quaeramus, quaenam causa fuerit, cur Mordechaeus adorationem solennem facere tam pertinaciter gravatus sit. In hac re bene nobiscum agitur, quod ipsius Mordechaei verbum aliquod, quamvis breve, nobis relictum est. Illi enim, qui Hamani contumaciam Mordechaei nuntiaverunt, eum dixisse se esse Iudaeum retulerunt (3, 4.). Quare causa illa, quam quaerimus, ex peculiari Iudaeorum indole ac natura repetenda est. Quid autem Iudaeorum magis erat proprium, quam lex, qua unius Dei cultus praeciperetur, quidquid vero praeterea esset caeremoniarum damnaretur? Quamobrem non dubito, quin Iosephus et auctor appendicis libri nostri Graecae verbum illud Mordechaei recte interpretati sint, si ipsi rerum Estherae narrationi suae insererent, Mordechaeum

ideo Hamanem non adorasse, quia metueret, ne honorem uni Deo debitum in hominem transferret. *)

Iam vero quaestio oritur, quare ad hanc opinionem inductus sit Mordechaeus, cum alii saepe Israelitae coram hominibus superioribus non solum genua flexisse, sed etiam procubuisse narrentur. Ad hanc quaestionem plurimum refert, conferre testimonia aliquot de honore, qui regibus Persarum tributus sit. Hoc quidem saepius in historia Persarum legitur, Graecos, si regem magnum convenirent, eum debito honore colere gravatos esse aut etiam recusasse. Quod si nude tantum referretur, hanc Graecorum contumaciam ex sola eorum superbia et dominationis Persicae invidia duceremus, nunc autem cum causa nonnunquam addatur, res secus se habet. Inter locos vero, qui hanc causam exponunt, excellit maxime Plut. Them. c. 27., ubi Artabanus, cum Themistoclem ad regem adducturus sit, ita de more illo adorationis docet: *ἡμῖν πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων, κάλλιστος οὗτος ἐστι, τιμᾶν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ τοῦ τὰ πάντα σώζοντος.* Ex his Artabani verbis apparet, adorationem regis niti certa quadam opinione de divina eius dignitate et potentia; itaque Isocratem, qui Persas increpet, quippe qui sint *θνητὸν μὲν ἄνδρα προςκυνοῦντες καὶ δαίμονα προσαγορεύοντες* (Panegyr. c. 41.), aliosque Graecos similiter loquentes nihil exaggerasse, sed ipsam veritatem esse secutos. Hanc vero Persarum opinionem de regis divina natura testantur quoque monumenta Persepolitana. In ea inscriptione, quam Xerxes literis cuneiformis, quae dicuntur, lapidibus Persepolis insculpsit, Lassenius inter alia haec legit: Posui Xerxes . . . rex existentis orbis terrarum magni, **sustentator, auctor** . . . (p. 157. cll. 174.). Ibi igitur Xerxes sibi ipsi tribuit laudem illam, quae secundum locum Plutarchi Oromasdis est propria, quod sine dubio non aliter potuit, nisi si quoniam Oromasdis imago esset, illius potestatem aliquo modo sibi ipsi vindicavit. Eandem necessitu-

*) Talmudici more suo ex hac sententia fabulam finxerunt, Hamanem dei alicuius imaginem in veste sua gessisse, ideoque Mordechaeum eum adorare noluisse.

dinem inter Deum supremum et regem Persarum intercedentem exprimunt plures regis imagines in reliquiis Persepolis exstantes (*Hengstenberg Beitr.* I. S. 129 etc.). Quae cum ita sint, adoratio regis Persarum longe distat a procumbendi ritu, per totum orientem solenni, neque mirum est, si Iudaeus propter legem suam, quae nihil studiosius inculcet, quam nomini praeter unum Iehovam honorem divinum deberi, hanc caeremoniam facere dubitet. At vero non Ahasvero sed Hamani adorationem recensat Mordechaeus. Sed cum narretur libro nostro, Ahasverum peculiare quoddam edictum promulgasse, quo adorationem Hamani praestandam mandaret, colligi licet, hunc adorationis praeceptae caeremoniam ab ritu illo *προσκυνήσεως*, quo omnes superioris ordinis homines a Persis salutari esse solitos monet Herodotus (1, 134.) distinguendam esse. Itaque verum vidisse puto Hengstenbergium, qui de Hamanis adoratione ita scribat: ***Mardochai verweigert dem ersten Minister des Königs, der als sein Stellvertreter betrachtet und in welchem dieser verehrt wurde, die Adoration*** (l. l. p. 328.). Quemadmodum rex Persarum pro vicario Dei habebatur, ita Vezirus ipsius regis vicariam habebat potestatem. Quamquam vero rex, quoniam imago Dei sibi esse videbatur, divinum honorem personae suae vindicabat, tamen Veziro vulgo hoc non videtur licuisse, sed cum Ahasverus Hamanem suum singulari quodam studio amplecteretur, idem vicariae potestatis ius, quod ipse postularet, ad Hamanem quoque peculiari mandato transtulit. Hoc probabilius etiam erit, si quaenam Veziri conditio sit, paululum in universum disseruerimus. Quemadmodum enim orientis reges cum nostris non plane possunt comparari, ita quoque alius est Vezirus, et alius primus rerum publicarum gerendarum minister in civitate aliqua Europae constitutus. Haud scio an nullus de Veziri munere manifestior exstet locus, quam Gen. 41, 40—44; ubi rex Aegypti narratur Iosephum ad summam imperii dignitatem extulisse, neque ad rem nostram inutile erit, gravissima quaeque momenta hinc exscribere: אתה תהיה על ביתי ועל פיך ישק כל עמי רק הכסא אגדל ממך: (Pharao inquit ad Iosephum) ויאמר פרעה אל יוסף ראה נתתי אתך על כל ארץ מצרים: ויסר פרעה את

טבעתו מעל ידו ויתן אתה על יד יוסף ....: ויאמר
פרעה אל יוסף אני פרעה ובלעדיך לא ירים איש את
ידו ואת רגלו בכל ארץ מצרים: Similiter Ahasverus quoque annulum suum, quo edicta regia obsignare solebat, et Hamani et Mordechaeo narratur tradidisse, neque vero hoc inane quoddam signum fuisse inde apparet, quod ipsas quoque res administrandas totas in eorum posuit arbitrio. Haec eximia Veziri dignitas manet etiam recentioribus temporibus et Chardinus de causis huius rei tam prudenter ratiocinatur, ut verba eius afferre debeamus, quum easdem fere causas Ahasveri quoque tempore valuisse manifestum sit. Les empires Mahometans, inquit ille, ont eu de tout tems des Grands-Vezirs et n'ont jamais pu s'en passer. Il y en a deux raisons, entre les autres. L'une, que comme ces empires étoient foudés par des peuples guerriers et conquerans, que leur religion, aussi bien que leur inclination, portoit à la guerre, il étoit necessaire que lorsque le souverain allait à des expeditions éloignées avec une partie de son pays .. il laissat un viceroi â sa place, lequel eut la même autorité que le souverain, tout pour entretenir le repos de l'état, que pour mieux prevenir des desordres, ou pour y remedier. La deuxieme raison c'est que les souverains Mahometans étant élevées dans des serrails avec des femmes et des eunuques, ils sont si peu capables de reguer, qu'il faut pour le bien des peuples et pour la sûretè de l'état, qu'on mette quelqu'un sous eux pour gouverner en leur place. Ainsi l'on peut dire que les roix du Perse, et dans le reste de l'orient, sont des roix pour la montre, et que leurs Grands-Vizirs sont comme de vrais rois pour avoir soin des affaires. Et comme ces rois de l'orient ne songent d'ordinaire qu'aux plaisirs des sens, il est d'autant plus necessaire qu'il y ait quelqu'un qui pense à la conservation et à la gloire de l'empire. Ce sont-là les principales raisons du pouvoir extrême des Grands-Vizirs. Et si l'on remonte plus haut que la Mahometisme et jusques aux premiers tems, on trouvera que les rois de l'orient avaient tous leurs Grands-Vizirs, comme les rois d'Egypte leur Joseph, ceux d'Assyrie leur Daniel (III. p. 326 etc. cfr. Bruinaeus IV. p. 138.). Quod ad priorem causam, quam affer

Chardinus, attinet, ex ipsa antiquitate addere possumus testimonium valde manifestum. Xerxes enim cum in expeditione contra Graecos esset, Artabanum Susa remisit his verbis: σῶζέ οἰκόν τε ἐμὸν καὶ τυράννιδα ἐμήν· σοὶ γὰρ μούνῳ ἐκ πάντων σκῆπτρα τὰ ἐμὰ ἐπιτράπω (Hdt. 7, 52.). Altera vero causa, quamvis non tota ad antiquitatem possit applicari, tamen in universum valebat, nam ex testimoniis de luxuria regum Persarum supra allatis satis superque manifestum est, eos multo libentius desidiae et libidinibus indulsisse, quam negotiis publicis vacasse, et multo plus temporis in cubiculis feminarum, quam inter imperii ministros et plebem degisse. Quare ut quae de Veziri dignitate disputata sunt, comprehendamus, breviter ita fere dici licet: Vezirus non sub rege neque cum rege, sed potius pro rege res publicas administrat. Quid igitur mirum, quod Ahasverus peculiarem suum honórem ei quoque vindicavit, qui sui ipsius quodammodo persona indutus erat? Quae si ita sunt, non opus est cum Eichhornio (p. 593.) alias advocare causas, quibus Mordechaeus permotus publico edicto non obtemperaverit, praeter illam, quae ex Israelitarum pietate orta sit, quamquam rationes eiusmodi, quales afferat Eichhornius, odium Hamanis, hominis superbi Iudaeisque infesti et invidiam ex summo eius honore conflatam accedere potuisse negare nolumus.

Vehementissima nunc sequitur Hamanis ira propter Mordechaei insolentiam et crudelissimum eius de omnibus Iudaeis occidendis consilium, quod Ahasvero proponitur statimque probatur. Hic plures critici exclamant: quam crudele facinus! quam contra omnem humanitatem! quanta deinde regis insania, qui magnam civium suorum multitudinem improbi ministri sui crudelitati tradere sustineat! (Oeder. p. 122. Corrodi p. 66. Eichh. p. 583.). Hac in re plurimum refert, quam probabilitatis normam adhibeamus. Si Hamanis decretum et Ahasveri incuriam in multis civium suorum millibus prodendis cum nostra humanitate et lenitate comparamus, omnia sane inaudita sunt, imo incredibilia. Sed quemadmodum in luxuria Ahasveri, ita quoque in crudelitate Hamanis et regis in re gravissima socordia et quasi quodam torpore examinando, nostrum illum modulum, cui plures nimis confisi sunt, missum

faciamus necesse est. Multa quidem ex oriente orta sunt sapientiae atque humanitatis lumina; multae quoque bonae et praeclarae leges atque instituta publica ibi valebant, et ne nunc quidem omnia veteris laudis vestigia exstincta sunt. Neque vero Persae infimi erant, sed mores eorum et leges publicae Xenophonti tantopere placuerunt, ut ex hac materia optimi regis et optimae civitatis imaginem fingeret. Sed egregie fallitur, qui ex hac legum multarum praestantia ipsius historiae veritatem sibi informare velit. Nam sane non plus proficeret, quam Anquetil Duperron, qui librum scripsit (Legislation Orientale Amstel. 1778.), in quo, ad populos orientis a crudelitatis et tyrannidis opprobrio vindicandos, nihil egit, nisi ut multas bonas et prudentes leges congereret. Leges bonae laudabiles quidem sunt, si observantur. Huic autem legum observationi in imperio Persarum, postquam pristina morum simplicitas corrupta est, permagnum obstitit impedimentum. Cambyses sororis suae amore captus est vehementissimo eamque in matrimonium ducere cupivit. Quod cum inter Persas prorsus esset inauditum, rex iudices publicos, legum patriarum interpretes, de hac re consuluit. Illi regi responderunt: *νόμον οὐδένα ἐξευρίσκειν ὃς κελεύει ἀδελφεῇ συνοικέειν ἀδελφεόν· ἄλλον μέντοι ἐξευρηκέναι νόμον, τῷ βασιλεύοντι Περσέων ἐξεῖναι ποιέειν, τὰ ἂν βούληται* (Hdt. 3, 31.). Hac postrema lege quidquid bonarum consuetudinum et institutorum erat, ab ipsius regis libidine atque voluntate suspensum est, et Cambyses statim ipsa re demonstravit, libidinem regis multo plus valere, quam omnes leges a patribus traditas. Quare cum mores Persarum atque regum luxuria essent depravati, leges pristinae impedire non poterant, quominus potentium libidines et vexationes populum lacerarent. Non multo post Cambysis mortem Otanes unus ex nobilibus Persis vehementer de dominationis regiae violentia conquestus est (v. Hdt. 3, 80.). Quae querelae cum iam sub imperio Magi auditae sint, quid censendum est de temporibus deinceps sequentibus, quae a pristina illa integritate longe fuerint remotiora? Sed ad totam quaestionem nostram bene tenenda sunt, quae Heerenius de universo regnandi genere, quod per Asiam valeat docet: *die Person des Königs ist in den Asiatischen Rei-*

chen der Mittelpunkt, um den sich Alles dreht. Er wird nach den Begriffen des Orients nicht bloss als Beherrscher, sondern vielmehr als Eigenthumsherr von Land und Leuten betrachtet. Auf diese Grundidee sind die dortigen Verfassungen gebaut, und sie erhält nicht selten eine Ausdehnung, die dem gebildeten Europäer unbegreiflich oder selbst lächerlich erscheint (I, 1, p. 446. 3. *Aufl.*). Et si ad recentiora tempora, quibus eaedem causae valent, spectamus, tyrannis omnibus regibus tam penitus insita est, ut in ipsis proverbiis, quae populi sensum communem referunt, notio regnandi prorsus idem valeat, quam violenter et iniuste agere (v. Chard. III. p. 289.). Et Heerenius ex commentariis Europaei alicuius, qui per regiones Asiaticas iter fecerit, narrationem refert, quae eandem rem ante oculos ponat. Narrat enim ille, se apud regem Persarum, qui minime ferocis fuerit ingenii, de potestate regia certis quibusdam legibus circumscripta, qualis apud nos esset, disseruisse, sed illum ne comprehendere quidem potuisse, quid rei loqueretur (I, 1, p. 75.). Nihil autem opinor tam bene nos ad historiam de Hamanis et Ahasveri edicto atrocissimo examinandam et credendam praeparat, quam vivida Persicae tyrannidis descriptio, quam testis fidus et peritus, Chardinus nobis exhibuit; ideoque non possumus quin ea, quae maxima ad rem nostram facere videantur, apponamus. Pour le present donc, inquit Chardinus, le gouvernement de Perse est monarchique, despotique et absolu, étant tout entier dans la main d'un seul homme, qui est le chef souverain tant pour le spirituel, que pour le temporel, le maitre à pur et à plein de la vie et des biens de ses sujets. Il n'y a assurement aucun souverain en monde si absolu que le roi de Perse; car on exécute toujours exactement ce qu'il prononce, sans avoir egard ni au fond, ni aux circonstances des choses, qu'on voye clair comme le jour, qu'il n'y a la plupart du tems nulle justice dans ses ordres et souvent pas même de sens commun. — Rien ne met à couvert des extravagances de leur caprice, ni probité, ni merite, ni zele, ni services rendus! un mouvement de leur fantaisie, marqué par un mot de la bouche, ou par un signe des yeux renverse

à l'instant les gens les mieux établies, et les plus dignes de l'être, les prive des biens et de la vie, et tout cela sans aucune forme de procés et saus prendre aucun soin de verifier le crime imputé (III. p. 293.). Quid contra hoc testimonium ab eo viro editum, qui per plures annos inter Persas degerit, et plurima cum ipsis regibus et aulicis ministris usus sit consuetudine, qui denique omnes res accurate observaverit et fideliter descripserit, quid contra tantum argumenti pondus valent ratiocinationes et opiniones ex umbris atque scholis criticorum promtae et prolatae? Tantopere autem hoc testimonium ad rem nostram aptum est, ut ad probabilitatem probandam nihil amplius requiri possit, quam documentum aliquod, quo demonstretur, regis Ahasveri animum ad perniciem Iudaeorum decernendam aliquo modo incitatum esse. Nam haec est vis testimoniorum illorum, ut intelligamus, in imperiis Asiaticis scelera insignia atque immania minime causas requirere magnas et graves, sed saepe ex rebus vel levissimis oriri, dummodo tangant libidines tyrannorum. Hoc autem in causa nostra non difficile est ad demonstrandum. Nam Hamanis iram ad tam saevum et crudele consilium facile incitari potuisse, non multa eget demonstratione, si consideramus, quam penitus contumacia et contemtio Mordechaei, homuncionis Iudaei, apertissima viscera viri potentissimi et superbissimi perfoderit. Praeterea Persas per nimiam luxuriam ad omnem saevitiam et crudelitatem valde inclinasse, demonstrant suppliciorum et cruciatuum exempla aliquot horribilia ab antiquis historicis nobis tradita (v. Hdt. 7, 39. 9, 111. Plut. Artax. p. 1019. ed. Xyland.). Iam ut consilium suum regi probaret, Haman rem non nude proposuit, sed hoc ipsum studuit efficere, quod vidimus ad omnia edicta regia maximam vim habere; regis ipsius personam et superbiam causae suae admiscuit. Narravit enim regi, populum quendam esse per totum imperium dispersum, eumque populum non solum ab omnibus ceteris diversum esse, sed legibus etiam regis non obtemperare, quare e re publica esse, si rex hunc populum e medio tolli iuberet (3, 8.). Si Iudaeorum peculiares mores et consuetudines nobiscum reputamus, et Romanorum comparamus descriptiones (v. Tacit. Hist. V.

apud Dereserum ad h. l. Cic. pro Flacc. apud Grot. ibid. adde Iuven. 14, 95 etc.) manifestum est, Hamanem cum veritatis quadam specie ita de Iudaeis loqui potuisse. Nihil autem facile tam vehementer animum Ahasveri regis Persarum irritare potuit, quam si populum aliquem sibi subditum toto ingenio suo ab omnibus ceteris discrepantem et regiis mandatis perpetuo adversantem audiret. Consulto sine dubio Haman nomen populi omisit, quia metuit, ne forte Iudaeorum nomine offensio illa, quam vellet excitare, minueretur. Praeterea dedita opera affert, populum illum per omnes urbes et provincias dispersum esse, ut rex homines illos adversarios et contumaces citius pro turba aliqua latronum quam pro iusto populo posset habere. Deinde magnae pecuniae, quae ex huius populi trucidatione in thesauros regios posset redundare, ostentatione regis avaritiam sibi conciliare voluit. *) Denique bene tenendum est, Hamanem non apud regem crimen huius populi exposuisse et tum ex eo quaesivisse, quid de hac turba decernendum et faciendum esset, sed statim ad consilium suum proponendum et commendandum transiisse. Ad causas illas igitur, quae animum regis commoverent necesse erat, accedit ipsius Hamanis auctoritas, quae eo plus habuit ponderis, quum Haman recens ad dignitatem summi rerum publicarum administratoris evectus esset.

At ab alia quadam parte opposuerit fortasse quispiam, in reliqua Estherae historia Ahasverum longe aliud ostendere ingenium, clementer eum egisse cum Esthera, quae contra regium mandatum intrasset, et deinceps omnibus eius optatis admodum leniter obtemperasse; deinde erga Mordechaeum animum pergratum prae se tulisse. Hic vero non negligendum est, nos minime talem nobis informare Ahasverum, qui nullum unquam bonae indolis documentum ediderit. Imo homo erat, quales omnes fere, qui luxuriae et libidinibus se tradiderunt: hi non certas quasdam sequuntur rationes, sed animus

*) Ridiculum sane est, si Bertholdtius, quamquam bene monet magnam pecuniam per se nemini suspectam esse debere, quia res a nobis accurate aestimari non possit, ideo de hac promissione dubitat, quoniam Haman ad res administrandas et gerendas non ad tributa exigenda constitutus fuerit.

eorum voluptate quodammodo ita emollitus est, ut nullum externarum rerum impetum sustineant, et quocunque rapiantur, aut fundant lacrymas aut dentibus frendant. Similis Ahasveri nostri videtur fuisse Artaxerxes Mnemon, de quo Plutarchus comparato fratre eius Cyro ita scribit: ἅτερος δὲ πραΰτερος ἐδόκει περὶ πάντα καὶ ταῖς ὁρμαῖς φύσει μαλακώτερος εἶναι: et paulo inferius: ἦν δέ τις καὶ μέλλησις ἐν τῇ φύσει τοῦ βασιλέως, ἐπιείκεια φαινομένη τοῖς πολλοῖς (Artax. init.). Sed idem mollis et lenis Artaxerxes, cum hominis cuiusdam libertate ambitio eius laederetur, tanta ira exarsit, ut illum cruciatibus horrendis necaret (ib. p. 1019. ed. Xyl.). Simile recentioris Persarum regis exemplum, in quo mirabilis sane lenitatis et crudelitatis vicissitudo cernatur, proponit Vallaeus (III. p. 73 etc. 99. 109 etc.).

Quae omnia si quis bene apud se reputaverit, spero fore, ut dubitationes suas de hac parte historiae nostrae vincat et se ad credenda ea, quae bona fide narrata sint, componat. Si autem hoc constat, alia difficultas, quam critici in Hamanis festinatione in edicto suo promulgando deprehenderunt (Eichh. p. 584 etc. Berth. p. 2409 etc.), non ita difficilis est ad expediendum. Mature iam haec difficultas animadversa est. Clericus ita de hac re disserit: mirum est, Hamanem tantum spatium concessisse Iudaeis, qui intra undecim menses facile poterant elabi et regno aufugere, nisi forte maluerit eos fugere, quam omnes occidi, ne tandem res in invidiam verteretur. Eandem coniecturam, Hamanem ideo tam festinanter edictum suum divulgasse, ut Iudaei ex finibus imperii Persici aufugerent, Rambachius quoque, Eichhornius et Dereserus protulerunt. Et ad hanc opinionem commendandam afferri potest oratio Mordechaei ad Estheram de consilio et decreto Hamanis 4, 7. Ita enim Mordechaeus de Hamanis consilio loqui videtur, quasi caedes Iudaeorum non aliam ob causam decreta sit, nisi ut opes eorum diriperentur. Sed haec via difficultatem illam evitandi ideo mihi non placet, quia mihi persuadere non possum, Hamanis iracundiae suffecisse, si Iudaei opibus suis privati ex imperio Persarum exularent. Mordechaeus autem ideo pecuniae ab Hamane promissae mentionem addere potuit, quia propter hanc pecuniam pe-

riculum Iudaeorum gravius esse et certius imminere opinatus est. Illam vero festinationis difficultatem equidem puto evanescere totam, dummodo bene teneamus, qua animi affectione Haman id temporis commotus fuerit. Summopere exultavit Haman, quod consilium suum tam feliciter successisset, quod rex non solum in caede Iudaeorum instituenda et perpetranda plenissimam sibi dedisset potestatem, sed quaecunque opes inde redundarent, sibi ipsi etiam esset pollicitus. Id quod unum summae suae felicitatis suavissimum sensum tristissime turbare ei visum erat, subito remotum est et totum odium suum in capita Iudaeorum effundere potuit. Ad hoc gaudium cumulatissimum accessit, quod Haman legem scivit Medo-Persicam, qua sancitum esset, ut quodcunque edictum sigillo regis esset obsignatum abrogari nefas esset. Talem si nobis informamus Hamanem, non amplius miramur, quod temperare sibi non potuit, quin triumphum suum per omnes provincias quam citissime divulgaret.

Deinde in narratione de honore et ornatu Mordechaei (c. 6.) haud levis exoritur dubitatio, quamquam Oederus et Corrodi soli et quidem leviter eam tetigerunt (p. 133. 69.). Honor enim, quem Haman regi proponit, ita describitur: יביאו לבוש מלכות אשר לבש בו המלך וסוס אשר רכב עליו המלך ואשר נִתַּן כתר מלכות בראשו (6, 8.). In his subsistere possumus, nam eorum, quae sequuntur, ratio facilius intelligitur. Iam vero quomodo Haman audere potuit talia proponere regi superbissimo! et, quod gravius est, quomodo Ahasverus haec probare et perficienda mandare sustinuit? Ipsi supra exposuimus, tantopere reges Persarum inter omnes homines excellere sibi visos esse, ut adorationem, quae summo Deo deberetur, sibi ipsis vindicarent. Et certa praeterea exstant testimonia, quae ostendant, eos admodum diligenter et studiose honores quosdam et ornamenta constituisse, quae sibi solis essent propria neque ulli alii licita. Sicuti reges Persarum vinum suum regium habebant, de quo supra loquuti sumus, ita quoque aqua erat ad usum regis peculiarem destinata, de qua Athenaeus ex Agathocle haec refert: *ἐν Πέρσαις εἶναι καὶ χρυσοῦν καλούμενον ὕδωρ· εἶναι δὲ τούτου λιβάδας ἑβδομήκοντα καὶ μηδένα πίνειν ἀπ᾽ αὐτοῦ*

ἢ μόνον βασιλέα καὶ τὸν πρεσβύτατον αὐτοῦ τῶν παίδων· τῶν δ' ἄλλων ἐάν τις πίῃ, θάνατος ἡ ζημία (Athen. l. 12. apud Brisson. p. 125.). Cum rex Persarum inaugureretur, vestem Cyri induere solebat (Plut. Artax. init. cfr. Curt. 6, 6.); haec autem vestis pro sacra habebatur, nam Cyrus fratrem suum Artaxerxem hac veste indutum aggredi metuit (ibid. paulo inferius): deinde nefas erat alium hanc vestem induere (ib. c. 5.). Neque vero licuit solio regio consedisse (v. Curt. 8, 4. cfr. Hdt. 7, 15—17.); et in universum quaecunque instrumenta in regum usu quotidiano essent, ex rerum vulgarium et profanarum genere videbantur exemta esse, nam minister quidam aulicus mensam, de qua Darius rex vesci erat solitus, sacram dicit et lacrymas fundit, cum Alexandrum videat pedes suos ei imponentem (Curt. 5, 2.). Nihil autem a communis usus licentia tam remotum fuisse videtur, quam regis capitis ornamenta, quae qualia fuerint videri licet ex loco Xenophontis: Κῦρος προὐφαίνετο ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν, καὶ χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον (ἄλλῳ δ' οὐκ ἔξεστι μεσόλευκον ἔχειν) — εἶχε δὲ καὶ διάδημα περὶ τῇ τιάρᾳ (Cyrop. 8, 3, 13. cfr. Curt. 3, 3.). Hanc erectam tiaram sive cidarim, ut vulgo loquuntur (Pollux: τιάρα, ἣν καὶ κυρβασίαν καὶ κίδαριν, καὶ πῖλον καλοῦσιν) propriam solius regis fuisse docet Tissaphernes apud Xenophontem Exped. 2, 5, 23.: τὴν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν. Artaxerxes cum filium Darium regem declararet, erectam tiaram gestandi potestatem ei tribuit (v. Plut. Artax. c. 27. 28. cll. Iustin. 10, 1.), Diadema vero sive fascia tam sacra erat, ut cum forte aliquis regis fasciam sibi imposuisset, hominis caput sacrum esse Chaldaei censerent (v. Arrian. Exped. 7, 22.). Ex his ornamentis regis Persarum propriis et sacris unum sine ulla controversia ab Hamane proponitur, dico vestem, quam induere rex soleret; ex vulgari vero interpretatione Haman cidarim quoque designat regiam, qua se ornari cupiat et qua cum res praeter omnem spem eius cecidisset, ipse Mordechaeum ornare iussus sit.

Prinsquam ad hanc difficultatem solvendam aggrediamur, praemoneamus nonnulla, quae ad totius loci nostri de Mor-

dechaei honore fidem tuendam aliquid faciant. Primum quidem tam antiquitate tam recentiori tempore nihil fere per totum orientem apud reges usitatius est, quam iis, quos insigni modo honorare veliut vestimenta dono mittere. Illustre huius usus exemplum est, quod Herodotus 3, 84. de septem coniuratis, qui Magum interfecerunt, narrat, hi enim inter se statuerunt, ut qui rex futurus esset, Otanem, de Magi caede optime meritum, eiusque familiam quotannis veste Medica donaret (cffr. praeterea Plut. Artax. c. 15. Xenoph. Exped. 1, 2, 27. Curt. 3, 3.). De recentioribus Persis hunc usum testantur Chardinus I. p. 381 etc. II. p. 207. III. p. 304 etc. et Tavernierus. I. p. 199. 262. Deinde Haman proponit, ut nobilis aliquis hominem illum, quem rex honore afficere velit, equo imponat eumque per plateas urbis ducat clamitans: talia contingere ei, quem rex honorare cupiat (6, 9. 11). Haec quoque aliis testimoniis cum Persarum moribus convenire demonstrari possunt. Nam peculiarem aliquem ministrum habere, qui dominum suum in equum tolleret, Persarum fuit, quemadmodum testatur Xenophon (de re equestr. 6, 12). Hunc vero ἀναβολέα, ut loquitur Plutarchus (Crass. c. 31.), nonnunquam hominem nobilem fuisse ex eodem colligitur Xenophonte, qui Tiribazum narret, satrapam quendam et regis amicum, quotiescunque adesset, Artaxerxem in equum sustulisse (Exped. 4, 4, 4.). Deinde illud praeconium minime ab orientis ingenio alienum est. Ita Pharao iussit Iosephum honoris causa curru regio vehi et titulum eius honorificum publico edici praeconio (Gen. 41, 43). Tale praeconium, quamquam in malam partem, hodie quoque inter Persas instituitur, si quis capitis damnatus fuerit (v. Tavern. I. p. 223 etc. 259.). Denique totius scenae, qualis nobis ab historico nostro proponitur, similem narrationem tradit Plutarchus (Pomp. c. 36) *).

*) Adami ad demonstrandum, in equi regii mentione etiam inesse, quod scriptoris cognitionem rerum Persicarum ostenderet, multa collegit testimonia, equos a Persis valde amatos esse et reges equorum quoddam genus, qui Nisaeorum nomen haberent, ad usum suum regium elegisse (Observv. p. 81 etc.). At haud operae pretium est, hanc rem tam alte repetere. Nam dummodo equi inter Persas fuerint, rex sine ulla controversia equum habebat, quo vehi soleret.

Iam vero ad difficultatem loci nostri ipsam redeundum est. Tria autem sunt, quae ad suspicionem, quae ex loco nostro oriri possit, tollendam proferamus. Primum quidem vulgarem interpretationem verborum: ואשר נִתַּן כתר מלכות על ראשו impugnamus. Haec enim verba plerumque ad hominem honorandum referuntur, et ex hac opinione Mordechaeus ipsa regis tiara sive corona exornatus est, id quod sine dubio plurimum habet difficultatis. Paulsenius quidem ad hunc honorem explicandum provocat ad similem recentiorum Persarum usum, quem Chardinum (III. p. 315.) et Vallaeum (II. p. 24.) opinatur testatos esse. Sed loci illi a nostro longe distant, propterea quod illic de tegumento quodam capitis sermo est, quod regis et plurium aliorum commune sit, nostro vero loco hoc constat, Hamanem prorsus singulare aliquod dicere capitis ornamentum. Difficultatem Alexandrini quoque videntur sensisse, hi enim verba illa prorsus omiserunt. Sed solutio haud difficilis est, si ad omnis interpretationis fundamentum, quod in ratione grammatica positum est, spectamus. Temporis enim, quod dicitur, forma in voce נִתַּן respondet alteris formis לבש et רכב, itaque id quod iam per se fieri non potest, ut נִתַּן pro יִנָּתֵן accipiatur, per illarum formarum propinquitatem multo magis etiam prohibetur. Hoc iam perspexit et fortiter defendit Ludovicus de Dieu. Sed quae inde evadit sententia? Verba illa, quemadmodum enuntiatum proxime antecedens: אשר רכב עליו המלך ad equum regis referenda sunt, et ipsi equo כתר מלכות tribuitur. Ita quoque teste Rambachio Abenesra interpretatus est. Pro hac sententia illud etiam potest afferri, quod versu undecimo, quo ornatus Mordechaei describitur, illud כתר מלכות omittitur. Ille vero ornatus equi primum quidem non multo minus mirus videtur, quam corona regia capiti Mordechaei imposita. Sed considerandum est, ornatum equorum plurimi esse aestimatum apud Persas (v. Xenoph. Cyrop. 1, 3, 3. Exped. 1, 2, 27.);

Maximo autem honori fuisse, hoc regis equo vehi cum per se consentaneum, tum ex loco 1 Reg. 1, 33. 44., ubi David narratur filium suum Salomonem, cum eum regem vellet declarari, suo ipsius mulo imponi iussisse, manifestum est.

deinde ipsius illius cidaris in equo regio vestigium aliquod mihi videor indagasse. Etenim exhibet Chardinus imaginem regis Persarum equitantis (III. No. 29.), et in hac pictura caput equi eodem signo ornatum est, quo regis ipsius caput. Itaque non opus est artificio Maureri. Is quidem perspexit, vulgarem interpretandi rationem contra regulas esse grammaticas, sed ipsam sententiam deserere noluit, praecepit igitur, formam נִתַּן, ut Iudic. 16, 6. scriptam esse pro vulgari נָתַן, et ita locum expliat: et iubeo, ut eius capiti coronam regiam imponamus. Etiamsi largiamur extraordinariam illam scripturam accipi posse, Haman profecto ab ea cogitatione, quam Maurerus ei suppeditat, longissime aberat; nam quomodo homo summa superbia et fortuna sua ebrius in hanc cogitationem, se ipsum in hoc honore adornando ministri munere esse functurum, potuit incidere? Praeterea consulto praemonetur, Hamanem, ut primum Ahasverus de insigni aliquo honore loqueretur, statim opinatum esse, regem nullum alium in mente habere, quam se ipsum.

Haec vero Hamanis opinio ad difficultatem, quae in loco nostro restat, expediendam non parvum habet momentum. Primum enim immensae suae ambitioni non facile potuit satisfacere, cum rex ipsius arbitrio permitteret, ut honores indicaret et proponeret. Deinde supra vidimus, Vezirum regis ipsius alteram quodammodo esse personam. Itaque hoc quoque nomine, cum ipsi, quem rex tantopere iam extulisset, honores postulare sibi videretur, Haman alio multo audacior esse potuit. Ut vero Ahasverus eum ipsum honorandi modum, quem Haman falsa illa ductus opinione proposuerat, probare et ad Mordechaeum transferre non dubitaret, partim efficere potuit summa, qua Haman apud regem gavisus est, auctoritas, partim vero magnus animi ardor, Mordechaeo insignem aliquam gratiam referendi, quo Ahasverum affectum esse videmus.

Quamquam haec omnia non puto sufficere, nisi aliud accedat argumentum, quod omnem suspicionis incidat nervum. Cum de luxuria Persarum loqueremur, duo tempora distinguenda erant, unum quod morum integritate excelleret, alterum, quod libidine et intemperantia difflueret. Similis temporum distinctio in regum honoribus exponendis facienda est. Digni-

tas et auctoritas regia, qualis ab antiquis Medis tradita erat, ingentis cuiusdam discriminis inter regem et alios homines nitebatur opinione. Haec autem opinio progressu temporis duabus rationibus debilitata est. Primum quidem quamquam inter Persas et Graecos perpetuum fere bellum intercessit, itaque mutuum et vehemens inter utrosque populos exarsit odium, Graeci tamen non poterant, quin propter humanitatis et artium maxime praestantiam, quo saepius Persas convenirent, in totam eorum sentiendi et cogitandi rationem in dies maiorem vim nanciscerentur. Haec vis Graecorum, quae in ipsius rei natura posita est, eo minus dubitari potest, quum, id quod infra copiosius demonstrandum erit, Persarum gens ad res peregrinas recipiendas facillima fuerit. Cernitur vero haec res in honoribus, quibus Persae plures nobiles Graecos prosequuti sunt. Huc quoque pertinet dictum aliquod Parysatidis matris Artaxerxis Mnemonis. Haec enim mulier cum animadvertisset Artaxerxem suam ipsius filiam Atossam perdite amare, eum adhortata est, ut illam in matrimonium duceret, addens haec verba: χαίρειν ἐάσαντα δόξας Ἑλλήνων καὶ νόμους (Plutarch. Artax. c. 23.). Ex his verbis colligi licet, Artaxerxem a Graecorum opinionibus et legibus valde fuisse suspensum, cum in ipsis negotiis amatoriis curasse videatur, quid Graeci de se censerent. Simile est illud, quod Cyrus Minor nomen Graecae Aspasiae narratur ad Miltonem suam transtulisse (v. Plut. Peric. c. 24.). Si qui autem rex Persarum Graecorum iudicium tanti aestimavit, is profecto Medicam illam de divina regis persona et auctoritate doctrinam, quam Graeci libertatis studiosissimi execrabili persequerentur odio, integram obtinere non potuit. Praeterea luxuriam quoque regum intemperatam ad personae eorum dignitatem deprimendam valuisse existimo. Etenim quum licentius se plebeiis et infimis libidinibus tradere coepissent, cum ipsis tum aliis humana eorum origo et natura appareret et ingens certe discrimen illud inter reges aliosque homines magis magisque tolleretur necesse erat. Reliquum est, ut mutatae huius regum Persarum aestimationis vestigia aliquot ostendamus. Primum is ipse, in quo utrumque rei illius momentum, quod indicavimus, apparere vidimus, Artaxerxem dico Mnemonem, manife-

stum sententiae nostrae est documentum. De hoc rege scribit Plutarchus: *Ἀρταξ. Μνήμ. καλούμενος οὐ μόνον τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἑαυτὸν ἀνέδην παρεῖχεν, ἀλλὰ καὶ τὴν γυναῖκα τὴν γνησίαν ἐκέλευσε τῆς ἁρμαμάξης τὰς αὐλαίας περιελεῖν ὅπως οἱ δεόμενοι κατὰ τὴν ὅδον ἐντυγχάνωσι* (Apophtheg. reg. et imperat. non multum ab initio cll. Plut. Artax. c. 5.). Si nobiscum reputamus, quam studiose reges Persarum aditum ad sacram personam suam praecluserint, deinde quanta instigati sint aemulatione, ut omnem uxores suas et pellices videndi copiam tollerent, illa Artaxerxis facilitas nobis erit testimonio, reges Persarum priscam illam et rigidam insolentiam suam ceterorumque hominum contemtionem paullatim deseruisse. Eiusdem Artaxerxis alia quoque exstant id genus documenta, quae Plutarchus deinceps ita narrat: *Εὐκλείδᾳ τῷ Λάκωνι πολλὰ παῤῥησιαζομένῳ πρὸς αὐτὸν αὐθάδως ἐκέλευσε εἰπεῖν τὸν χιλίαρχον· ὅτι σοι μὲν ἔξεστιν εἰπεῖν ἃ βασιλεῖ βούλει, ἐμοὶ δὲ καὶ λέγειν καὶ ποιεῖν· ἐν δὲ θήρᾳ τινὶ Τιριβάζου δείξαντος αὐτῷ τὸν κάνδυν ἐχισμένον ἠρώτησεν ὅτι δεῖ ποιεῖν ἐκείνου δ᾽ εἰπόντος, ἄλλον αὐτὸς ἔνδυσαι, τοῦτον δ᾽ ἐμοὶ δός, οὕτως ἐποίησεν εἰπών· δίδωμι μὲν ὦ Τιρίβαζέ σοι τοῦτον, φορεῖν δὲ ἀναγορεύω· τοῦ δὲ Τιριβάζου μὴ φροντίσαντος — ἀλλὰ τὸν δὲ κάνδυν εὐθὺς ἐκείνου ἐνδύντος καὶ δῶρα χρυσᾶ καὶ γυναικεῖα τῶν βασιλικῶν περιθεμένου πάντες μὲν ἠγανάκτησαν (οὐ γὰρ ἔξην), ὁ μέντοι βασιλεὺς κατεγέλασε καὶ εἶπε· δίδωμί σοι καὶ τὰ χρυσία φορεῖν ὡς γυναῖκι καὶ τὴν στολὴν ὡς μαινομένῳ· τραπέζης δὲ τῆς αὐτῆς μηδενὸς μετέχοντος, ἀλλ᾽ ἢ μητρὸς βασιλέως ἢ γαμετῆς γαναῖκος — Ἀρταξέρξης καὶ τοὺς ἀδελφοὺς ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἐκάλει τράπεζαν* (Artax. c. 5.). Huc quoque referendum est, quod alter Artaxerxes, Longimani cognomine, narratur primus concessisse, ut quicunque vellet et posset ante regem in venatione telum suum coniiceret (Plut. Apophth. reg. init.). Proxime autem ad Hamanis propositionem accedit petitio Demarati Spartani, is enim cum a rege quidquid vellet rogare iuberetur, poposcit, ut more regum erecta cidari Sardes inveheretur (Plut. Them. c. 29. Senec. de benef. 6, 31.). Haec hominis peregrini petitio quamvis regi non accepta esset, tamen Demaratus in aula mansit

et per Themistoclem cum Xerxe prorsus conciliatus est (v. Plut. l. c.).

Si igitur regiae maiestatis prisca severitas paullatim magis magisque leniebatur, si Demaratus Spartanus eadem, quae de Mordechaeo loco nostro referuntur, a Xerxe postulare ausus est, quid mirum, si Haman Vezirus, idemque summa apud regem gratia et favore gaudens et homo superbissimus, regium paene sibi honorem in parvum temporis momentum petiisse dicitur, praesertim cum in Estherae historia alia quoque Ahasveri lenitatis illius, de qua loquimur, vestigia appareant. Inter Artaxerxis Mnemonis humanitatis documenta illud quoque retulimus, quod Statirae uxoris suae videndae copiam faceret. Nonne huius rei prorsus simile est habendum, quod Ahasverus reginam Vasthiam ad publicum convivium, ut omnis populus pulchritudinem eius admiraretur, advocari iussit (1, 10. 11.)? Quicunque de hac re loquuti sunt, consentiunt, hoc ab Ahasvero contra Persarum morem esse imperatum. Unus quantum scio Adami contra defendit, hoc Ahasveri mandatum ab ingenio Persarum minime abhorrere, neque ob ullam aliam causam Vasthiam ad coenam non venisse, nisi quia insolens fuerit atque contumax (p. 30 etc.) Affert quidem ille locos duos ad sententiam suam probandam, sed loci isti non id quod vult efficiunt. Contra autem eius opinionem pugnat primum vehemens regum Persarum zelotypia, quae in causa erat, ut virgines etiam, quae ad reges adducerentur, ab omnium hominum conspectu diligentissime absconderentur (v. Plut. Them. c. 28); deinde loci illi Plutarchi, ubi Artaxerxi Mnemoni in laudem vertitur, quod uxoris suae adspectum faciliorem reddiderit. Alterum eiusmodi Ahasveri levitatis exemplum, est coniugium Estherae Iudaeae. Septem enim illi nobiles Persae, qui saepius iam commemorati sunt, inter se convenerunt, ut qui rex futurus esset, ex ipsorum familia uxorem duceret (Hdt. 3, 84.). Cum vero Ahasverus sine dubio post Darii Hystaspis tempus regnaverit, manifestum est, eum contra illud conventum Estheram in matrimonium duxisse. Attamen Cambysis exemplum supra allatum tum in universum summam regis Persarum licentiam fuisse tum hoc demonstrat, in nulla re minus legibus eum obstrictum fuisse, quam in matrimonio

iucundo. Deinde constat, Cyrum Minorem, qui regnum Persicum studiosissime affectaret, Aspasiam Graecam inter omnes mulieres suas summis affecisse honoribus (Aelian. V. H. 12, 1). Quae cum ita sint locus noster de Hamanis postulatione et Mordechaei honore non solum cum tota Persarum historia sed etiam cum Ahasveri ingenio bene congruere demonstratus est.

Iam omnes praeter unam difficultates graviores, quae contra fidem historiae Estherae proferri possunt, solutae sunt. Reliquum est, ut de ipso historiae eventu quaeramus, ecquid recti statuerint critici, qui in ultima voluminis Estherae parte valde offendantur. Quaecunque contra hunc eventum a criticis proposita sunt, hoc fere uno argumento comprehenduntur: non posse intelligi, qua ratione factum sit, ut Iudaei, quorum paucitas ad Persarum innumeram multitudinem paene nihili esset habenda, et qui cum primum decretum Hamanis audirent, miseros tantum eiulatus ederent, postea multa millia Persarum interficerent (v. Oeder. p. 125. Vogel. ann. ad Oed. p. 125 etc. Mich. Bib. Orient. II. p. 37 etc. Eichh. p. 584. Bertholdt. p. 2427 etc.). Attamen dummodo omnia, quae liber ipse de hac re disserit, diligenter respiciantur, haud scio an nihil aliud miratione aliqua dignum relinquatur, quam Ahasveri incuria in tanta Persarum trucidatione. Sed quam multas res testatissimas, quae in historia tyrannidis tum antiquae tum recentioris narrantur, iu dubium vocare possemus, si nihil, quod miratione dignum esset, crederemus! Ea quae supra de hac re disputavimus, hic repetere nolumus, hoc vero loco monuisse sufficiat, Ahasverum id temporis contra Hamanem et quaecunque ad eum pertinerent, mortale concepisse odium, Estherae vero et Mordechaeo totique Iudaeorum genti summopere favisse. Talis vero animi affectio et perturbatio quo tyrannum et hominem levem, qualis erat Ahasverus, rapere potuerit nemo audeat circumscribere. Praeterea facile in ea cogitatione potuit acquiescere, Persas, qui a Iudaeis interficerentur, sua sponte in periculum suum incurrisse.

Quod vero ad ipsos Iudaeos attinet, stulta sane est ratiocinatio eorum, qui postulant a Mordechaeo et ceteris, ut inani eiulatione sua deposita ad impetum Persarum repellendum

se parent. Quid enim Iudaei, postquam Hamanis decretum regis sigillo confirmatum compertum habuerunt, aliud exspectare poterant, quam ipsius mortis periculum proxime instans? Tale autem periculum maximopere crescit eiusque metus plurimum augetur, si universo alicui populo immineat, si quaecunque dolorem possint lenire, uno quasi fortunae ictu interitura videantur. Deinde non negligendum est, cum orientis gentes in universum, tum Indaeos multo facilius quid animum commoveat pronuntiare, quam nos homines frigidi et taciturni. Quare Mordechaei et Iudaeorum gemitus atque eiulatio ex ipsa necessitate nascitur, neque ullo modo ex criticorum permissu sive approbatione pendet. Praeterea censent critici, valde bonum fuisse, si Iudaei ad periculum arcendum sese parassent, sed vereor ne hoc consilium aeque inconsideratum sit, quam alterum illud. Quid enim Iudaeorum captivorum paucitas per centum viginti septem imperii Persici provincias dispersa contra immensas Persarum copias audere et parare poterat? Quantopere autem tota res conversa fuerit, postquam Haman occisus et Mordechaeus in locum eius suffectus sit, quicunque historiam attente legerit, haud difficile perspiciet. Ipse enim auctor libri sensisse videtur, historiae eventum per se spectatum contra probabilitatis speciem et praeter exspectationem accidisse, quamobrem causam rei diligenter studet exponere. Et quaenam fuit haec causa? Timor Iudaeorum, quo omnes Persae subito erant percussi (8, 17. 9, 2. 3). Quid vero hoc timore magis erat consentaneum? Nam non solum summa Mordechaei potestas et auctoritas, qua apud regem valeret, potentissimos quosque Iudaeorum adversarios coercuit, sed etiam quaecunque de Iudaeorum historia et fortuna ore circumferebantur (cfr. 6, 13), Estherae et Mordechaei honoribus sine dubio renovata sunt et per omnium Persarum animos serpere coeperunt. Quamquam ex universa ratione, quae inter Persas et Iudaeos intercessit, coniici potest, multos fuisse Persas, qui tantam contra gentem illam parvam et captam invidiam et iram concepissent, ut temperare sibi non possent, quin licentia decreto Hamanis sibi permissa uterentur. Denique si critici recentiores ea, quae iam Clericus de tota hac re disseruit, tenuissent, in illam dubitationem non incurrissent. Quare ab

re nostra non alienum videtur, verba Clerici apponere. „Aliud nihil," inquit ad 8, 11., „comminisci potuit Mordechaeus ad conservationem Iudaeorum, nisi concessionem potestatis sese defendendi, quia revocari non poterat edictum, quo iussi erant populi, qui Ahasvero parebant, eos invadere. Attamen periculosa haec fuit ratio tuendae suae gentis, quae minime aequabat alias gentes, inter quas vivebat, poterant Iudaei facillime opprimi a tanto pluribus. Sed forte ii populi, cum intellecturi erant, per regem Iudaeis licere ferro se et sua tueri, hinc facile conjecturi erant, regi minime placere internecionem Iudaeorum, quamvis eam antea iussisset, quandoquidem fas erat Iudaeis arma capere, ideoque in Iudaeos acriorem nullum impetum ab iis factum iri satis constabat. Propalata sine dubio a Iudaeis sunt, quae in aula regis in sui gratiam facta erant; unde omnibus innotuit, si per mores licuisset Ahasvero revocare prius edictum in perniciem Iudaeorum propositum, eum id fuisse revocaturum: nunc vero, quoniam fieri hoc non poterat, alio edicto, prout poterat, Iudaeis consultum est. Quod cum ita haberet, non mirum est, si alii populi totis viribus Iudaeis non incubuerint, quos facile alioquin protrivissent."

Ita spero momenta gravissima quaeque, quae lectorem voluminis Estherae impedire possint, quominus historiae fidem habeat, sublata esse, leviores vero offensiones, quae restant, ut supra institutum est, reliquae inseramus demonstrationi nostrae atque expediamus. Transeamus igitur ad alteram partem, quae de iis agat argumentis, quae pro fide historiae Estherae afferenda sint.

Caput II.

Libri Estherae indoles historica.

Inter ea argumenta, quibus fides libri Estherae historica probari atque confirmari potest, haud scio an maximum habeat momentum universae indolis, quae in libro illo cernatur, expositio et demonstratio. Ad hanc igitur deinceps progrediamur, praesertim cum adversarii nonnulli ad hoc ipsum totius historiae ingenium confugiant. Natura autem rei alicuius in singulis eius partibus apparet, quare argumentum nostrum requirit, ut capita historiae Estherae certe graviora exponantur. Sed ut sciamus, quid in hac singulorum locorum expositione maxime sit spectandum, primum universas quasdam rationes, quas sequamur, reperiamus oportet. Etenim veritas certa quaedam habet indicia et cum nos ad veritatem cognoscendam nati atque comparati simus, horum indiciorum sensum habemus acerrimum. Quamobrem etsi species quaedam veritatis imitatione quoque possit effici, plerumque in falsis eiusmodi veritatis imaginibus contemplandis scrupulus quasi quidam suspicionis sentitur. Optime autem agitur, si ex temporis ratione sive aliis causis imitationem demonstrari possit nullo modo eam veritatis speciem, quae exstet, assequi potuisse. Pergratum igitur nobis accidit, quod hoc ipsum in pluribus huius capitis partibus potest effici.

Magnum veritatis indicium, si de fide historiae alicuius quaeritur, in ipso narrationis genere positum est. Est enim simplicitas quaedam scribendi et narrandi, quae ex ipsa veritate nascatur; sin autem veritas fingitur, ultro fere fucati aliquid narrationi immisceatur necesse est. In nostro vero libro tranquillum quoddam atque tenue et exile paene scribendi genus deprehendimus. Calmbergius, quamquam ipse non plena fiducia veritatem historiae amplectitur, de narrationis ge-

nere ita indicat: quae (argumentum libri modo exposuit) cum tam simpliciter, tam nude referantur, ut nusquam ars quaedam et studium appareat, quae singulas partes artificiose connectat, ut sensus pulchri et vis imaginandi delectetur: facile tibi persuadere posses, nihil esse fucatum, omnia ad simplicem veritatem narrari, nulla ex parte a fide historica narrationem recedere (p. 7.); deinde alio loco: quae* in libris poeticis iure admiramur, altos vatum spiritus, colorem vere poeticum, sermonem numerosum, animum excelsum, et res humanas contemnentem, ad Deum omnia referentem et oracula divina nuntiantem, haec omnia in hoc libro desiderantur (p. 6 etc.). — Unus tantum locus in toto libro altius quoddam narrandi genus spirat, dico 8, 16.: ליהודים היתה אורה ושמחה וששון ויקר; attamen haec verba ex rei ipsius conditione laetissima orta sunt. Alias semper narratio nihil nisi nudam sequitur historiam, nihil ad exornandum additum, nihil ad exaggerandum comparatum. Quin etiam magnam quandam temperantiam cernimus, quae eo magis mira est, eoque plus ad quaestionem nostram facit, cum ab historiarum malae fidei et imprimis earum, quae a Iudaeis posteriori tempore confectae sunt, loquacitate longissime distet. Qua in re enim ars illa historias exornandi et fabricandi libentius versatur et luxuriosius exuberat, quam in longis ad personas et rerum conditiones aptis sermonibus fingendis? Quantopere apocryphae, quae dicuntur, Iudaeorum historiae eiusmodi orationibus, precibus, edictis refertae sunt! Quantam vero volumen Estherae in hac re sequitur moderationem et silentium! Quaecunque fere res narrantur, aguntur in publico, permulta igitur fuit copia verba magna et speciosa personis, quae inducerentur, tribuendi et satis notum est, ne fidissimos quidem quosque historicos antiquos in hac re ita fuisse anxios, sed quaecunque verba ad quemque locum et personam apta haberent, ex suo ipsorum ingenio suppeditare non dubitasse. Referuntur quidem in libro Estherae interrogationes, responsa, longiores etiam oratiunculae, sed haec omnia ad rerum causas intelligendas necessaria, neque in his quidquam est abundans. Nullum vero mandatum regium scriptum, quorum quatuor commemorantur (1, 19. 22. 3, 12. 8, 10 etc.), ipsis verbis refertur, sed breve tantum

eorum argumentum exponitur; eodem modo de epistolis Mordechaei et Estherae nihil praeter sententiam universam proponitur (9, 20 etc. 30 etc.). Hoc loco plurimum facit ad rem nostram, quod appendicem libri nostri Graecam comparare possumus. Horum additamentorum ingenium Hieronymus ita describit: librum Esther variis translatoribus constat esse vitiatum, quem ego de archivis Hebraeorum revelans verbum e verbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata, laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit, addens ea quae ex tempore dici poterant, et audiri; sicut solitum est scholaribus disciplinis, sumto themate, excogitare quibus verbis uti potuit, qui iniuriam passus est, vel qui iniuriam fecit. Et ita vere est, ut iudicat Hieronymus, afferuntur duo edicta regia aptissimis formulis et magna sapientia instructa; deinde preces Mordechaei et Estherae disertissimae, summaeque pietatis speciminibus ornatae. Quae cum ita sint, ex hac tanta voluminis Estherae et additamentorum discrepantia iure nostro colligimus, summam narrationis nostrae simplicitatem ex ipsa historiae veritate ortam esse.

Institutum est, ut de indole historiae Estherae quaereremus. Iam si nobiscum reputamus, librum nostrum antiquitus ab Israelitis in codicem suum sacrum receptum esse, quid magis attentione nostra dignum esse potest, quam illud, quod nomen Dei per totum librum ne semel quidem legitur? Quamquam Hebraeorum historici sacri quam simplicissime narrant, neque quidquam aliud nisi rerum ipsarum sequuntur ordinem, tamen omnia ad Deum referunt, et maxime iis curae cordique est, quaenam quoque tempore inter Deum et populum suum intercesserit ratio, exponere et ostendere. Illud igitur de Deo silentium primum quidem impietatis aliquam suspicionem habere videtur. At vero qui rem paulo attentius examinaverit, facile hanc criminationem prorsus vanam esse intelliget. Tota enim historia eo spectat, ut providentiae, quae innocentiae, quamvis ab opibus destituta sit, tandem triumphum comparet, ab improbitate vero quamvis potentissima poenis exigat turpissimas, opus ostendatur admodum manifestum. Deinde totius fere rei momentum in ieiuniis Iudaeorum et Estherae severissimis ponitur (4, 16.), quae cum per se nihil possint ef-

ficere, divinam conciliasse opem putentur necesse est. Tum si Mordechaeus Estherae respondet, si ipsa tacitura sit, Iudaeis aliunde auxilium oriturum, illam vero cum domo paterna perituram esse (4, 14.), quid aliud hac obscura oratione indicat, quam fiduciam suam divini auxilii? Nam ab rei natura prorsus aliena est Oederi coniectura, qui Mordechaeum opinetur verbis illis obscuris tumultum Iudaeorum iudicasse, qui arcem Susorum occupaturi et Estheram occisuri essent (p. 130 etc.). Tam stultus et imprudens Mordechaeus alias non apparet, qui Iudaeos valde paucos et captivos, qui simulac decretum Hamanis audirent omnes animis caderent, opinări potuerit contra arcem munitam et milites Ahasveri arma capessuros fuisse. An omnia forte ad Estheram tantum terrendam composita sunt? Non dubito quin Esthera talis minationis vanitatem perspectura atque illusura fuerit. Denique si Iudaei antiqui impietatis notam aliquam vel levissimam in libro nostro deprehendissent, nullo pacto eum ceteris sacris libris adiecissent. Eiusmodi argumentis crimen impietatis iam a veteribus theologis, qui libri Estherae canonicam defenderent auctoritatem, satis superque dilutum est, et recte monet Carpzovius: sileatur nomen, dummodo Dei in libro opera, miracula ac beneficia celebrentur.

Sed haec defensio nobis, qui in libri indolem inquiramus, non sufficit, nos enim causam huius silentii quaerere debemus. Hanc vero causam illi non invenerunt, sed aut de hac quaestione desperarunt, aut quemadmodum Hottingerus, qui illud silentium inde repetat, quod haec historia magnam partem ex annalibus regum Persarum translata fuerit, absurdas protulerunt opiniones. Nimirum in eo illi errant, quod silentium de divino nomine ut rem quandam singularem et sepositam spectant, cohaeret enim illud silentium cum multis aliis rebus, quae in libro nostro cernuntur. Etenim pietas Hebraeorum et maxime eorum, qui post tempora vixerunt Babylonica, certis quibusdam formis externis ita adstricta erat, ut vix ab iis posset secerni. Omnis spes et laetitia Israelitarum piorum posita erat in terrae sacrae possessione, quicunque cultus Iehovae tribueretur, nefas erat a certo quodam loco, templo Hierosolymitano, disiungere, et certis quibusdam caeremoniis a

certa quadam sacra familia administraretur necesse erat. Sed de his omnibus in libro nostro altum silentium. Nomen quidem Hierosolymorum semel commemoratur (2, 6.), sed nullam ob causam, nisi ad eum locum indicandum, unde rex Iechonia cum ceteris Iudaeis in captivitatem abductus sit. Quare haec urbis sacrae mentio ad ipsam pietatem nullum habet momentum. Quam libenter autem Israelitae in terra peregrina degentes Hierosolymorum recordatione mentem relaxarint, cum multa exstent testimonia, tum demonstrat locus quidam libri Tobiae, qui huc potissimum pertinet. Auctor historiae Tobiae non potuit, quin pium senem, quamquam in Assyria degeret et tota quoque res, quae narratur, extra terrae sacrae fines peracta esset, cum mortem sentiret appropinquantem, de Hierosolymis et templo faceret vaticinantem (Tob. 13, 8 etc.). Similes fere ut Hierosolymorum, in libro nostro est ratio ieiuniorum, quae a Iudaeis et Esthera instituta esse narrantur (4, 3. 16.). Dubitari quidem non potest, ut iam supra monitum est, quin ad Deum deprecandum ieiunia illa instituta sint, sed preces ipsae nulla syllaba commemorantur. Deinde libro nostro novi festi omnibus Iudaeis celebrandi institutio memoriae est prodita, sed imperatum hoc festum a Mordechaeo et Esthera nullius sacerdotis auctoritate sive consilio adhibito. Denique Iudaei nusquam nomine suo divino et sacro ישראל appellantur, sed ubique nomen vulgare et humanum יהודים legitur. Quid multa? omnium rerum sacrarum, in quibus peculiaris Iudaeorum natura et indoles maxime posita erat, mentio ab historia nostra aliena est. Inde vero sequitur sponte alterum, ea quae Israelitarum pietati et unius Dei cultui contraria sint, eodem modo taceri et praeteriri. Et ita est, nulla falsorum deorum et ethnicorum, ut loquuntur Iudaei, rituum atque consuetudinem mentio, nedum detestatio. Hic vero nobis quispiam opposuerit, Mordechaeum Hamani adorationem nullam aliam ob causam recusasse, quam quia propter legem Mosaicam hominem noluerit adorare et Persicam detestatus sit impietatem. Audio, sed haec adorationis recusatio item similis est ieiuniorum mentioni; interrogantibus enim Mordechaeum aulicis ministris de contumacia ipsius, hoc tantum respondisse narratur, se esse Iudaeum, nullam igitur pietatis rationem

protulit apertam. Quam longe aliter loquitur Mordechaeus apocryphus in precibus suis ad Deum fusis: σὺ οἶδας κύριε ὅτι οὐκ ἐν ὕβρει, οὐδὲ ἐν ὑπερηφανείᾳ οὐδὲ ἐν φιλοδοξίᾳ ἐποίησα τοῦτο, τὸ μὴ προσκυνεῖν τὸν ὑπερήφανον Ἀμάν· ὅτι ηὐδόκουν φιλεῖν πέλματα ποδῶν αὐτοῦ πρὸς σωτηρίαν Ἰσραήλ. Ἀλλ' ἐποίησα τοῦτο ἵνα μὴ θῶ δόξαν ἀνθρώπου ὑπεράνω δόξης θεοῦ, καὶ οὐ προσκυνήσω οὐδένα πλὴν σοῦ κύριε καὶ οὐ ποιήσω ταῦτα ἐν ὑπερηφανείᾳ. Multo etiam apertior est Estherae professio Iudaismi in additamentis apocryphis et permagnum apparet discrimen, si Esthera, quae in libello Graeco ad Deum precatur, cum altera, cuius vita in aula Ahasveri Hebraeo volumine nobis proponitur, hoc ipso nomine comparatur. Quamquam Esthera non narratur libenter et cum magno gaudio tori societatem cum Ahasvero iniisse, tamen non magis de haesitatione aliqua aut tergiversatione quidquam refertur. Deinde cum Mordechaeus eam in aulam regis dimitteret, hoc solum ei mandavit, ut originem suam et gentem celaret, et Esthera hoc mandatum per totos quinque annos servavit. Inde luce clarius apparet, historicum nostrum longe abesse, ut in Esthera pietatem sacrarumque caeremoniarum observationem laudet atque efferat. In precibus vero apocryphis Estherae summum momentum est illud ipsum discrimen inter Iehovam et deos, inter Israelitas et gentes, et de se ipsa Esthera haec profitetur: καὶ οἶδας ὅτι ἐμίσησα δόξαν ἀνόμων καὶ βδελύσσομαι κοίτην ἀπεριτμήτων καὶ παντὸς ἀλλοτρίου· σὺ οἶδας τὴν ἀνάγκην μου, ὅτι βδελύσσομαι τὸ σημεῖον τῆς ὑπερηφανείας μου, ὅ ἐστιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς μου ἐν ἡμέραις ὀπτασίας μου· βδελύσσομαι αὐτὸ ὡς ῥάκος καταμηνίων καὶ οὐ φορῶ αὐτὸ ἐν ἡμέραις ἡσυχίας μου· καὶ οὐκ ἔφαγεν ἡ δούλη σου τράπεζαν Ἀμὰν καὶ οὐκ ἐδόξασα συμπόσιον βασιλέως, οὐδὲ ἔπιον οἶνον σπονδῶν· καὶ οὐκ εὐφράνθη ἡ δούλη σου ἀφ' ἡμέρας μεταβολῆς μου μέχρι νῦν, πλὴν ἐπί σοι κύριε ὁ θεὸς Ἀβραάμ. *) Deinde quamquam mul-

*) A. Lengerke de libro Estherae ita docet: *mag dem legendenartigen B. E. auch Geschichte zu Grunde liegen, so tritt doch der Hauptzweck hervor: die Volksgenossen zu belehren, dass die dem väterlichen Glauben und dem* ***Ceremonialgesetz*** *treuen Juden auch*

ta, quae narrantur, imo tota Estherae historia ad laudem Iudaeorum et opprobrium eorum, qui illis adversarentur, composita est, tamen nusquam ira aut studium narrantis cernitur. Mordechaeus et Esthera non aliis efferuntur laudibus nisi quae ipsa narratione contineantur, de Ahasvero contra nullum omnino profertur iudicium et si Hamanis nomini Iudaeorum odii nota nonnunquam additur (3, 10. 7, 6. 9, 34.), hoc a consilio auctoris repeti nequit, sed ex ipsa historia nascitur. Eo etiam loco ubi ipsum discrimen Iudaeorum Persarumque gravissimum tangitur, ubi multi Persae traduntur ad Iudaeos transiisse (מתיהדים 8, 17.), nihil ad rem augendam additur, ne ipsum quidem illud discrimen accuratius significatur.

Quae cum ita sint, primum manifestum est, illud nominis divini silentium in libro nostro cum tota res Estherae narrandi ratione copulatum esse. Deinde vero falluntur ii, qui in historia Estherae illam Iudaeorum superbiam omniumque ceterarum gentium contemtionem, et invidiam, quae vexationibus Ptolemaeorum et Seleucidarum crudelissimis maxime inflammata sit, apparere iudicant, ideoque eius originem postremis antiquitatis Iudaicae temporibus adscribendam esse (cfr. Bertholdt. p. 2437. de Wett. p. 251.). Illi ad solam Iudaeorum victoriam et trucidationem spectant, sed multo minus res quaeruntur, quam ratio, qua res tractatae sint. Haec autem ratio a pravo illo studio, quod critici sibi videntur deprehendisse, tam longe abest, ut ipse quasi nervus Iudaeos et ceteras gentes distinguendi et inter se opponendi, rerum sacrarum discrimen, ne verbo quidem in libro nostro tangatur. Haec autem res ad quaestionem nostram sine dubio plurimum valet. Nam non solum opinio illa, narrationem de Esthera multo tempore post

---

in den gefahrvollsten Verhältnissen durch Gottes Schutz auf das Wunderbarste obsiegen. Hieher gehört besonders der Umstand der verweigerten Adoration, die den Mordechai und alle Juden in die grösste Gefahr, aber doch zuletzt zum Ziele führt. Ferner dass Esther in aller Rücksicht dem Gesetze treu bleibt und sich durch Fasten und Beobachtung der Speisegesetze die Gunst ihres Gottes zu sichern sucht. Ex hoc de libro Estherae iudicio coniiceres, recentissimum Danielis interpretem doctrinam profiteri Romanam, quae inter volumen Estherae et appendicem Graecam distingui vetet.

Persarum dominationem ortam esse ideoque non satis certam posse haberi, hoc libri ipsius ingenio excluditur, sed haec peculiaris Iudaeorum virtutis et praestantiae negligentia vehementer adversatur suspicioni, quam per totam scriptionem nostram impugnandam nobis sumsimus, res Estherae aut prorsus fictas aut certe multis fabulis auctas et exornatas esse. Si enim Iudaeus aliquis historiam Estherae finxisset, is certe neque sibi neque aliis satisfecisset, nisi omnia ad summum Deum, qui Iudaeos sibi peculiari quadam gratia elegisset ideoque quicunque contra eos surgerent, perderet, retulisset; idque eo facilius fecisset, cum tota reliqua Iudaeorum historia ad ipsum rerum omnium gubernatorem ubique recurreret. *) Et haec causa fuisse videtur, cur auctor additamentorum, quem historiae Estherae, quaecunque ei viderentur convenientia, ex ingenio suo addidisse manifestum est, somnium Mordechaei induceret, idque statim initio poneret. Hoc enim somnium, quo omnia, quod postea evenerunt, figurata et praefinita sunt, est quasi fundamentum, cui tota Estherae historia superstructa sit, sive potius quasi quaedam specula, de qua lector res, quae omnes humi paene serpant et in profanis aulae regiae cubiculis agantur, melius possit contemplari et admirari. Hanc mentem fuisse auctoris in somnio illo fingendo cum ex re ipsa tum ex aperta Mordechaei professione apparet; cum enim post eventum somnii sui memor factus esset, haec verba narratur eloqnutus esse: *παρὰ τοῦ θεοῦ ἐγένετο ταῦτα.* Quae cum ita sint, satis certo coniici licet, istum defectum voluminis Hebraei bene sensisse et hoc artificio complere voluisse.

Quodsi haec singularis libri nostri taciturnitas ex studio aliquo fingendi nullo modo potest repeti, quid tandem sibi vult? nam quin consulto instituta sit dubitare iam non possumus. Si ad silentium de Dei nomine, unde profecti sumus, recurrimus, similis est quaedam ratio duorum aliorum librorum, qui in codice Israelitarum sacro reperiuntur, dico libros

*) Non solum auctor appendicis saepe Dei nomen adhibuit, sed etiam interpretes Graeci et Iosephus, qui toti ex volumine Hebraeo penderent, non potuerunt, quin passim Dei mentionem interponerent.

Iobi et Koheleth, qui vulgare inter Hebraeos Iehovae nomen vitare studeant. Horum autem librorum indolem accuratius inspicienti facile constabit, hanc rem non esse fortuitam, sed ex ipsius argumenti natura repetendam. Utriusque enim libri argumentum versatur in loco quodam, qui ut ita dicam extra peculiarem a Deo Israelitis traditam doctrinam positus est. Iam vero quod de horum librorum, qui ad didacticum, ut loquuntur, genus pertinent, doctrina valet, nonne idem vel prorsus simile in libri Estherae historiam cadere censendum est? Deus populum suum a summo periculo peculiari quodam modo servat; id quidem saepius fecit, sed alias homines extraordinariis et mirificis pietatis, fortitudinis et potestatis dotibus instruxit eosque iis rebus, quas in honorem populi sui agere voluit, praefecit et in luce quasi posuit, ut ab omnibus pro suis ministris possent agnosci. Omnia praeterea ad terram sacram, ad templum, ad certas denique et constitutas rerum sacrarum formas spectabant. Hic vero omnia longe secus se habent, nullus homo eximia quadam pietate sive extraordinaria potestate insignis, nullum facinus, quod toto genere a vulgari rerum terrestrium ordine diversum sit; Mordechaeus et Esthera non solum a patria peregrinantur, sed in aula regis luxuriosi, eiusdemque Iudaeorum oppressoris degunt ibique summis gaudent honoribus, neque vero, quamvis nihil improbi committant, tanta excellunt animi fortitudine, ut quidquid possideant in solam Dei sui gloriam convertere possint, *) denique ut omnia breviter complectar, Deus in historia Estherae ita agit, quasi non sit Deus Israelitarum. Attamen cur auctor libri nostri non solum Dei ipsius, sed omnem apertam rerum sa-

*) Recte monet Corrodi: *Mordechai und Esther zeigen gar nicht den Patriotismus des Nehemia und Serubabel. Sie denken nicht daran, den verschwenderischen König zu bewegen, den Tempel herrlich und prächtig bauen zu lassen und dem Herodes seine künftige Arbeit zu ersparen* (p. 70.). Si idem vero addit: *Alles, sowie man es von einer dichterischen Arbeit erwarten kann*, equidem sane nescio, quid dicat V. D. opus poeticum, nisi forte opinetur, poetas ignorantia sive negligentia omnia contra veritatis speciem fingere. Poeta Hebraeus, qui laudes Mordechaei et Estherae celebrare voluerit, talia profecto ornamenta, qualia criticus desiderat, addere non oblivisceretur.

crarum commemorationem dedita opera vitavit? nonne suffecit propter illam historiae ipsius rationem, quemadmodum in libris Iobi et Koheleth factum est, nomen Iehovae tacuisse? Historicus noster narrare voluit, quo modo Israelitae Estherae eiusque tutoris Mordechaei ope a maximo vitae periculo liberarentur. Iam si apud eum constitutum erat, ut huius auxilii naturam et rationem ipsa narrationis forma accurate exprimeret, eam ad illorum populi sui vindicum sensum atque ingenium componere debebat. Hi autem quamvis veri Dei essent cultores, hanc tamen pietatem intimis potius cordis sui vitaeque domesticae penetralibus abscondebant, quam publica et aperta professione alios offendebant. Quae cum ita sint, in hoc silentio admodum validum simplicitatis et fidei historici nostri inest documentum; quippe cum illa singularis narrandi ratio ex sola rei ipsius veritate et summo hanc veritatem quam accuratissime exprimendi studio debeat explicari.

Haec res ad aliud nos ducit argumentum. Si enim personae historiae nostrae praecipuae per se spectantur, omnia egregie inter se conveniunt, et certum atque constans cuiusvis ostendunt ingenium. Praeter Mordechaeum autem et Estheram, in quorum ingenio et moribus summum historiae nostrae eiusque formae momentum positum esse vidimus, respiciendae sunt personae Ahasveri et Hamanis. Haec personarum constantia eo manifestius est veritatis indicium, cum Iudaei minime quemadmodum Graeci artem historias fingendi calluerint.

Supra iam monitum est, appendicem Graecam a somnii cuiusdam, quod Mordechaeo tribuatur, mentione incipere. Mordechaei nomen igitur statim principio ponitur et ita quidem exornatur: *Μαρδοχαῖος — ἄνθρωπος Ἰουδαῖος οἰκῶν ἐν Σούσοις τῇ πόλει, ἄνθρωπος μέγας, θεραπείων ἐν τῇ αὐλῇ τοῦ βασιλέως.* Longe aliter exorditur historia Hebraea. Narratis epulis Ahasveri et quae in iis acciderunt, Mordechaeus demum inducitur nullis laudibus adhibitis *) (2, 5.); neque vero hoc loco alio nomine Mordechaeus commemoratur, nisi ut necessitudo eius cum Esthera, quae iam iam proditura sit, appareat: quae quidem necessitudo pri-

*) איש יהודי היה בשושן הבירה ושמו מרדכי.

mum simpliciter exponitur. Narratur igitur Mordechaeus ex iis Iudaeis, qui cum rege Iechonia a Nebucaduezaro Babyloniam abducti fuerint, oriundus fuisse. Cum vero traditum sit, Nebucadnezarum nobilissimos quosque Iudaeos cum Iechonia cepisse, inferioris autem ordinis homines in patria reliquisse, (2 Reg. 24, 14—16.) coniici liceat, Mordechaeum ex nobili loco ortum esse. Is Estheram puellam sibi cognatam (בת דודו), cum parentibus suis esset orbata, in tutelam suam suscepit. Haec vero adoptio non ex necessitate aliqua, sed ex vero amore et misericordia nata est; paterna enim providentia saluti eius consuluit, cum in gynaeceum regium esset transitura, neque vero cum optime eam collocatam esse sciret, haec desiit providentia, quae egregie pingitur his verbis: ובכל יום מרדכי מתהלך לפני חצר בית הנשים לדעת את שלום אסתר ומה יעשה בה (2, 11.). Esthera contra tutori suo non modo obediebat, quamdiu in eius potestate erat, sed neque regia dignitate sua et honore neque pravorum morum peste, quae haud scio an nusquam vehementius saeviat, quam in gynaeceis regum Asiaticorum, corrupta et depravata est. Regina Persarum Mordechaeum captivum nihilo minus coluit, quam cum puella esset orbata eidemque captivitatis iugo subiecta. Hoc Estherae ingenium ita nobis narratur: ואת מאמר מרדכי אסתר עשה כאשר היתה באמנה אתו (2, 20.). Et egregium huius rei documentum capite quarto ante oculos nobis ponitur. Quam teneram indicat reginae sollicitudinem de aulico homine, quod simulac squalorem eius et eiulatum comperit, statim munda ei misit vestimenta, quae indueret. *) Quanta vero fiducia et virilis constantia cernitur in Mordechaei, qui illud doloris levamentum strenue recuset, mandatis, quae remisit ad Estheram! Cum causa agatur totius gentis Israelitarum, reginam non rogat, sed tamquam tutor iubet atque minatur. Et quantopere ad femineam ignaviam et debilitatem aptum est responsum, ab Esthera ad primum Mor-

*) Similem mulieris lenitatem amabilem pingunt verba Estherae ad Ahasverum prolata: כי איככה אוכל וראיתי ברעה אשר ימצא את עמי ואיככה אוכל וראיתי באבדן מולדתי (8, 6.). Deinde postquam Esthera audivisse narrata est Mordechaei Iudaeorumque luctum, dicitur de ea ותתחלחל (4, 4.).

dechaei mandatum redditum! Praesentis periculi timore reverentia, qua tutorem suum colit, et amor, quo populum suum amplectitur, vincitur. Nulla igitur acerbitas vel indignatio propter Mordechaei audaciam in illo responso apparet, sed summa cautio et timiditas. Primum summopere curat, ut summum periculum vere instans ostendat; exstat lex, inquit, quae omnem ad regem aditum temerarium capitis damnat; atque hoc certissimum est, nam quicunque rerum publicarum Persarum habet notitiam, hanc legem novit. Neque vero equidem sperare possum, fore ut rex meae temeritati per singularem quandam gratiam indulgeat, nam cum per totos triginta dies ad regem non advocata sim, non immerito suspicio me tenet, regem mihi parum favere.*) Iam reliquum fuit, ut adderet conclusionem et summam suam sententiam, propter hoc periculum certissime imminens se nullo modo posse obedire mandato Mordechaei. Sed cum hanc ipsam apertam obedientiae recusationem propter summam Mordechaei reverentiam profiteri timeret, hanc sententiam suam subintelligendam reliquit. At cum Mordechaei constantia hac Estherae timiditate non frangeretur, sed iterum idem mandatum ei proponeret additis irae divinae minationibus, Esthera huic severitati resistere non amplius sustinens, pollicetur se divino auxilio implorato regem esse adituram. Quamquam non statim plena fiducia ac fortitudo primam timiditatem superare et expellere potuit, et hanc animi suspensi affectionem admodum breviter et nervose prodit his verbis: וכאשר אבדתי אבדתי. Quam simpliciter et quam ad veritatem haec omnia narrata sint, maxime ex comparatione historiae Iudithae fictae, quae simile tractet argumentum, sole clarius elucet. Quam multus est ille liber in heroide sua laudanda, ut primum in historiam inducitur! Quam nulla in ea trepidatio aut timiditas muliebris! Quam fortiter et audacter consilium praefectorum suorum increpat!

At vero maximam movent difficultatem critici propter responsum, quod Esthera regi Ahasvero 9, 12. 13. dedisse narratur. Etenim cum Ahasverus, postquam Iudaei Susiani libe-

*) Ita mihi bene Eichhornius videtur clausulam responsi Estherae explicare.

ram se ulciscendi potestatem nacti per unum diem quingentos adversarios et decem filios Hamanis occiderunt, ex Esthera quaereret, quid praeterea optaret, Esthera petivit, ut rex in posteriorem etiam diem iis quidem Iudaeis, qui Susis habitarent, eandem concederet potestatem, qua pridie usi essent, et decem filios Hamanis patibulo affigi iuberet. Critici exhauriunt paene omnem verborum copiam, ut hanc inauditam Estherae crudelitatem satis fortiter exprimant. Nos quidem non suscepimus apologiam sive panegyricum Estherae scribere, sed fidem historiae illius defendere; itaque non quaerimus, utrum illa petitio excusari vel laudari possit, nec ne, sed hoc unum ad rem nostram facit, utrum ea tantopere pugnet contra omnem probabilitatem, ut fides historici merito idcirco in dubium vocari possit. Eiusmodi autem rem, quamvis sit crudelissima, in universum fieri posse, nemo cautus et prudens negabit, nam quis est, qui mare illud humanae acerbitatis, irae, odii, invidiae totum perscrutatus sit? Et qui illustria huius insaniae exempla videre velit, is adeat ad sedes dominationis Asiaticae et imprimis ad gynaeceorum regiorum penetralia. Attamen causa nostra non amplius est integra, neque prorsus in universum potest quaeri. Etenim Esthera non est persona ignota, sed eius ingenium ex iis, quae praeterea de ea narrantur, aliquantum certe cognoscitur. Vidimus Estheram non esse feminam, qualis quidem fingi possit, sed quales pie ac diligenter educatae beneque moratae feminae esse soleant; itaque manifestum est, contra morum esse constantiam, si in eam immanis aliquod exemplum cadat crudelitatis. Hanc ob causam quaestio nostra morale aliquod habet temperamentum, et hoc est, cur eam hoc loco tractemus, quo ex ingenii Estherae descriptione argumenta petimus ad fidem historiae tuendam. Verene igitur illa Estherae petitio tam monstrosam spirat ultionis libidinem et flammam, qualem adversarii illi pingere student? Equidem non opinor. Illi rem ita fere sibi videntur informare, quasi novo edicto regio, quod Esthera roget, Iudaeis potestas data sit, bene instructis et armatis Persas inermes et tranquille domique degentes subito adoriendi et trucidandi. Ita quidem, libenter fateor, non haberem, quo narrationem defenderem. Sed non ita est, bene enim tenendum,

Estheram nihil aliud Iudaeis expetere, nisi לעשות כדת היום.
Prioris autem diei edictum Iudaeis non nisi liberam ultionem permisit, itaque si ius ipsum respicimus, Persis sane plus conceditur, quam Iudaeis, illi habent potestatem adoriendi, hi vero vitam suam defendendi; et ex hoc edicto altero quoque die Persae adorti esse Iudaei autem se defendisse putandi sunt. Hoc etiam inde apparet, quod cum priori die quingenti Persae Susis essent interfecti, altero die non plus trecenti trucidati esse narrantur. Praevidit igitur Esthera, sat multos relictos esse inter Susianos adversarios, qui mortali Iudaeorum arderent odio eosque opportunam nacti occasionem quovis pacto essent vexaturi, alio autem tempore Iudaeis non facile liberam fore ultionem, neque tantam nomini eorum auctoritatem, quam quum regina et secundus post regem omnium rerum publicarum administrator, ex hac gente essent oriundi. Quare optavit Esthera, ut tunc potius odio illi Persarum execrabili habenae remitterentur, ne alio tempore Iudaeis hoc certamen nimis esset iniquum. Neque equidem video, cur hoc eius votum in malam partem interpretari debeamus, hoc certe fortiter defendo, rei popularis studium, quod in illo voto cernatur, multum differre ab eorum Iudaeorum, qui Ptolemenaeorum vexationibus in omnes peregrinos et ethnicos inflammati sint, odio vehementissimo, quod quidem odium haud scio an a nullo fere alio V. T. libro magis alienum sit, quam ab Estherae historia. Neque vero dici potest, illum Estherae amorem erga gentem suam ullo modo pugnare cum iis, quae alioquin de eius ingenio narrentur. Multo autem minus ignominia publica, qua cadavera filiorum Hamanis affici voluit Esthera, contra historiae probabilitatem potest afferri. Communis fere omnium populorum veterum erat opinio, in gravioribus criminibus causam patrisfamilias ab ipsa familia secerni non posse. Si ad Hebraeos spectamus, illustrissimum huius rei exemplum narratur in historia Achanis (Ios. c. 7.). Neque vero hoc contra Persarum leges fuisse testatur Ammianus Marcellinus 23, 6. (cfr. Hdt. 3, 118. 119. Inst. 10, 2.). Accedit quod hic manifestum fuit, filios Hamanis eodem, quo pater, scelesto Iudaeorum odio fuisse inflammatos, alias enim non primo ultionis Iudaeorum die cos adorti essent, neque occubuissent.

Magnum vidimus simplicitati, qua historicus noster res ipsas nude narret et ante oculos ponat, tribuendum esse momentum; sed magis etiam videtur efferri debere, quod praeter ea, quae ad ipsam historiam, quam sibi narrandam sumserit, pertineant nihil prorsus de Esthera addat, sed postquam eam narraverit de festo Purim instituendo mandatum edidisse, totam eius reliquam historiam et laudem alto abscondat silentio. Si fabulam voluisset narrare sive historiae alicuius argumentum iuventis suis exornare, quam larga ei fuisset materia ipsum finem libelli laudibus Estherae coronandi. Estherae contigit honor, qualis nulli unquam Iudaeorum, regina facta est vasti imperii Persici; neque solum titulum habuit huius dignitatis, sed tanta valuit apud Ahasverum auctoritate, ut quidquid vellet, ab eo impetraret; deinde gentis suae, quamquam peregrina cincta erat corona, minime immemor facta est sed quavis poterat ratione saluti eius consulebat. Iuditha, quae vix cum Esthera possit comparari, quam longe aliter celebratur! Non modo refertur carmen, quod dicitur cecinisse, sed tota re, cuius argumentum tractat historia illa apocrypha, absoluta, auctor etiam quid postea de ea actum sit, complectitur, et magnis laudibus cumulat: eam in tota terra Israelis summis sublatam esse honoribus, et postquam aetate annorum centum quinque constituta mortua fuerit, populum per septem dies luctum publicum instituisse et id quod maximum est, per totam eius vitam et multum tempus post neminem Israelitas ausum esse vexare. Simili quodam epilogo fabula Tobiarum exornata est. Tantopere igitur cum nostri silentium a propria fabularum natura ac ratione absit, non nisi ex ipsius veritatis, in qua coniiciendi nobis relinquatur locus, studio potest explicari. Esthera sive statim post festi Purim institutionem mortua est, sive nullum posterius eius factum memorabile notum fuit, sive historicus firmiter sibi proposuit, ut ne fines argumenti sui, quod maxime ad festum Purim celebrandum spectaret, egrederetur. Postremae autem opinioni repugnare videtur, quod in libri clausula nonnullas universas sententias de Mordechaeo addit, quae, si ad vivum resecantur, ad reliquam historiam non pertinent. His quidem enuntiatis continetur laus Mordechaei, sed iam illud de Esthera silentium sa-

tis validum est argumentum, hanc Mordechaei laudationem aliam habere causam, quam ut fictis ornamentis historiae ipsius defectus compensaretur. Neque vero ita hoc loco disputamus, quo omnis laus eorum hominum, qui in commentariis historicis commemorentur, fidem eorum comminuat, sed haec est sententia nostra, si eorum, quorum mentionem commendare ipsum historicum plurimum referat, laus taceatur, hoc pro fide eius defendenda summo iure posse afferri. Praeterea in ipsa laudandi ratione magnum saepe cernitur veritatis indicium; atque tale indicium equidem mihi videor animadvertere in illo loco de Mordechaeo. Quam simplicia sunt verba: מרדכי היהודי משנה למלך אחשורוש וגדול ליהודים ורצוי לרוב אחיו דרש טוב לעמו ודבר שלום לכל זרעו. *) Nihil in his pravi studii vel exornationis, omnia ex iis, quae hucusque de Mordechaeo narrata sunt, sponte quodammodo sequuntur. Deinde haud negligendum videtur temperamentum aliquod laudis, quod inest in verbis: רצוי לרוב אחיו. Quidni positum est: לכול אחיו? Licet ponatur, multitudinem hoc loco universitati Iudaeorum non esse oppositam, certe non laudator Mordechaei rhetoricus nedum fabulae alicuius fabricator, tam ambigue et temperate esset loquutus. Sed equidem putaverim verum vidisse Abenesram, qui verba illa ita interpretaretur: multis fratribus i. e. non omnibus. Hoc mihi bene in totam historiam videtur quadrare. Si enim nobiscum reputamus, Mordechaeum tacitam illam pietatem, qualem supra exposuimus, etiam in negotiis suis publicis sequutum esse, facile intelligitur, hoc pluribus Iudaeis, qui apertam Dei sui professionem et forte sacrarum rerum suarum praesidium postularent, tantae fuisse offensioni, ut gaudium propter summam popularis sui potestatem, invidia et odio vinceretur.

Eandem veritatem ac simplicitatem videmus in iis, quae de Ahasvero et Hamane, qui Estherae et Mordechaeo quodammodo sunt oppositi, narrantur. In regem magnum Persarum, ut supra expositum est, nihil magis quadrat, quam summa

*) Fortasse propter hanc libri clausulam Mordechaeus nonnullis visus est primas in tota narratione tenere partes, et haec causa fuit, cur 2 Macc. 15, 37. festum Purim de nomine Mordechaei appellaretur.

epularum, quae statim initio libri referuntur, laetitia, neque ulla huius laetitiae causa gravior et convenientior efferri potuit, quam quae indicatur verbis illis: בהראתו את עשר כבוד מלכותו ואת יקר תפארת גדולתו (1, 4.). Eadem superbia et ostentatio cernitur in edicto, quo reginam iubet arcessi, ut populo suo et nobilibus eius pulchritudinem ostendat (1, 11.). Talis autem superbia simulatque rem aliquam sentit sibi adversantem statim transit ad iracundiam, qui quidem transitus quo quis potentior rerumque adversarum insuetior, eo fit vehementior. Quare cum Vasthia praeter morem in publicum prodire nollet, rex non quaesivit utrum pudoris causa non obtemperaret an contumacia instigata, sed tanta ira exarsit, ut extemplo reginae repudium remitteret. Quam apta vero ad huius iracundiae fervorem, qui inconsulto ad ipsum facinus properet, sunt ea, quae v. 1. capitis II. narrantur: cum ira regis deferbuisset, eum Vasthiam et quid de ea decretum esset, in memoriam revocasse! Interpretes recte monent, hanc Vasthiae recordationem sine dubio cum desiderio eius et poenitentia, quod ob tam levem causam tantas luisset poenas (זכר אשר עשתה ואת אשר נגזר עליה) fuisse coniunctam. Ceterum si quaeritur, cur haec tota narratio de epulis Ahasveri et Vasthiae repudio rebus Estherae praemissa sit, responsum in promptu est, hoc ideo esse factum, ut prima causa, cur Esthera in aulam Ahasveri veniret, memoriae proderetur. Fortasse quoque historicus luculentum aliquod opulentiae et potentiae Ahasveri edere voluit documentum, quo quaenam Estherae conditio esset, manifestius appareret.

In iis vero, quae deinde de virginibus conquirendis et ornandis dicuntur, nihil inest, quin in omnium regum orientalium libidinosorum conveniat ingenium ac morem. Sequitur iam historia Hamanis. Hunc Agagitam Ahasverus subito narratur ad summam extulisse dignitatem et maximis cumulasse honoribus; omnia in eiusmodi hominibus, qualis Ahasverus nobis iam innotuit, immoderata sunt et inconsulta. Quare non dubitavit ipsam regiam adorationem, quod procul dubio summum erat fastigium honoris, Hamani suo conciliare. Omnes aulici ministri, qui regis edicto nullam omnino legem superiorem scirent, statim se praeter unum Mordechaeum coram in-

timo regis amico humum prostraverunt. Et ad hominum eiusmodi ingenium valde accommodatum est, quod postquam frustra Mordechaeo legem regiam in memoriam vocaverint, Hamani dicuntur detulisse לראות היעמדו דברי מרדכי כי הגיד להם אשר הוא יהודי (3, 4.). Nimirum hoc iis nimis erat absurdum et ridiculum, quod Mordechaeus Iudaeus per peculiarem aliquam gentis consuetudinem contra mandatum regis et honorem summi ministri agere sibi posse videretur. Ecce vero tumorem hominis, cuius animus eximiis regis blanditiis tantopere quasi esset emollitus, ut vix umbram rei alicuius adversae adspicere posset sine summa iracundia. Simulatque conspexit Mordechaeum praescripto honore maiestatem suam non colere, ימלא המן חמה ויבז בעיניו לשלח יד במרדכי לבדו כי הגידו לו את עם מרדכי ויבקש המן את כל היהודים אשר בכל מלכות אחשורוש עם מרדכי *) (3, 6.). Hanc muscam pungentem solam necare parum dignum visum est homini superbissimo, loco suo, ideoque totum illud genus tristissimum, ex quo iste ortus esset, exstirpandum esse censuit. Accedit, quod obtrectatores Mordechaei invidi rationem, cur ille adorationem recusaret, addiderunt, inde Haman sine dubio collegit, ceteros Iudaeos non externo solum necessitudinis vinculo cum Mordechaeo isto cohaerere, sed propter communem legem et consuetudinem, ad quam Mordechaeus provocasset, ad unum omnes eadem arrogantiae illius intolerabilis peste esse infectos. Itaque sortium superstitione die ad consilium suum exsequendum fausto invento rem suam regi proposuit; attamen ipsi facinus illud tam dirum videbatur, ut quamquam summa regis gratia et fiducia uteretur, sententiam simpliciter et nude proferre non auderet. Quam vero calliditatem ad consilium suum, sua ipsius causa, quam cum Mordechaeo habuisset, prorsus seposita, regi commendandum adhibuerit, supra iam monitum est. Tam caeca autem est fiducia, quam Ahasverus in Hamane suo ponit, ut nulla cautione opus fuisse videatur. Illico enim Ahasverus totum miserum illum populum Iudaeorum potestati Hamanis tradit et ad sententiam suam confirmandam addit sigil-

*) Quam nervosa haec est repetitio!

lum suum regium. Denique tam longe ab omni suspicione remotus est, ut pecuniam, quam ille thesauro regio pollicitus est additum iri, ipsi Hamani donet. Eadem regis caecitas et inconsiderantia in iis verbis cernitur, quibus Estheram temere solium regium adeuntem alloquutus est (5, 3.). Estherae intrantis pulchritudo sine dubio pristinum suscitavit amorem, qua quidem animi perturbatione ita commotus est, ut non solum illi veniam daret, sed dimidium etiam imperii sui, si vellet, polliceretur; *) et hanc promissionem postridie, cum apud Estheram vinum bibisset, repeteret (5, 6.). Mirati quidem sunt nonnulli, quod Esthera, cum regem tantopere sibi faventem videret, rem suam proponere tam diu cunctaretur, ut no postridie quidem, quum rex apud se coenaret, quid vellet pronuntiare auderet (Michaelis Or. Bib. II. p. 36. Eichh. p. 585.). Hi autem critici parum reputarunt, Estheram, quam regulas tutoris sui prudentis bene tenuisse manifestum est, Ahasveri vehementiae et inconsiderantiae prorsus contrariam fuisse. Ea bene scivit, quantum Haman apud regem polleret, quam arduum igitur esset facinus, illum accusare eiusque decretum irritum reddere. Quamobrem admodum caute processit et Ahasverum ad coenam vocavit, ubi reges Persarum petitionibus facillime solerent morem gerere (cfr. Hdt. 9, 110.). Facile autem in priori coena aliquid potuit accidere, quod Estherae prudenti consilio suo parum videretur favere; sive ut fieri assolet, timiditate quadam prohibita est, quominus mentem suam posset aperire.

Ex Estherae convivio Hamanem comitamur domum redeuntem. Vultus eius laetus atque hilaris conspicitur, nam rarissimus et exquisitus ei contigit honor, ut solus cum rege et regina coenaret: ביום ההוא (inquit noster) ויצא המן שמח וטוב לב (5, 9.). At quam subito haec frons lucida contrahitur! Adspicit in aula regia sedentem Mordechaeum, qui

*) Quanto simplicior est Hebraea narratio de hoc Estherae ad regem aditu et Ahasveri clementia, quam scena illa ab auctore additamentorum apocrypho excogitata, ubi Esthera, ut primum Ahasveri vultum adspexerit atrocissimum, palluisse dicitur, ut subita regis commutatio ex miro et peculiari quodam Dei auxilio repetenda videatur.

more suo coram Hamane neque surgit neque ullo corporis sui motu venerationem aliquam indicat. Hoc spectaculum detestandum omnem hilaritatem et dulcem summi honoris, qui modo sibi contigerit, recordationem ex animo Hamanis expellit, eumque totum iracundia imbuit. Quamquam consilium eius crudele contra Iudaeos felicissime ei processerat, quamquam certissime praevidit, Mordechaeum post aliquot menses pertinaciae suae gravissimas soliturum fuisse poenas, tamen ne minimum quidem temporis punctum illum sui contemtum ferre potuit; eodem ardore animus efferbuit, quam quum primum hanc Iudaei insolentiam vidit, itaque historicus prorsus iisdem utitur verbis, quibus supra וימלא המן על מרדכי חמה (5, 9.). Sed quamquam Haman ostentatione et crudelitate regem ipsum videtur longe superasse, tamen non tam inconsulto res suas miscuit et turbulente gessit, quam illum fecisse videmus. Quemadmodum apparet Hamanem in crudeli suo adversus Iudaeos consilio apud regem exponendo caute et prudenter egisse, *) ita quoque nunc, quamquam totus eius animus iracundia contra Mordechaeum inflammatus erat, tamen non praeceps in ultionem irruit, sed se continuisse narratur **) (ויתאפק המן v. 10.). Itaque cum domum revertisset, convocavit amicos suos et uxorem, qui ad rem illam molestissimam, quae sibi in itinere accidisset, e medio tollendam consilium excogitarent. Hoc autem non tulit superbia eius, ut casum illum, de quo esset quaerendum, simpliciter proponeret; primum quidem ostentationi suae tantum indulgeret necesse erat, ut omnes honores suos et praestantias quasi apud homines ignotos et peregrinos, ***) enarraret, in qua quidem oratione non obli-

*) Nonne quoque huius calliditatis documentum aliquod insigne deprehenditur in verbis: והמלך והמן ישבו לשתות והעיר שושן נבוכה (3, 15.)? Etenim videtur Haman regis animum his diebus potione occupasse, ne Susianorum perturbationem sentiret.

**) Fortasse regis ministrum temere violare dubitavit.

***) Ridiculum sane est, verba: ויספר להם המן .... רב בניו (5, 11.) in suspicionem vocare, quemadmodum Michaelis et Eichhornius fecerunt, quippe quum uxor ipsa noverit necesse sit, quot liberos pepererit. Haec sapientia profecto est de triviis nec a stolidissimo quoque fabularum inventore aliena! Hoc ex toto loco luce cla-

tus est, quod ei recentissimum erat in animo, se solum omnium apud reginam cum rege coenasse, et postridie etiam ab eadem esse invitatum. Tum denique transit ad dolorem illum, quo Mordechaeus modo eum vulneraverat, describendum, et quam vivida et ad praesentem rerum statum accommodata sunt verba Hamanis: וכל זה איננו שוה לי בכל עת אשר אני ראה את מרדכי היהודי יושב בשער המלך (v. 13.)! Familiares Hamanis, qui magnam eius perturbationem sentiant, consilium excogitant, quo mortale eius odium quam citissime extinguatur; hortantur ut statim supplicii crudelissimi instrumentum praeparetur et Mordechaeus postridie multo mane cruci affigatur, *) quo Haman, offensione illa tristissima e medio sublata, ad coenam reginae honorificentissimam laeto animo cum rege possit adire. Huius beatitudinis imago Hamanis animum tantopere cepit, ut omni haesitatione deposita consilium probaret et extemplo crucem praeparari iuberet. Non autem videtur negligendum esse, quod cum in concilio illo convocando uxor Hamanis amicis postponatur (v. 10.), in ipso consilio dando priorem habeat locum (v. 14.). Illa enim, quae mariti sui contumeliam vehementissime sentiret, omnium quoque sagacissima fuit in ulciscendi consilio excogitando.

Antequam autem Mordechaeus ex arbore ab Hamane praeparata suspendi potuit, nox intercessit. Hac nocte cum regem libidinosum somnus fugeret, ne temporis tarditate vexaretur, annales imperii sui recitari iussit. In quibus annalibus cum magnum aliquod Mordechaei commemoraretur officium, cuius gratia nihil ei contigisset remunerationis, hanc rem, qua erat vehementia, summo studio arripuit; statim Hamanem, cum in-

---

rius apparet, Hamanem non narrare, sed gloriari. Herodotus autem de Persis haec testatur: *ἀνδραγαθίη δ᾽ αὐτὴ ἀποδέδεκται, μετὰ τὸ μάχεσθαι εἶναι ἀγαθόν, ὃς ἂν πολλοὺς ἀποδέξῃ παῖδας· τῷ δὲ τοὺς πλείστους ἀποδεικνύντι δῶρα ἐκπέμπει ὁ βασιλεὺς ἀνὰ πᾶν ἔτος* (I, 136.). Huic testimonio suffragatur Strabo I. 15.

*) V. 14.: יעשו עץ גבוה חמשים אמה. Quo altior est arbor, de qua quis suspenditur, eo notior et gravior sit supplicii ignominia. Alias etiam cruces eiusmodi magna altitudine insignes commemorantur. Dereserus ad h. l. duo affert huius rei testimonia: Sueton. Galb. 9. Iustin. 18, 7.

terim dies illuxisset, advocavit eumque, quasi de imperii totius salute ageretur, consuluit (6, 1—6.). Hamanem, cum rex de homine loqueretur, quem honorare vellet, continuo de se ipso cogitasse, ex iis, quae de eo narrata sunt, tam consentaneum est, ut paene per se potuerit intelligi (v. 6.). Neque vero magis mirum est, quod omnem suam sagacitatem exhaurit ad novum et inauditum honorem excogitandum. Maiori attentione nostra dignum est, quod infandum illum stuporem Hamanis, cum eum, cuius supplicium heri decreverat et hoc ipso temporis momento regi voluit proponere, cum Mordechaeum istum invisissimum beatum illum hominem esse audiret, cui ipse honores suos exquisitissimos invenisset, et cum ipse ad contumeliam suam cumulandam hunc hominem in equum tollere et per plateas urbis honoris causa comitari iuberetur, historicus noster alto praeterit silentio. Ne hoc quidem loco, ubi omnia praeter spem eveniunt, ubi omnia invidiae, quam superbia et crudelitas Hamanis excitaverit, respondent et mirifice occurrunt, propter Mordechaei triumphum ulla syllaba auctor libri ostendit gaudium suum. Ad hanc subitam et admirabilem rerum vicissitudinem efferendam nihil aliud facit, quam simpliciter refert utriusque discessum: וישב מרדכי אל שער המלך והמן נדחף אל ביתו אבל וחפוי ראש (V. 12.).

Eadem simplicitas et taciturnitas inest in narratione de coena altera Estherae. Haman cum apud reginam cum rege solus omnium coenat, et intimus eius animus de hoc unico honore exultat; heu quid audit? ex ore Estherae, *) quam sibi summopere opinetur favere, sonant verba: איש צר ואויב המן הרע הזה. Pergit noster: והמן נבעת מלפני המלך

---

*) Memorabilis est differentia huius Estherae petitionis ab altera illa, quam post Hamanis mortem Ahasvero proposuit (8, 6.) Hoc loco admodum timide orat, suam personam et gentem leviter tantum tangit, libenter se cum populo suo in servitutem abituram esse profitetur; sed hoc maxime effert, Hamanem indignum esse, cui rex vitam universae gentis tradat perdendam. Postea vero, cum tot tantaque regis favoris accepisset documenta, audacior est facta, itaque non dubitat hoc summum petitionis suae argumentum facere, quod ipsa trucidationem populiarium suorum sustinere nequeat.

והמלכה (7, 6.). In hac scena Ahasverus omne suum ingenium manifestissime ostendit. Primo quidem obtutu miratio nos subit, quod Ahasverus Estheram, cum de summo suo et populi sui periculo instante loquatur, ne intelligere quidem videtur, quod gravissimi illius edicti de multorum millium civium suorum vita ac salute, quod ante aliquot dies cum Hamane suo decreverat et promulgaverat, nullam fere habere videtur recordationem. At si ad eius ingenium spectamus, mirari hoc non possumus. Etenim cum Haman consilium proposuisset, statim omnia eius arbitrio atque libidini tradidit: inde satis manifestum est, regem totam rem permagna tractasse levitate. Quod igitur non nisi leviter animum eius tetigerit consentaneum est post paucos dies iam ex memoria evolasse, praesertim cum non sine magna veri specie coniiciatur, Hamanem mentem regis vino detinuisse (3, 15.), ne forte poenitentia excitaretur. Attamen simulatque Ahasverus audivit, Hamanem esse crudelem illum Estherae suae eiusque populi adversarium, tota eius vehementia et iracundia, qualem supra iam vidimus, exarsit. Manifestum enim est, pristinum illum amorem, quo Esthera ab initio animum eius cepisset, hoc tempore denuo esse excitatum. Quam clementer et suaviter his diebus Estheram alloquitur! quam comiter omnibus votis eius morem gerit! Quamobrem cum Esthera de summo aliquo periculo, quod sibi ipsi et populo suo immineat, loquitur, animus eius vehementer iam commovetur, quae quidem commotio egregie a nostro describitur: ויאמר המלך אחשורוש ויאמר לאסתר המלכה מי הוא זה ואי זה הוא אשר מלאו לבו לעשות כן (7, 5.). Bene enim de his verbis monet Rambachius: geminatio (in verbo ויאמר) indicat, eum asseverantissime dixisse, cum magna vultus vocisque constantia. Altera geminatio (in interrogatione) iram, vehementem animi commotionem prodit (cfr. Drusius in Ann.). Praeterea rex fide Estherae data obstrictus tenebatur. Itaque cum Hamanis consilium toti animi eius affectioni et libidini praesenti e contrario esset oppositum, summus favor et gratia, qua usque ad hoc tempus Hamanem erat prosequutus, statim conversa est in odium flagrantissimum. Haec subita rei vicissitudo, quod totius historiae summum est momentum,

in ipsius regis animo posita est, et eo minus mira atque incredibilis videri debet, quum, quoniam multi reges orientis Ahasveri sunt similes, eiusmodi subitae mutationes in aulis Asiaticis admodum vulgares sint. Heerenius postquam monuit momenta rerum publicarum in oriente plerumque non in rationibus ac legibus esse posita, sed in regis, reginarum et spadonum libidinibus atque nutis, hanc sententiam, quae ad rem nostram illustrandam plurimum facit, addit: *der eiserne Scepter der willkürlichen Gewalt fiel zunächst auf die Häupter der Grossen und Mächtigen, vor allen auf die, welche im Dienst der Herrscher stehen... Die Hinrichtungen von Paschas und Satrapen sind und waren immer dort die alltäglichsten Escheinungen* (*Ideen* I, 1. p. 422. 429.). Et Bruinaeus, qui ipse per orientem itinera fecit, ita in universum conditionem Vezirorum, qui dicuntur, describit, quasi historiam Hamanis narrandam sibi proposuerit. Cum de summa huius muneris potestate multa verba fecisset, ad pericula, quae cum summo hoc honoris fastigio coniuncta essent, describenda transiit, in quo loco inter alia haec leguntur: en un mot la fortune de ce premier-ministre depend uniquement de la volonté d'un prince inconstant, qui suit aveuglement les mouvements de ses passions sans avoir égard à la raison, il ignore souvent la veille le malheur, dont il est accablée le lendemain (Voyages T. IV. p. 144.).

Itaque cum Haman grave iracundiae Ahasveri pondus sensisset, *) statim se proiecit ad pedes reginae, ut mortis periculum a se deprecaretur. Superbia enim Hamanis non erat vera sui fiducia, sed solis rebus externis, regis favore et gratia, nitebatur, itaque cum hoc confidentiae eius adminiculum corruere videretur, non dubitavit ad humillimas confugere adulationes. Et optime quadrat in eam, qua tunc Ahasverus constitutus erat, animi conditionem, quod hanc Hamanis apud reginam deprecationem in pessimam partem interpretatus esse

*) Narratur Ahasverus subito ex sede sua surrexisse et in hortos palatii secessisse. Hoc recentioribus quidem temporibus signum est, nullam spem gratiae esse reliquam cfr. Tavern. I. p. 233. descript. aul. Turc. p. 194., alium locum affert Dereserus.

narratur. *) Deinde quam egregie ira Ahasveri pingitur v. 9. Harbona unus ex eunuchis, qui in regis erant comitatu (v. 1, 10.), qui fortasse iam dudum Hamanis superbi invidus fuerat, cum sentiret, quid regis animum commoveret, consilio eius occurrere studuit. Itaque commemorat crucem, quam Haman Mordechaeo praeparaverit, et ut regis odium vehementius etiam inflammet, magnum officium, quod Mordechaeus illi praestiterit, in memoriam revocat. Haec res tantopere Ahasverum occupat, ut Harbonae sermonem interpellet his verbis: תלהו עליו. Huic mandato, quo arbor illa Mordechaeo tristissima praeter omnem exspectationem in gloriosum Iudaeorum triumphi signum commutata est, extemplo esse obsequutum historicus, qua solet ieiunitate, refert: ויתלו את המן על העץ אשר הכין למרדכי וחמת המלך שככה (7, 10.).

Quae deinceps de honore Mordechaei sequuntur, qui in locum Hamanis suffectus sit, facillime ex ingenio Ahasveri possunt explicari. Haec enim talium hominum est natura, ut semper ex rerum externarum pendeant vicissitudinibus. Quare ut Hamanis vehementissimum concepit odium, adversarium eius summo amplecteretur oportuit studio. Praeterea recentem habuit recordationem, Mordechaeum sibi aliquando vitam servasse, et tunc ab Esthera dilectissima necessitudinem suam cum Mordechaeo comperit (8, 1.). Hoc vero quispiam mirari possit, quod Ahasverus hoc tempore non eo favoris sui erga Iudaeos profectus est, ut edictum illud Hamanis revocaret, **) quod ille, qui nunquam legum auctoritatem multum curaret,

---

*) Praeposterum sine dubio doctrinae suae usum fecit hoc loco Adami, qui p. 59. ad hanc gravem Ahasveri criminationem adversus Hamanem explicandum confugit ad Herodotum, quippe qui I. 137. testetur, legem fuisse Persarum, ut ne quis propter unum crimen capitis damnaretur. Etenim cum constet, omnibus legibus Persicis voluntatem regis semper fuisse superiorem, vix quidquam a vera historia magis alienum fuerit, quam h. l., quo vehementissima Ahasveri ira narretur, ad eiusmodi aliquam legem provocare. Accedit quod non solum recentioris orientis populi, ut notissimum est, vehementi in rebus amatoriis laborant aemulatione, sed haec perturbatio sub coelo Asiae calidissimo inveterata est (cfr. Plut. Artax. c. 27. Themist. c. 23. Diod. 11, 56.).

**) Ita quoque auctor appendicis rem sibi videtur informasse.

cum Esthera abrogationem edicti illius tam enixe rogaret, huic uxoris carissimae petitioni legem aliquam de non revocandis edictis regiis opposuit. Aut hoc inconstantiae Ahasveri adscribendum est, aut illud quoque potest afferri, sensisse in hac re Ahasverum de suo ipsius agi honore et auctoritate, itaque in mentem eius venisse legem illam. Quod ipsa autem narratione de festi Purim insitutione, quae iam sequitur, ne nomen quidem Ahasveri commemoratur, sed Mordechaeus et Esthera omnia sua ipsorum auctoritate instituisse et mandasse narrantur, nemo mirabitur, qui qualis Ahasveri in rebus publicis administrandis incuria fuerit ex reliqua Estherae historia intellexerit. Sed hoc loco praeterire non possumus dubitationes, quas critici nonnulli de stili diversitate, quae in hac ultima libri parte appareret, moverunt. Tetigit hanc rem Michaelis (Ann. ad 9, 17.); Corrodi existimat inde a 9, 17. stilum transire ad simplex atque historicum scribendi genus, reliqua autem colorem quendam habere poeticum (p. 70.); Calmbergius denique in hac particula sibi videtur indagasse additamenta posteriora, quae ad simplicem historiam exornandam excogitata fuerint (ad 9, 17.). Diversitas quidem in narrationis forma nullum opinor lectorem attentum fugiet, sed hanc iustam esse causam, cur clausula libri in suspicionem vocetur, negamus. Est enim in hac parte abundantia quaedam, quae, ut recte monet Calmbergius, in praeceptis de festo Purim inculcandis et rebus iam commemoratis repetendis cernitur, sed haec abundantia ex historiam exornandi studio nullo modo potest repeti, quum prorsus nihil insit, quod exornationis speciem aliquam prae se ferat. Hoc manifestissimum fit, si quis eum locum, ubi tota Estherae historia brevi in conspectu est posita (9, 24 etc.), paulo accuratius inspiciat. Ne syllaba quidem ad res augendas addita est, neque quisquam simplicius atque ieiunius narrare potest. Hoc est quod sensit Corrodi, qui in hac maxime parte veram historiae indolem repererit. Abundantia autem illa ab reliquo libro aliena duplicem, quantum video, habet rationem. Primum in re ipsa est posita, narrat enim hic locus de institutione festi Purim, multiplex autem fuit causa, ex qua hoc festum ortum est: primum Iudaei sua sponte dies liberationis suae laetissimos celebrare coeperunt,

deinde Mordechaeus hanc laetitiam lege sanxit et anniversariam fecit et Esthera denique hoc Mordechaei mandatum literis suis confirmavit. Accedit, quod Mordechaeus literis suis causae festi Purim expositionem addidit. Potuit sane scriptor doctus et peritus haec omnia breviter ac sine repetitione comprehendere, sed bene cum simplicitate nostri, qui ubique rem sequatur, convenit, quod hoc loco, ubi res eadem saepius redeat, a repetitione parum caveat. Deinde monendum est, ipsam festi Purim institutionem summam fere totius historiae esse momentum. Quo autem simplicior et ab arte remotior est scribendi ratio, eo magis vis scribendi ex repetitione pendet (cfr. e. c. diluvii descriptio Genes. 7, 17 etc.).

Quae cum ita sint, historia nostra ita comparata esse censenda est, ut ab hac parte, in qua studium auctoris, itaque veritatis et mendacii discrimen facillime appareat, omnia tuta haberi debeant. Si ad rem ipsam spectamus, quaecunque de Mordechaeo et Esthera, de Ahasvero et Hamane traduntur, omnia ita bene inter se cohaerent, ut prae se ferant speciem probabilitatis et constantiam ingeniorum in levissimis etiam rebus et verbis bene tueantur. Sin autem forma narrationis respicitur, nihil apparet, quod exornationis causa fictum videri possit, imo tantopere auctor sibi temperat, ut ipsius animi cogitationes et sensus ubique taceat. Quam iniquum igitur est de Wettii de libro nostro iudicium: *man kann in Lösung fast aller einzelnen Schwierigkeiten durch Geschichtskenntniss und Scharfsinn glücklich sein; aber dem Ganzen wird man nie das Gepräge ächter Geschichte leihen, so wenig als dem sehr ähnlichen 3 B. Makk.* (p. 250.). Postquam rem ipsam demonstravimus non opus est de his de Wettii verbis fusius disserere; sed quod volumen Estherae cum tertio libro, qui Maccabaeorum dicitur, comparat, non possumus, quin paucis in quaestionem vocemus. Difficile sane est ad intelligendum, quomodo vir tam doctus et criticus alioquin sagax in tam parum aptam et ab omni veri specie destitutam comparationem potuerit incidere. Nemo fere in universum breviori et concisiori narrandi genere uti potest, quam qui historiam Estherae nobis reliquit. Quam contra diffusus est, quam multus in omnibus, quae narrat, is qui libellum illum Mac-

cabäeorum confecit! Qui insignia huius loquacitatis exempla videri velit, adeat descriptionem tumultus, qui propter Ptolemaeum inter Iudaeos exortus sit (c. 1.), et ridiculam sane abundantiam in agmine Iudaeorum recensendo (c. 4.). Admirati sumus in nostro summam castitatem in mentis suae ipsius sensibus celandis; nemo vero Iudaeorum res studiosius efferre et impudentius laudare, in adversarios contra eorum vehementius potest invehi, quam auctor tertii libri Maccabaeorum. Quam enixe Iudaei ab omni suspicione et opprobrio defenduntur 3, 3 etc. 3, 11.! Quam absurda est laus, quod Iudaeorum numerus tantus fuerit, ut ne per XL dies census eorum posset absolvi, imo ut papyri et calamorum copia non sufficeret ad nomina eorum scribenda (4, 19. 20.)! Quanta invidia obruuntur miseri illi Iudaei, qui a patriis moribus et caeremoniis defecerant (2, 32 etc. 7, 10 etc.)! Quid denique durius in hominem aliquem dici potest, quam quae in libro illo (2, 2. 14. 3, 11. 4, 16. 5, 16. 39.) de Ptolemaeo leguntur? Commentarios de rebus Estherae vidimus omnem Dei commemorationem consulto vitare, alter vero liber, quem de Wettius comparat, dedita opera omnibus fere rebus, quarum mentionem fecit, Dei nomen immiscet; ad Deum refert, quod Ptolemaeus, quae ipse summo studio per aliquot dies molitus erat, prorsus oblitus est (5, 24.); Deus effecit, ut Iudaei fierent innumerabiles (4, 19. 20.). Quid multa? qui fidem historicam libri tertii Maccabaeorum defendendam susceperit, is videat, quid agat, sed permultum a vero abest, qui hanc causam cum nostra, quae toto genere inter se differant, commiscere sibi posse videatur.

Caput III.

Rerum Persicarum cognitio, quae in volumine Estherae appareat.

Iam cum ex universa libri nostri indole ac ratione argumenta ad veritatem eius ab falsis suspicionibus vindicandam conquirere studuerimus, ad res singulas, quae historia nostra contineantur, quaerendas transeundum est. Quamquam dici potest, universam alicuius rei rationem non nisi ex singulis eius partibus posse cognosci, tamen habet haec de singulis historiae nostrae partibus quaestio aliud quoddam genus, quo ab illa, quam hucusque persequuti sumus, differat. Etenim si universam historiae alicuius indolem quaerimus, hoc maxime spectandum est, utrum ea, quae narrantur, habeant per se probabilitatem nec ne. Sed quodcunque fit vel factum est, non solum per se existit, sed arctissime cum rebus externis, cum moribus et institutis eius populi, loci et temporis, ex quo res illa, in quam inquiritur, originem duxit, cohaeret; et haec quidem cohaerentia rei ipsius gestae cum his causis externis rebus singulis, quas dicimus, continetur. Quare si ex harum quoque rerum ratione fides historiae examinatur, quaerendum est, quatenus ea, quae de certis quibusdam moribus et institutis aut apertis verbis narrentur aut ex rebus gestis colligi possint, cum reliqua historia alioquin nota conveniant.

Priusquam autem ad hanc ipsam quaestionem aggrediamur, breviter monendum erit de universa quadam libri nostri ratione, quae in rebus illis sepositis commemorandis cernatur, et quae per se nonnihil quoque afferat commendationis. Narrari quidem historia ita potest, ut quasi ex aëre videatur pendere, quia nusquam fere certa temporis et loci signa appareant. Hic narrandi modus plerumque eorum est, qui rerum, quos sibi narrandas sumserint, non satis accuratam teneant cognitionem,

sive eorum qui cum caput aliquod fabulae invenerint, eam probabili rerum secundariarum specie ornare nesciant. Ad hoc genus volumen Estherae non pertinet. Quemadmodum supra taciturnitatem historici nostri laudavimus, ita nunc abundantia eius efferenda est. Quaecunque enim ad historiam ipsam illustrandam et manifestius ante oculos ponendam faciunt, accurate referuntur. Huc pertinet magna sane numerorum et nominum, quae historiae inserta sunt, copia. Quatuor totius historiae praecipuorum momentorum tempus ex Ahasveri annis diligentur designatur (1, 3. 2, 16. 3, 7.). Dies etiam, quibus magni aliquid acciderit, annotantur (1, 4. 5. 3, 12. 5, 1. 6, 1. 8, 1. 9. 9, 1. 15.), *) quia ipsum punctum temporis commemoratur (6, 14.). Aliorum numerorum exempla inveniuntur 1, 1. 5, 14. 7, 9. 8, 9. 30. 9, 12. 15. 16. Deinde non minor diligentia cernitur in nominibus afferendis, cuius rei exempla haec attentione digna videntur: 1, 10. 14. 16. 2, 3. 5. 14. 21. 3, 1. 4, 15. 5, 10. 14. 9. 7 etc. Tum quam accurate describuntur tentoria regis 1, 6! Quam singularia et accurata sunt ea, quae de gynaeceis eorumque apparatu traduntur (2, 3. 9. 12 — 14.)! Denique quanta diligentia in tota narrandi ratione insit necesse est, si tota historia, ut supra demonstravimus, tam clare ante oculos nostros posita est, ut ubique causas et rationes perspicere possemus!

Ne autem oriatur suspicio, hanc in singulis rebus tradendis diligentiam ex singulari quadam inveniendi et fingendi sollertia posse explicari, demonstrandum est, illas res non solum accuratae historiae habere speciem, sed vere cum reliqua nostra rerum historicarum cognitione congruere. Per totam vero hanc quaestionem non negligendum est, Iudaeum esse, in cuius librum inquiramus. Satis enim inter omnes constat, Iudaeos, cum tota sentiendi et vivendi ratione a ceteris gen-

*) Nulla profecto causa fuit, cur Michaelis miraretur, quod dies tertius decimus ter in libro nostro (3, 13. 14. 9, 1.) legeretur (Annot. p. 115.). Nam rei ipsius natura postulavit, ut Mordechaei edictum ad eundem diem spectaret, qui ab Hamane ad Iudaeos trucidandos constitutus esset. Quod vero eodem die Haman scribas vocavit, sive casus habendus est, sive ut verisimile videtur, ex superstitione pependit (cf. Eichh. p. 601. etc.).

tibus segregati essent, non multum res peregrinas curasse, itaque in ceterarum gentium cognitione et historia admodum rudes fuisse. Illustria huius Iudaeorum ignorantiae documenta sunt libri, qui apocryphi dicuntur. Hi enim libri quamquam in patriis etiam rebus multum abest ut fidi possint haberi, tamen ubi ad aliorum populorum mores et instituta narranda adscendunt, omnia turbant et miscent. Et ne ille quidem liber, qui inter omnes fide historica excellit, primus qui dicitur Maccabaeorum, iis locis, ubi fines patriae suae egressus est, a gravissimis erroribus cavere potuit (cf. Eichh. *Einleitg. in die Apocryphen* p. 238.). Si hanc Iudaeorum ignorantiam considerannus, plurimum ad causam nostram iam facit illud, quod omnes dubitationes, quas non pauci neque indocti libri nostri adversarii protulerunt, argumentis satis validis tolli potuerunt. Historia enim, quam quaerimus, tota spectat ad terram alienam et praecipua eius capita cum Persarum moribus arctissime copulata sunt. Sed ulterius possumus progredi. Quamquam in illis difficultatibus expediendis plures iam loci historiae Estherae ex Persarum antiquitate illustrati sunt, multi tamen restant, qui, cum item ex Persarum institutis repeti debeant, demonstrant, auctorem voluminis Estherae sive ipsum iis rebus, quas narret, affuisse, *) sive ex locupletissimis testimoniis notitiam suam hausisse. Gravissimum pondus hac in re habet sententia Heerenii, cauti historici et in rebus Asiaticis admodum versati. Is enim non dubitat volumen Estherae in numero historiae Persarum fontium habere et saepius in quaestionibus suis eius testimonio utitur; verba eius sunt haec: *auch das Buch Esther rechne ich zu den Quellen der persischen Geschichte, das wenn es gleich nur eine fingirte Erzählung enthält, doch ein getreues Gemälde persischer Hofsitte enthält* (I, 1. p. 132.). Attamen quamquam hoc Heerenii de libro nostro iudicium magnam habet commendationem si ad eam spectamus quaestionem, in qua nunc versamur, nonne temperamento illo addito, historiam ipsam esse fictam,

---

*) Clericus ex summa rerum Persicarum peritia, quae in libro nostro inveniatur, colligit, auctorem historiae Ahasveri et Estherae aequalem fuisse.

haec nostra quaestio ad ipsum, quod tota hac scriptione sequimur, consilium prorsus inutilis redditur? Si, quamvis accuratissima sit auctoris cognitio rerum Persicarum, nihil proficimus ad demonstrationem, historiam non fictam esse, quid ad nos hunc locum accuratius perscrutari? Rosenmuellerus quidem iudicat male inter se convenire duas illas Heerenii sententias de libro nostro, eumque postulat inconstantiae. *Eben so befremdend ist,* inquit *Bibl. Alterthumsk.* I, 1. p. 376., *dass Heeren dieses Buch zwar für eine fingirte Erzählung, aber doch für ein Gemälde Persischer Sitten erklärt, sich auch öfter auf dasselbe als auf eine Quelle bezieht, und sogar sagt, das Innere des Harems der Persischen Könige finde man am treffendsten in der Geschichte der Esther geschildert. Ist es aber wohl wahrscheinlich, dass ein späterer Palästinensischer Jude in einer erdichteten Erzählung eine Schilderung des Persischen Hofes hätte geben können, die sich bei Vergleichung anderer alten und auch neuern Nachrichten als durchaus treu bewährt?* Equidem per se verba illa Heerenii parum inter se quadrare contendere vix ausus sim. Quid? nonne exstat liber ab antiquitate nobis traditus satis illustris, in quem duplex illa sententia bene conveniat? Xenophontis dico Cyropaediam, cuius narrationes de Cyri origine, educatione, sermonibus, rebus gestis maximam partem fictas esse apparet, sin autem de iis rebus quaeritur, quae non certo alicui tempori adstricta sunt, de Persarum institutis et consuetudinibus, fides eius probata est. Neque vero prorsus deest, quod Rosenmuelleri interrogationi opponatur. Primum quidni Iudaeus aliquis, qui tempori illi, in quod res Estherae incidisse censendae sint, fuerit aequalis, librum nostrum excogitasse sumatur? Deinde licet posterior in Palaestina vixerit auctor, quid impedit, quominus itinere orientem versus facto accuratum legum atque consuetudinum pristinarum, quae cum tempore non mutarentur et ipso imperio Persico sublato ad Parthos transirent, cognitionem sibi comparaverit eaque fabulam suam ornaverit? Quamquam haec speciem aliquam habent, tamen concedere nequeo, illam Heerenii sententiam hoc Xenophontis exemplo sustentari atque probari posse. Nam recte primum sumit Rosenmuellerus, si hi-

storia nostra fabula esse ponatur, auctorem necesse esse Palaestinensem aliquem fuisse eumque satis diu post tempora Persica vixisse. Nimirum quomodo aequalis aut fere aequalis scriptor apud populares suos rem aliquam fingere potuit, quae non angulo aliquo sed palam et quidem recens facta esset, quae non ad paucos homines, sed ad omnium Iudaeorum vitam ac salutem pertineret, cuius denique memoria anniversaria festi Purim celebratione reputeretur? Iam si Palaestinensis quidam esset inventor fabulae, qui iter aliquod eruditionis causa fecisset et peregrinos mores optime perdidicisset, singulare sane et inauditum hoc esset exemplum in eo populo, qui quamdiu externo aliquo societatis vinculo coniungebatur, peregrinas res nihil curaret. Sed esto hoc, concedamus etiam, quamvis hoc concedi non possit, nihil a festi Purim institutione et celebratione obstare difficultatis, tamen multum abest, ut libri originem explicare possimus. Xenophon Graecus erat et per eximiam literarum et artium scientiam atque exercitationem, qua gens illa excellebat, fundamento fictae et ornatae historiae suae sententias suas et rerum Persicarum notitiam cum probabilitate aliqua superstruere sciebat. Sed hoc arte sua efficere non potuit, ut liber ille pro vera historia acciperetur, sed iam antiquitus tradita est opinio, eum in Cyropaedia sua aliud sequi consilium, quam historiam Cyri narrandi. Quid autem, si ne elegans quidem Xenophon illud duplex argumentum ad unum librum historicum satis concinne componere poterat, de Iudaeo nostro exspectaremus, a Graecis literis et artibus illo quidem destituto? Nonne misere duae illae partes, doctrina Persica, et fabulae fictae argumentum, ubique distractae iacerent et hiarent? At nunc omnia ita bene sunt composita ac concinnata, ut quodvis enuntiatum eodem tendat, ut quaecunque ex rerum Persicarum cognitione hausta sint, aut ad ipsum libri argumentum pertineant aut ei illustrando inserviant. Non aliunde igitur accurata illa cognitio, si qua est in historico nostro, repeti licet quam ex ipsius rei, quam narret, veritate. Itaque pergamus, ut instituimus, et si laus illa, quam Heerenius libro tribuit, nobis quoque probata fuerit, permagnum ad causam nostram defendendam accesserit argumentum.

Cum ii, qui in historia nostra primos obtinent locos, omnes in aula degant regia, consentaneum est ea, quae de antiquitate Persarum tradita sint, ad hoc maxime spectare genus, quod pertineat ad regis personam, ad ministrorum publicorum ordines, ad imperandi rationes et formulas, denique ad omnes res aulicas. Atque ita est; quamvis sat brevis sit historia Estherae, nullus fere relictus est liber, ex quo tam multa de illo rerum genere disci possent. Iam quod ad regis Persarum personam attinet, caput fere in universum est illud, dominatores illos sui temporis potentissimos eo processisse arrogantiae, ut divinum sibi vindicarent honorem. Ex hac insania cum permulta alia eaque maxime mirabilia in historia Persarum repetenda sint, in nostro quoque libro insunt, quae inde videantur illustranda. Sed cum iam primo capite, ubi de Hamanis adoratione sermo erat, de hac regia divinitate loquuti simus, rem ipsam repetere nolumus.

Esthera cum a Mordechaeo ad periculum Iudaeorum instans apud regem deprecandum incitetur, legem quandam obtendit, quam omnibus dicit notam esse, ex qua lege nemini, quin vocatus fuerit, regem in palatio suo interiori sedentem sine capitis discrimine adire liceat (4, 11.). *) Haec lex ita nusquam, quantum equidem invenire potui, in rerum Persicarum commentariis traditur, sed ex illa causa universa facile potest repeti. Etenim si rex Deus quidam sibi esse videbatur, facile in illam cogitationem poterat incidere, se adspectum suum vulgus profanum quovis modo celare debere et omnem aditum temerarium pro crimine divinae suae maiestatis habere, itaque capitis damnare. Deinde quamvis lex ipsa apertis verbis nusquam alibi referatur, tamen passim plura com-

*) Iosephus Ahasverum narrat nuper hanc legem edidisse, sed cum Esthera prorsus in universum de lege aliqua loquatur, haec Iosephi narratio a Drusio (Obss. 12, 22.) merito pro suspecta habetur. Neque plus valet coniectura Chaldaei, qui Hamanem opinatur veterem illam legem denuo promulgasse. Iosephus praeterea addit: *περιέστηκαν δὲ τὸν θρόνον αὐτοῦ τελέκεις ἔχοντες ἄνθρωποι πρὸς τὸ κολάζειν τὰς προσιόντας ἀκλήτους τῷ θρόνῳ*, quae, cum in nostro libro item frustra quaerantur, ad rem exornandam, quamvis modo non inepto, inventa esse putanda sunt.

memorantur, quae legi illi similia sunt aut nobis persuadent, talem legem inter Persas exstitisse. De Deioce, quem primum Medorum regem facit, haec narrat Herodotus: *Δηϊόκης πρῶτός ἐστι ὁ καταστησάμενος, μήτε ἐσιέναι παρὰ βασιλέα μηδένα συγχωρέειν, δι' ἀγγέλων δὲ πάντα χρέεσθαι· ὁρᾶσθαί τε βασιλέα ὑπὸ μηδενός* (1, 99.). Quemadmodum autem multa alia, ut infra videbimus, ita quoque hic mos a Medis transiit ad Persas, et hoc iam factum fuisse videmus, antequam Darius Hystaspis filius rex Persarum creatus sit. Nam septem illi Magi occisores hoc sibi vindicarunt, ut nisi rex forte cum muliere rem haberet, liber sibi ad regem pateret aditus (Hdt. 3, 84. 128.). Itaque egregie Iustinus: apud Persas persona regis sub specie maiestatis occulitur (1, 9.); et similiter narrat Xenophon: *ὁ μὲν Πέρσης (βασιλεύς) τῷ σπανίως ὁρᾶσθαι ἐσεμνύνετο*, atque huic arrogantiae et inhumanitati Ageselai sui comitatem apponit (Ages. 9, 1. 1.). Aristoteles hunc regnm Persarum morem ita describit: *αὐτὸς, ὡς λόγος, ἵδρυτο ἐν Σούσοις ἢ Ἐκβατάνοις παντὶ ἀόρατος* (de mundo c. 6.). Haec ultima Aristotelis verba (*παντὶ ἀόρατος* cfr. Hdt. 1, 99.) ducunt nos ad aliud huius occultationis documentum, quod in libro nostro exstat, paulo obscurius. Septem regis consiliarii dicuntur: ראי פני המלך 1, 14. cll. v. 10. Ex hac ordinis illius ministrorum regiorum significatione apparet, paucis tantum copiam fuisse faciem regis adspiciendi. *) Exempla huius difficultatis regem videndi et conveniendi in historia anti-

*) Huc etiam videtur referendum, quod Hamanis facies, postquam rex gravem aliquam criminationem contra eum pronuntiaverit, illico tegumento abducta esse narratur 7. 8. Recte enim mihi Calovius, Rambachius et I. H. Michaelis videntur coniecisse, hoc ideo esse factum, quod Haman tanti sceleris suspectus indignus haberetur, qui sacram regis faciem amplius adspiceret. Nisi forte causa magis est universa neque ad solam regis personam adstricta, cum hic mos alias quoque, ut apud Romanos inveniatur (v. Dongtaei Anall. Sacc. et Deres. ad h. l.). Eodem fere modo se habere puto illud quod narratur 4, 2.: אין לבוא אל שער המלך בלבוש שק. Nulla enim est causa, cur hunc locum cum Eichhornio (p. 584.) miremur; nam facillime haec lex aut ex peculiari illa Persarum regum veneratione

qua saepius commemorantur (cffr. Hdt. 3, 140. Plut. Them. c. 23. c. 29. Nepo Conon. c. 3. et de recentioribus Persis v. Chardinus III. p. 304.).

Quamquam, dixerit quispiam, si lex illa nititur hoc summo regis personam suam occultandi studio, quid tum censendum de splendidissimis illis epulis, quas initio historiae nostrae Ahasverus adornasse perhibetur, in quibus non modo rex per totos sex menses coram omnibus totius imperii praefectis versaretur, sed etiam per septem dies in conspectu omnium Susianorum coenaret? Si ad vulgarem regis coenandi morem spectamus, hic quidem optime in illam occultam quadrat maiestatem. Athenaeus enim ex Heraclide Cumano haec tradit: *τὰ δὲ πλεῖστα ὁ βασιλεὺς μόνος ἀριστᾷ καὶ δειπνεῖ· ἐνίοτε δὲ καὶ ἡ γυνὴ αὐτῷ συνδειπνεῖ καί τῶν υἱῶν ἔνιοι* (4, c. 26. cfr. Plutarch. Artax. c. 5.). Ab hac autem quotidiana coenandi consuetudine distinguenda est conviviorum publicorum, quale est illud, quod in libro nostro narratur, celebritas. Attamen semper haec mira videretur, praesertim cum per tantam temporis diuturnitatem maneret, nisi ab Heraclide illo Cumano, qui loco Athenaei notato in coenis regiis describendis multus est, aliquid nobis traditum esset, quo, quod quidem ad regem attinet, celebritas conviviorum publicorum admodum temperaretur. Verba Heraclidis haec sunt: *τῶν δὲ τοῦ βασιλέως συνδείπνων οἱ μὲν ἔξω δειπνοῦσιν οὓς ὁρᾷν ἔξεστι παντὶ τῷ βουλομένῳ, οἱ δὲ εἴσω μετὰ βασιλέως· καὶ οὗτοι δὲ οὐ συνδειπνοῦσιν αὐτῷ, ἀλλ, ἔστιν οἰκέματα δύο καὶ ἀντικρὺς ἀλλήλων, ἐν ᾧ ὁ βασιλεὺς τὸ ἄριστον ποιεῖται, καὶ ἐν ᾧ οἱ σύνθειπνοι, καὶ ὁ βασιλεὺς ἐκείνους ὁρᾷ διὰ τοῦ παρακαλύμματος τοῦ ἐπὶ τῇ θύρᾳ, ἐκεῖνοι δ' αὐτὸν οὐχ ὁρῶσιν· ἐνίοτε μέντοι ἐπειθὰν ἑορτὴ ᾖ ἐν ἑνὶ οἰκήματι ἅπαντες δειπνοῦσιν, ἐν ᾧ καὶ ὁ βασιλεὺς, ἐν τῷ μεγάλῳ οἴκῳ· ὅταν δὲ βασιλεὺς πότον ποιεῖται* (*ποιεῖ δὲ πολλάκις*) *συμπόται αὐτῷ εἰσιν ὡς μάλιστα δώδεκα· καὶ ὅταν δειπνέσωσιν, ὅτε βασιλεὺς αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν, καὶ οἱ σύνδειπνοι, καλεῖ τοὺς συμπό-*

---

aut ex communi quadam de regia maiestate opinione potest explicari (cffr. Dereser. ad h. l. et Pauls. *Reise n. d. Morgenl.* §. 86.).

τας τούτους τις τῶν εὐνούχων. *) Ex hoc loco apparet, regem Persarum ne tum quidem, quum publicas institueret epulas, convivis suis tantopere indulsisse, ut liberam faciei suae adspectum praeberet, sed quantum posset ex publici convivii celebritate se in adytum illud solitudinis suae recepisse. Quae cum ita sint, exordium historiae Estherae non impedit, quominus Ahasverum quoque vulgarem regum Persarum consuetudinem in sacro quasi quodam secessu vivendi sequutum esse, et ex hac consuetudine illius legis, quam Esthera mandato Mordechaei opponat, severitatem repetamus.

Ad hanc sacram et circumscriptam solitudinem illud quoque videtur pertinere, quod magni reges non facile a solio suo aureo recedebant, cuius consuetudinis in nostro quoque libello duo invenimus vestigia. Statim initio Ahasveri imperium ita describitur: כשבת המלך אחשורוש על כסא מלכותו. Deinde cum Esthera ad regem intravit, eum invenit sedentem in sella sua regia et manu tenentem sceptrum aureum (5, 1. 2.). Haec regis conditio Oedero quidem tam mira est visa, ut hunc locum in suspicionem vocare conaretur (p. 132.). Sed tantum abest, ut scriptor hac in re erroris possit postulari, ut iure nostro eam ad accuratae eius scientiae et fidei referamus indicia. Etenim quantopere Persarum reges ipsam sedendi tranquillitatem et quasi quandam maiestatem amaverint videri licet ex Athenaeo, qui de magno rege loquens *ὅτε* ait *εἰς ἐσχάτην αὐλὴν ἔλθοι, ἀνέβαινεν ἐπὶ τὸ ἅρμα, ἐνίοτε δὲ καὶ ἐφ᾽ ἵππους, πεζὸς δὲ οὐδέποτε ἑωράθη ἔξω τῶν βασιλείων* (12, c. 11.); alio loco ita scribit: *ὁπότε καὶ ἀπὸ τοῦ ἅρματος κατίει φησι Δίνων βασιλεὺς οὔτε καθήλλετο ὀλίγου ὄντος ἐπὶ τὴν γῆν τοῦ ὕψους, οὔτε διὰ χειρῶν ἐρειδόμενος· ἀλλ᾽ ἀεὶ αὐτῷ χρυσοῦς δίφρος ἐτίθετο, καὶ τούτῳ ἐπιβαίνων κατήει καὶ ὁ βασιλέως διφροφόρος εἰς τοῦτο εἵπετο* (12, c. 8.). Et haec testimonia ipsa historia egregie probantur, saepius enim, si reges Persarum

*) Haec posteriora enuntiata demonstrant, singularem fuisse inter Persas potionem a reliquo convivio segregatam. Huic bene respondet, quod bis in libro nostro legitur: משתה היין (5, 6. 7, 2). cfr. Aelian. V. H. 12, 1.

ad bella longinqua proficiscentes et extra palatia sna degentes sequimur, in sellis suis regiis sedentes conspiciuntur. Xerxem, cum proelium ad Thermopylas lustraret, in solio sedisse testatur Herodotus (7, 212.). Eundem narrat Plutarchus (Them. c. 13.) in aurea sella sua sedentem pugnam ad Salamina contemplatum esse, et Harpocration tradit, hanc Xerxis sellam postea in Atheniensium venisse potestatem (v. Brisson. p. 683.).

- Postquam Darius copias suas in Europam transmiserit Mandrocles quidam narratur ζωαγραφάμενος πᾶσαν τὴν ζεῦξιν τοῦ βοσπόρου καὶ βασιλέα Δαρεῖον ἐν προεδρίῃ κατήμενον καὶ τὸν στρατὸν αὐτοῦ διαβαίνοντα (Hdt. 9, 88.). Si autem reges tantopere sedibus suis affixi erant, ut ne in bellorum et proeliorum strepitu ab iis discederent, quid mirum quod in domestica tranquillitate solio suo uti solebant? Ita Artaxerxes, cum Themistoclem adduci iuberet, sedens inducitur (v. Plut. Them. c. 29.), quemadmodum Esthera nostra Ahasverum adspexit sedentem. Neque vero quidquam, cum aliquis imperium Persarum nactus esset, citius fieri debebat, quam ut solio suo aureo imponeretur. Itaque Ariamenes, cum Artabanus imperium Xerxi adindicasset, statim exiluit, fratrem adoravit eumque prehensa eius dextra in solio regio collocavit (v. Plut. de frat. amore. c. 18.). Deinde quam arcta necessitudine sedes regia cum ipsius regis persona et dignitate copulari existimata sit, admodum perspicue demonstrat historia Xerxis cum Artabano patruo suo de bello Graecis inferendo certantis. Cum enim Xerxes somnium aliquod de illo bello habuisse sibi videretur, hortatus est Artabanum, ut regio ornatu indutus in sua ipsius sede consideret, ut si idem illi somnium contigisset, ab omni fallaciae suspicione liberaretur (Hdt. 7, 15.). Opinabatur igitur Xerxes, si quis solium regium conscenderet, eum ipsam regis personam induere. Et haec sine dubio causa fuit, cur apud Persas capitale haberetur hanc sacram sedem tetigisse (v. Hdt. 7, 16. Curt. 8, 4. Valer. Max. 5, 1. p. 245. Bip.). Haec omnia complectitur Dio Chrysostomus Persarum reges appellans ἐν θρόνοις χρυσοῖς καθεμένους βασιλέας (ap. Brisson. p. 103.). Et cum hac Chrysostomi loquutione optime convenit imago, quam describit Philostratus (Icon. 2, 32.), in qua rex Persarum cernebatur

in solio suo aureo (στικτὸς ὡς ταώς) sedens. Ex his tot tamque variis testimoniis manifestum est, locos nostros de Ahasveri כסא מלכות ex intima Persicae antiquitatis cognitione petitos esse.

Attamen loco 5, 2. difficultas aliqua, quamvis levis, oriri videtur. Curtius enim narrat Alexandrum Susis consedisse in sella regia multo excelsiori quam pro habitu corporis, et hanc ob causam mensam Darii apponi iussisse, cui pedes suos imponeret (Curt. 5, 2.). Iam si tam excelsum fuit solium regium, mirum videtur, quod Esthera tam prope ad regem accedere audet, ut sceptrum eius possit tangere. Attamen hic nodus facile solvitur, dummodo conspiciamus imagines monumentorum Persepolitanorum. In his enim imaginibus apparet etiam rex Persarum in solio sedens et sceptrum suum manu tenens. Hoc autem sceptrum minime ita breve est, ut alias plerumque pingitur, sed satis longum, ut rex ex altitudine sua commode ad supplices omnes posset porrigere. Ceterum sceptrum ut apud alias gentes ita apud Persas quoque pro signo regiae potestatis esse habitum cum illis imaginibus, tum ex loco quodam Herodoti apparet, ubi Xerxes ad Artabanum, qui Susa discessurus est, dicit: σοι ἐγὼ μούνῳ ἐκ πάντων σκῆπτρα τὰ ἔμα ἐπιτράπω (7, 52.).

Vana opinio de divina regum dignitate, qua et rex et populus Persarum imbutus erat, verbis etiam, quae ex ore regis proficiscerentur, ingentem conciliabat auctoritatem. Quemadmodum enim Dei coelestis verba efficacia esse neque vis eorum impediri posse existimabantur, ita quoque mandatum a terrestri Deo pronuntiatum sine ulla haesitatione perfici debebat. Hac simpliciter quidem sed admodum perspicue describitur in libro nostro 7, 8. Rex cum Hamanem ad Estherae lectulum cubantem adspicit, indignabundus quaerit: הגם לכבוש את המלכה עמי בבית, post hanc suspicionem ex interrogatione etiam quodammodo suspensam statim pergitur: הדבר יצא מפי המלך ופני המן חפו. Quam egregie hoc enuntiato potentia verbi regii ad oculos lectoris demonstratur! Neque vero videtur negligendum, ministrorum nullam fieri mentionem. Tam validum enim est, quidquid rex eloquitur, ut ad efficiendum nulla fere egeat ope aliena. Deinde quanta fe-

Digitized by Google

stinatio est in mandato Ahasveri ad Mordechaeum honorandum! At decretum regis non solum summa cum festinatione perfici debebat, sed quippe cum ex divina etiam sapientia esset ortum, revocari non poterat. Brissonius ad hoc demonstrandum ex Diodoro affert locum, ubi de Dario, qui Charidenum ad mortem duci iusserit, haec dicuntur: *εὐθὺς μετενόησε καὶ κατεμέμφατο ἑαυτὸν ὡς τὰ μέγιστα ἡμαρτηκότα, ἀλλ' οὐ γὰρ ἦν δυνατὸν τὸ γεγονὸς διὰ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας ἀγέννητον κατασκευάσαι* (Briss. p. 185.). In eandem sententiam afferri possunt verba, quae Artabanus Xerxi, qui illum ad nescio quid erat adhortatus, respondet: *εἰ δέ τοι οὕτω δέδοκται γίνεσθαι, καὶ οὐχ οἷά τε αὐτῷ παρατρέψαι* (Hdt. 7, 16.). Sed reges Persarum quamquam dii quidam terrestres sibi esse videbantur, ideo tamen vere non erant, quod opinabantur, itaque accidere poterat, ut quemadmodum alii homines in sententiis suis et decretis falsam aliquam opinionem vel vehementem animi perturbationem sequerentur et cum ad tranquillam et veram rerum venissent cognitionem, eos ipsos divinae suae sapientiae poeniteret. Huius poenitentiae exemplum est illud, quod Diodorus de Dario narrat; et manifestius etiam exemplum affert Herodotus, qui Sandocem unum ex iudicibus regiis tradit a Dario propter iniquam aliquam sententiam cruci esse affixum; sed cum ille ex patibulo penderet regem secum reputantem quanta officia ille sibi praestitisset, severitatis suae poenituisse, et hominem solvi atque in vitam revocari iussisse (7, 194.). Ex hoc loco etiam apparet, reges, ne frustra esset poenitentiae suae dolor, nonnunquam sententias suas revocare non dubitasse. Et similis quaedam regis mandati abrogatio commemoratur in historia Mentoris et Thessalionis Diod. 16, 43. Ita Xerxes quoque non solum primam sententiam de bello contra Graecos firmiter pronuntiatam et fortiter defensam (Hdt. 7, 4. 11.), postridie mutavit et contrariam Artabani sententiam palam professus est (c. 13.), sed etiam ab hoc ipso altero decreto suo postea decessit (c. 18.). Quae quum ita sint dubitari potest, legem apud Persas exstitisse, ex qua quamvis regis sententiam abrogari nefas esset. Non multum enim locis illis supra allatis tribuerim, nam neuter satis perspicuus est. Attamen quamquam magni reges in-

considerantiae suae poenas luebant, quamquam sententias suas revocare cogebantur, multum tamen aberat, ut opinionem de divinitate sua abiicerent. Quemadmodum pontifices Romani manifestissimis erroris sui documentis non sanantur, ita illi quoque nihilominus divinam sententiarum suarum auctoritatem defendebant, sed cancellis quibusdam eam circumscribebant. Etenim sancitum est, ut quaecunque regis sententia inter leges publicas relata regioque sigillo obsignata esset, mutari vel revocari nefas esset. Cum septem Ahasveri consiliarii de Vasthia consulerentur, unus ex iis sententiam suam ita induxit: יצא דבר מלכות מלפניו (המלך) ויכתב בדתי פרס ומדי ולא יעבור (1, 19.). Itaque ei non suffecit ut rex decretum ore solo pronuntiaret, sed statim id scribendum et in legum publicarum numerum referendum esse censuit, tum demum, inquit, non abrogabitur. Et haec sine dubio est causa, cur in omnibus edictis gravioribus promulgendis semper scripturae fiat mentio. Haman cum edictum adversus Iudaeos ab rege peteret, dixit: יכתב לאבדם (3, 9.); Esthera cum rogaret, ut Hamanis decretum irritum redderetur, eadem usa est formula: "יכתב להשיב את (8, 5.). Apertissime autem haec scriptae legis auctoritas demonstratur loco 8, 8., ubi Ahasverus ad Estherae petitionem de Hamanis decreto antiquando respondet: כתב אשר נכתב בשם המלך ונחתום בטבעת המלך אין להשיב. Neque vero haec sunt verba inania, sed ex hac ipsa necessitate oritur singulare illud bellum civile inter Persas et Iudaeos. Quamquam haec Persica superstitio, quae in historia nostra tantum valet, satis certo ex universa illa causa, quae inveterata opinione de regum divinitate continetur, repeti potest et in huius causae demonstratione acquiescere possumus, tamen cognitio rerum Persicarum, quam libro nostro vindicare suscepimus, illustrior fit, si certum aliquod huius rei testimonium aliunde possimus afferre. Exstat vero tale testimonium in libro Danielis, principes enim coram rege Dario ita loquuntur: כְעַן מַלְכָּא אְקִים אֱסָרָתְ וּתִרְשֻׁם כְּתָבָא דִּי לָא לְהַשְׁנָיָה כְּדָת מָדַי וּפָרַס דִּי לָא תֶעְדֵּא (6, 9.). Haec verba locis nostris ita sunt similia, quemadmodum de duobus testimoniis, quae ad eandem rem spectent,

exspectari potest, ita vero disparia, ut in neutram partem suspicio cadere possit.

Ceterum cum divina scripturae in edictis publicis auctoritate multa alia, quae in commentariis de rebus Estherae deprehendimus, cohaerent, quae non solum propter hanc ipsam convenientiam magnam per se habent probabilitatem, sed etiam propterea quod testimoniis aliunde petitis probantur, ad fidem historici tuendam aliquantum faciunt. Ahasverus loco supra allato ad Estheram dicit, decretum Hamanis non solum scriptum esse, sed etiam sigillo regio obsignatum, ideoque irritum reddi non posse. Haec antem summa sigilli regii vis et potestas multiplici et insigni modo in historia Estherae cernitur. Haman narratur literas, quas in provincias miserit, regio sigillo obsignasse (3, 12.); rex Estheram adhortatur, ut novum edictum obsignari iubeat (8, 8.) et hoc factum esse traditur (8, 10.). Deinde annulum suum, quo obsignare solebat, Ahasverus de digito suo detractum Hamani tradidit, ut eum summa ornaret potestate (3, 10.) et cum Haman munere suo privaretur eundem repetiit atque ad Mordechaeum, qui in Hamanis locum succederet, transtulit (8, 2.). Quemadmodum Chardinus narrat edicta regia in tabulas publicas inseri propterea quod inde auctoritas eorum plena pendeat (T. III. p. 363.), ita quoque sigillum regium recentioribus etiam temporibus solenne est signum summae potestatis (testimoniis, quae affert Paulsen *Reg. d. Morg.* p. 297. addi potest Arvieux *merkwürd. Nachricht.* T. IV. p. 472.). Neque vero in antiqua historia loci desunt, qui eandem sigilli regii testentur vim et auctoritatem. Simili fere modo ut Ahasverus noster Mordechaeo Pharao Iosepho sigillum suum tradidisse refertur (Gen. 41, 42.). Et quod Alexander annulum suum Perdiccae tradidisse narratur, ut eum summa post mortem suam donaret potestate (Iustin. 12, 9.), fortasse, ut in multis aliis, morem Persarum imitatus est. Si autem ad Persas ipsos spectamus, insigne documentum de huius signi usu, qualis in historia nostra saepius commemoratur, debemus Herodoto, qui Bagaeum quendam, qui ad Oroetam occidendum a rege mitteretur, plures narrat secum habuisse literas Darii sigillo notatas et cum decretum de Oroeta occidendo eodem sigillo instructum osten-

disset, satellites hastatos sine mora hominem interemisse (3, 128.). Xenophon quoque (Hist. Graec. 7, 1, 39.) loquitur de sigillo regis Persarum literis impresso. Adami denique (p. 61.) locum affert ex Polyaeni Strateg., ubi de rege Ocho haec traduntur: *τὴν βασιλικὴν σφραγίδα διαπέμπων ἐξ ὀνόματος τοῦ πατρὸς προσέταξεν Ὦχον ἀναγορεῦσαι βασιλέα;* et alium ex Curtio locum, qui Alexandrum perhibet iis literis, quas in Asiam mitteret, annulum Darii impressisse.

Deinde ex hac scripturae in literis publicis promulgandis necessitate explicanda est scribarum publicarum mentio (3, 12. 8, 9.). In hos scribas Persicos alias quoque incidimus. Herodotus in loco illo de Oroetae supplicio Bugaeum narrat Sardibus etiam scribas regios invenisse et hoc explicandi gratia addit: *γραμματιστὰς δὲ βασιλείους οἱ πάντες ὕπαρχοι ἔχουσιν.* Xerxes cum ingentem suum lustraret exercitum, de singulis gentibus sciscitatus est, et quae comperiret scribis suis annotanda mandavit (Hdt. 7, 100. cfr. Plut. Artax. c. 29.). Recentioribus etiam temporibus principes Asiaticos perpetuo scribas habere in comitatu suo docet Heerenius (I, 1. p. 135.). Hic scribarum publicarum usus ducit nos ad annales regios, de quibus saepius in libro nostro legimus (2, 23. 6, 1. 10, 2.), ex quibus locis colligi potest, reges Persarum, quaecunque sub imperio suo gesta fuerint aut acciderint, in hos commentarios publicos retulisse. Et haec res manifestis antiquitatis testimoniis probari potest. Ctesias qui per aliquantum temporis inter Persas versabatur, in historia sua Persica conscribenda adhibuit *διφθέρας βασιλικὰς ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις κατά τινα νόμον ἦχον συντεταγμένας* (Diod. 2, 32.). His autem scriptis non solum ea mandata esse, quae ad totius imperii salutem pertinerent, sed res etiam leviores, quale Mordechaei fuerit officium, demonstrat Herodotus, qui de Xerxe pugnam Salaminiam contemplante ita scribit: *ὅπως τίνα ἴδοι Χέρξης τῶν ἑαυτοῦ ἔργον τι ἀποδεικνύμενον ἐν τῇ ναυμαχίῃ κατήμενος ὑπὸ τῷ οὔρει τῷ ἄντιον Σαλαμῖνος ἀνεπυνθάνετο τὸν ποιήσαντα καὶ οἱ γραμματισταὶ ἀνέγραφον πατρόθεν τὸν τριήρ-*

αρχον καὶ τὴν πόλιν (8, 90. cll. Plut. Them. c. 13.). *) Deuique annales Persarum saepius commemorantur in historia Esrae 4, 15. 19. 5, 17. 6, 2.

Ad hunc scripturae usum publicum pertinent etiam exemplaria, quae de regio edicto describerentur necesse erat; eiusmodi exemplaria secundaria plus semel iu historia nostra inveniuntur (v. 3, 14. 4, 8. 8, 13.) et eodem verbo designantur, ut apud Esram (4, 11. 23. 5, 6. 7, 11.). **). Formula quoque solennis: פתשגן הכתב להנתן דת quae repetitur (3, 14. 8, 13.) notanda est, quippe quum tam penitus ex rei ipsius nata sit natura, ut non mediocrem fidei habeat commendationem. Similis formula est haec: והדת נתנה בשושן הבירה 3, 15. 8, 4. cll. 9, 8., quae argumento edictorum additur. Publicae enim auctoritatis confirmandae causa hoc venerabilis Ahasveri arcis nomen edictis videtur adiunctum esse. Eodem modo ad rem pertinet diligens variorum praefectorum et populorum descriptio (1, 22. 3, 12. 8, 13.). Quid enim in tanta imperii Persici vastitate hac enumeratione magis consentaneum, magisque necessarium fuit? Quamquam scriptor noster per brevitatis studium ipsa verba edictorum regiorum referre non potuit, eiusmodi formulae tam arcte cum ipso argumento copulatae erant, ut quemadmodum plantis adhaereut radices, seiungi non possent; itaque, ut imaginem teneamus, demonstrant, edicta illa non in capite nescio cuius hominis otiosi inventa, sed ex ipso Susorum, Ahasveri sedis, solo nata esse. Quanquam hic praeterire non possumus difficultatem, quam locus quidam Thucydidis nobis videatur parere. Is enim narrat legatum Persarum, qui literas ferret ad Lacedaemonios, ab Atheniensibus esse interceptum καὶ αὐτοῦ κομισθέντος οἱ Ἀθηναῖοι τὰς μὲν ἐπιστολὰς μεταγραψάμενοι***) ἐκ τῶν Ἀσσυρίων γραμμάτων ἀνέγνωσαν. Quamquam certant interpretes, quid literis illis Assyriis signi-

*) Prae ceteris nomina eorum, qui de rege bene essent meriti (ὀρόσαγγαι) in tabulas regias videntur relata esse v. Hdt. 8, 85.

**) Sola forma differt, in nostro enim libro legitur: פתשגן, in historia vero Esrae: פרשגן.

***) Schol. μεθερμηνεύσαντες.

ficetur, hoc tamen satis constat, sermonem epistolae illius non Graecum fuisse. Nostro autem libro saepius legimus, edicta regia, quae in provincias mitterentur, ad singularum gentium et provinciarum sermonem atque scripturam esse composita. Bochartus (Phaleg. 1, 15. p. 63. ed. Francf. 1674.) ad formulam nostram: מדינה ומדינה ככתבה ועם ועם כלשנו explicandam bene confert Gen. 10, 15. 20, 31. et certe colligit, verba non ita esse premenda, ut singulis provinciis propria quaedam lingua et a ceteris prorsus diversa tribui existimetur, sed hanc subesse sententiam, imperium Persicum multa continere linguae et scripturae genera, ideoque in promulgandis edictis regiis ad has diversitates rationem esse habitam. Attamen non potest dubitari, quin ex hoc linguarum numero Graeci, qui in Asia habitarent Persis subditi, non eximendi sint. Iam quaeritur cur epistola illa regis ad Lacedaemonios non ab iis scribis confecta sit, qui sermonem Graecum callerent. Res ipsa, quae ab auctore libri Estherae nobis traditur, per se tam probabilis est, et ad totam rerum Persicarum rationem tam apta, ut eiusmodi difficultate non possit everti. Primum inter se differunt literae regis ad alienam civitatem datae, et edicta, ipsis civibus imposita; deinde quidni coniiciamus, consulto Assyrium sermonem ad literas illas scribendas adhibitum esse, ne argumentum earum tam facile proderetur.

Cum satis multa edicti regii exemplaria descripta et ad illam populorum et provinciarum varietatem comparata erant, per omnes imperii partes et locos distribui debebant. Quod cum permagno cum apparatu coniunctum esset, historicus non potuit, quin breviter quidem commemoraret. Sed haec eius brevitas non impedit, quominus in hac quoque re nonnulla eximiae eius cognitionis documenta appareant. Legimus 3, 15.: הרצים יצאו דחופים בדבר המלך. Hoc cursorum genus accuratius describitur 8, 14.: *) הרצים רכבי הרכש האחשתרנים יצאו מבהלים ודחפים בדבר המלך cfr. v. 10. Herodotus de hoc tabellariorum Persicorum genere ita tradit: *λέγουσι ὡς ὅσον ἂν ἡμερέων ἡ πᾶσα ὁδός, τοσοῦτοι ἵπ-*

*) Non properat scriptor ad doctrinam suam ostentandam.

ποι τε καὶ ἄνδρες διεστᾶσι κατὰ ἡμερεσίην ὁδὸν ἑκάστην τεταγμένοι τοὺς οὔτε νίφετος οὐκ ὄμβευς οὐ καῦμα οὐ νὺξ ἐνέργει μὴ τοῦ κατανῦσαι τὸν προκείμενον ἑαυτῷ δρόμον τὴν ταχίστην, ὁ μὲν δὴ πρῶτος δραμὼν παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ, ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ (8, 98.). Similiter hoc tabellariorum institutum describit Xenophon idque a Cyro repetit (Cyrop. 8, 6, 17.). Et saepius huius rei apud scriptores antiquos fieri mentionem ostendit Brissonius p. 311 etc. Neque vero solum in universum loci illi nostri cum reliqua historia conveniunt, sed singulas etiam brevis illius descriptionis notas aliunde possumus demonstrare. Quod tam studiose velocitas horum tabellariorum effertur, ab Herodoto probatur, qui loco illo scribit: τουτέων τῶν ἀγγέλων ἐστὶν οὐδὲν ὅτι θᾶσσον παραγίνεται, θνῆτον ἐόν. Et haec fortasse est causa, cur 3, 15. simpliciter הרצים dicantur, quod primum quidem parum accurate dictum videtur; sed in similem loquutionem incidimus apud eundem Herodotum, qui de Darii quodam legato dicit: αὐτίκα δὲ ὁ ἱππεὺς ἔθεε φέρων τὴν ἀγγελίην (5, 14.). Eodem modo primum potest offendere, quod 8, 10. 14. muli dicuntur ad hanc rem tabellariam adhibiti esse; *) cum Herodotus loquatur de equis. Sed tanta in loco 8, 10. cernitur diligentia, tantaque peritia, ut res dubitari nequeat. Quid impedit, quominus statuamus Herodotum, qui, ut ipse fatetur, rem auditu tantum acceperit, universam tantum equitandi notionem voluisse significare, nostrum autem, qui eam fortasse praesentem adspexerit, ab illa universitate (סוסים, רכש) ad peculiare mulorum genus transire? Mulos in oriente nobiles et robore atque velocitate excellentes haberi locupletissimis demonstrari potest testimoniis. Non solum recentioribus temporibus ipsi principes mulis vehuntur, ut vidit Vallaeus (III, p. 7.), sed David etiam Salomonem, cum eum regem vellet declarari, mulo suo imponi iussit, et Ctesias narrat (Pers. c. 45.) cadavera regum Persarum mulis ad sepulcra esse vecta. Deinde muli commemorantur in exercitu Darii fuisse (v. Hdt. 4, 128.

*) Vocem אחשתרנים mulos significare demonstrant Bochart. Phal. I, 15. p. 69. Bohlen. Symbol. p. 22. Gesen. s. v.

134. 135.). Et hoc genus animalium apud Persas veteres tantopere erat spectatum, ut in reliquiis Persepolitanis inter alias victimas muli etiam conspicerentur (Chard. V, 147. Vall. III. p. 132.). *) Eximiam denique mulorum Persicorum fortitudinem se vidisse testatur Bruinaeus (Voyag. IV. p. 89 etc.).**) Quid autem sibi vult illud, quod nomini mulorum additur: בני הרמכים filii equarum ***) (8, 10.)? Plinius distinguit inter mulos ex asino et equa genitos et eos, qui ex equo et asina orti sint, et illud genus habet multo nobilius (H. N. 8, 44.). Columella ubi de mulis loquitur haec habet: neque tamen ullum est in hoc pecore aut animo aut forma praestantius, quam quod seminabit asinus (6, 37.). Aelianus denique testatur mulos equarum et asinorum genitos apud Indos esse velocissimos (H. A. 16, 9.).

A scribis et tabellariis, infimo ministrorum regiorum genere, adscendamus ad superiores ordines, qui in historia nostra commemorati sint. Primum incidimus in munus Mordechaei, quo primum functus esse dicitur. Nusquam quidem hoc Mordechaei munus accurate describitur, neque nos certo scire possumus, quale fuerit; sed repetitur de hac re loquutio quaedam, quae propter hanc ipsam repetitionem vulgaris formula ad certum aliquod muneris publici genus designandum adhibita videtur fuisse. Saepius enim dicitur Mordechaeus ad portam regis consedisse (2, 19. 21. 5, 9. 13. cfr. Dan. 2, 49.). Hoc eo minus casum aliquem et conditionem Mordechaei fortuitam indicare potest, cum de aliis etiam haec vel similis loquutio usurpetur. Duo illi spadones, qui contra regem coniurationem fecerunt, dicuntur שמרי הסף (2, 21. 6, 2.). Deinde Mordechaeo socii adiunguntur, qui idem dicuntur:

---

*) Ad quaestionem nostram nihil refert, utrum animalia illa in monumentis Persepolitanis victimae sint, ut plerumque putatur, an id quod Heerenius mavult (I, 1. p. 225.) dona, quae rex accepturus sit.

**) Bochartus ex Graecis scriptoribus demonstrat, mulos in ludis etiam Olympicis adhibitos esse (Hieroz. I. p. 319. ed. Rosen.).

***) Bochartus Hieroz. I. p. 39. vocem רמכים equas significare docet.

עבדי המלך אשר בשער המלך (3, 2. 3.). Inde appa-ret, certos quosdam Ahasveri ministros in aula regia perpetuas egisse excubias et hoc excubandi officium tam arcte cum munere eorum coniunctum fuisse, ut inde titulum suum haberent. Alexandrini igitur, qui in codice Hebraeo vertendo saepe sententiam solam sequantur, locum 2, 19. interpretantur: ἐθεράπευεν ἐν τῇ αὐλῇ. Et ita vere apud Persas fuisse aliunde possumus demonstrare. De Cyro tradit Xenophon: ἔδοξε τοὺς ἐντίμους ἀεὶ παρεῖναι ἐπὶ θύραις καὶ παρέχειν αὑτοὺς χρῆσθαι ὅτι ἂν βούληται ἕως ἂν ἀφείη Κῦρος; his addit: ὡς δὲ τότε ἔδοξεν οὕτω καὶ νῦν ἔτι ποιοῦσιν οἱ κατὰ Ἀσίαν ὑπὸ βασιλεῖ ὄντες θεραπεύουσί τε τὰς τῶν ἀρχόντων θύρας (Cyrop. 8, 1, 6. cfr. Exped. 1, 9, 2.). Deinde Aristoteles: ἔξω τούτων (descripsit muros et portas quibus regis conclave sepiretur) ἄνδρες οἱ πρῶτοι καὶ δοκιμώτατοι διεκεκόσμηντο· οἱ μὲν ἀμφ᾽ αὐτὸν βασιλέα δορυφόροι τε καὶ θεράποντες (cfr. Esthr. 6, 3. 5.) οἱ δὲ ἑκάστου περιβόλου φύλακες πυλωροί τε καὶ ὠτακουσταὶ λεγόμενοι (de mundo c. 6.). Aulici Artaxerxis apud Plutarchum dicuntur: οἱ ἐπὶ θύραις βασιλέως (Them. c. 29.). Eadem utitur breviloquentia Athenaeus, qui aulicos dicit τοὺς τῶν Περσῶν περὶ τὰς θύρας διατρίβοντας (6, c. 13.). Plutarchus commemorat τοὺς ἐπὶ θύραις σατράπας καὶ στρατεγοὺς καὶ ἡγεμόνας (Pelop. c. 30. cffr. Hdt. 3, 118. 120. 34. 35. Cyrop. 1, 3, 2.). Et in imaginibus reliquiarum Persepolis haec res nobis ob ipsos oculos ponitur, ibi enim aulici in vestibulo regis cernuntur (v. Heeren. l. l. p. 214.). Neque mirum est, quod hoc nobile ianitorum genus, quod in antiqua Persarum historia tam frequens sit, ad nostra etiam tempora propagatum est, quemadmodum Chardinus testatur (III, p. 334.). Ex his testimoniis non solum probatur, solennem illam formulam cum ceteris Persicae antiquitatis monumentis bene convenire, sed de Mordechaeo etiam aliquid discimus, quod ad totam historiam haud negligendum sit. Cum enim plerosque nobiles fuisse appareat, qui ad magni regis portas versarentur, tantum abest, ut Mordechaeum propter titulum suum: יושב בשער המלך pro homine quodam ex plebe haberi necesse sit, ut sit verisimile, eum ex nobili aliqua Iudaeorum familia

(cffr. 2, 5. 6. et 2 Reg. 24, 14.) originem duxisse. Ita facilius quoque potest intelligi, quomodo Mordechaeus a portâ regia ad summum totius imperii locum transire et tanto oneri, quemadmodum in clausula libri laudatur, par esse potuerit.

Non solum aulicorum conditionem novit historicus noster, sed praefectorum etiam, qui provinciis essent praepositi, notitiam habet. Primum certus quidam ordo in tribus eorum generibus designandis deprehenditur. Ubi enim edicta regia in provincias mittenda et inter praefectos distribuenda commemorentur, ita varia nomina sequuntur: שרים, פחות, אחשדרפנים 3, 12. 8, 19. Postremum vocabulum nulla eget demonstratione, est enim universum et ad quemvis praefectum designandum aptum. Duo autem reliqua ipsa forma sua et usu ad Persarum imperium nos ducunt. Vocis אחשדרפנים sonus statim in mentem revocat Graecorum σατράπης de praefectis Persarum nomen usitatissimum, neque vero haec soni similitudo nos fallit, nam si aliarum vocum ut אחשורוש et אחשתרנים, quae eaedem in libro nostro inveniuntur, sequimur rationem, doctissimi de Sacy sententia, illam vocem ex Persarum ksihetr-ban, temperamento quodam ad duram pronuntiationem emolliendam adhibito, esse ortam (v. Gesen. s. v.) permagnam habet probabilitatem. Deinde vocis פחה origo Persica, quamvis vix possit dubitari, minus tamen est perspicua. *) Quidquid autem ab hac parte deest, abunde multiplici huius tituli usu compensatur (v. Esr. 5, 3. 14. 6, 7. Neh. 5, 14. 18. Hagg. 1, 1. 14. 2, 2. 21.). Deinde quamquam ordo horum titulorum, quem supra indicavimus, sine dubio legitimus fuit, tamen in hac re nulla cernitur ostentatio. Nam ubi propter edictorum mentionem formulae solenni non adstrictus est scriptor noster, libertate utitur in praefectis designandis. Cum explicare vult, quomodo factum sit, ut Persae, quamquam per edictum Hamanis licentiam haberent Iudaeos aggrediendi, tamen adversariis suis parcerent, ita varia in provinciis munera describit: כל שרי המדינות והאחשדרפנים והפחות ועשי המלאכה אשר המלך

*) Varias tentant ex linguâ Persica explicationes Bohlenius Symbol. p. 26., Gesenius s. v., Ewaldus Krit. Gr. p. 490.

(9, 3.). Hoc loco nomine universo שרי המדינות omnes praefectorum ordines designare videtur, et quotquot titulis אחשדרפנים et פחות comprehendi non possint, reliqua quodam ordine, quem dicat עשי המלכה אשר המלך complecti videtur. Vocem שרים eadem ratione usurpat 1, 3., ubi, cum totam ministrorum regiorum universitatem indicare velit, maiori etiam brevitate dicendi utitur; haec sunt verba: עשה המלך משתה לכל שריו ועבדיו חיל פרס ומדי הפרתמים ושרי המדינות. Praeterea in hoc loco attentione nostra dignum est vocabulum פרתמים. Quamquam enim in primis de libro Danielis quaestionibus criticis iis annumeratum est vocabulis, quae propter Graecam originem suspicionem haberent, tamen nunc ab ipsis libri illius adversariis conceditur, originem eius non magis Graecam esse, quam Persicam. Bene enim comparatur Pehlevicum: pardomim, et Sanscritanum: prathama (v. Ges. sub. v. Bohl. Sym. p. 20. Calmberg. ad 1, 3.). Sunt igitur פרתמים nobiles et proceres, quae universa notio ad totius descriptionis rationem optime quadrat. Neque vero minus aptum est hoc vocabulum ad certum quendam ministrorum regiorum ordinem efferendum, quemadmodum legitur 6, 9. שרי המלך הפרתמים i. e. principes primi ordinis.

Sequitur, ut de septem viris illis, qui 1, 13. 14. commemorantur, loquamur. Primum ipsum locum inspiciamus: ויאמר המלך לחכמים ידעי העתים כי כן דבר המלך לפני כל ידעי דת ודין: והקרב אליו ... שבעת שרי פרס ומדי ראו פני המלך הישבים ראשנה במלכות... Bertholdtius quidem Hamanem et Mordechaeum, quamvis peregrini fuerint, ad Veziratus fastigium efferri potuisse concedit, sed fieri potuisse, ut in numerum horum septem consiliariorum reciperentur, fortiter negat, quippe cum hic consiliariorum ordo nonnisi ex nobilibus Persis cooptari potuerit. *Das wusste der Verf. nicht*, criticus pergit, *und darum hat er sowohl bei Haman als bei Mardochai einen Irrthum begangen, indem er einen Juden als den ältesten der 7 Kämmerer darstellt* (p. 2440.). Primum quidem ad hunc locum obstupui; ubi tandem Haman sive Mordechaeus unus ex illis septem viris fuisse dicitur? quin etiam unde tale quid coniici

licet? Quia nihil indicavit Bertholdtius, non possumus quin coniiciamus, illam ipsam descriptionem, quam retulimus, illius opinionis ei ansam aliquam dedisse. Etenim dicuntur septem viri illi: הישבים ראשנה במלכות, Haman vero et Mordechaeus ita inducuntur, ut eos summam imperii tenuisse potestatem appareat, ergo, ita concludit B., Haman et Mordechaeus primi erant inter eos, qui in regno principem locum tenuisse dicuntur. Haec vero conclusio non valet. Nimirum hoc per se intelligitur, Vezirum summum esse magistratum, quippe quum sit regis vicarius, quare is nullo modo primus quidam inter pares, ut loquuntur, esse potest, sed superior est ceteris omnibus. De Hamane igitur dicitur: וישם המלך את כסאו מעל כל השרים אשר אתו (3, 1.). Quare verba illa: הישבים ראשנה במלכות (1, 14.) nihil aliud sibi volunt, quam nullum fuisse collegium publicum illis septemviris superius. In hac re longe citius libertatem quandam mihi videor deprehendere, quae veritatis sibi conscia non speciem doctrinae et fidei aucupetur, quam errorem, qui suspicionem habeat. Deinde id quod summum est in Bertholdtii argumentatione, Hamanem et Mordechaeum, quia peregrini fuerint, nullo modo e septemviris illis, quos quaerimus, esse potuisse, minime tutum haberi potest. Admodum quidem vulgaris est opinio, septemviros nostros ex septem coniuratis et Pseudo-Smerdis occisoribus esse ortos, et ab hac opinione profectus Bertholdtius colligere videtur, quoniam septem illi coniurati nobiles Persae essent, neminem in eorum locum ex peregrinis potuisse suffici. At quonam opinio illa fundamento nititur? In iis quae Herodotus (3, 84.) de illorum coniuratorum iure decreta esse narrat, nullo verbo constitutum est, ut ex coniuratorum familiis principes magistratus et septem regis consiliarii eligerentur. Ne Otani quidem, qui primum inter eos obtinuit locum, tale quid pactum est. Neque ullam video inter Herodoti locum et nostrum intercedere similitudinem, praeterquam quod numerus coniuratorum consiliariis nostris respondeat; deinde quod regem sine internuncio adeundi ius, quod quidem coniurati sibi vindicarunt, cum verbis nostris ראי פני המלך comparari possit. Sed si has similitudines paulo accuratius perscrutamur, ut umbrae fugiunt. Nam quod

ad numeri attinet aequalitatem, statim evanescit, si consideramus, unum ex septem Magi occisoribus regem esse factum neque plures sex relictos esse, qui a consilio illius stare possent. Deinde etiamsi haec numeri aequalitas melius posset defendi, tamen nihil probaret, propterea quod septemvirûm collegia inter Persas admodum frequentia erant: in nostro libello bis septemviri inveniuntur, consiliariorum et spadonum principum (1, 10.), aliud septemvirûm exemplum legitur apud Herodotum (3, 17.). Praeterea septem electae sunt virgines, quae in Estherae essent comitatu (2, 9. cffr. de huius numeri inter Persas frequentia Grotius 1, 10. Heeren. l. l. p. 490.). Non multo plus valet altera illa similitudo, nam profecto interest inter eos, qui habent potestatem sine ullo negotio regem adeundi, et eos, qui perpetuum regis adspectum habere dicuntur. Eodem fere iure, quo consiliarii nostri cum septem illis coniuratis possunt comparari, conferri licet etiam septem eunuchos primarios, qui dicantur המשרתים את פני המלך 1, 10. Neque solum species illa similitudinis prorsus tollitur, sed si ipsam descriptionem nostram accuratius inspicimus, magnum etiam apparet discrimen inter septem consiliarios et septem coniuratos. Primum enim dicuntur consiliarii regis חכמים, quod vocabulum accuratius circumscribitur verbis ידעי העתים appositis. Utrumque nos ducit ad astrologiae notionem. Huius enim artis periti non solum apud Danielem, qui saepius de iis loquitur, sed etiam apud Iesaiam (44, 25.) et Ieremiam (50, 35.) חכמים appellantur, neque hoc mirum est, quoniam in oriente pro summa habetur sapientia, siderum, summorum rerum terrestrium arbitrorum, vias et rationes didicisse. Manifestius etiam est appositum: יודעי העתים, quae enim alia tempora intelligi possunt, quam quae nosse plurimum intersit, secunda et adversa ad res agendas? Horum autem temporum discrimina ex stellarum stationibus pendere putabantur. Deinde huius artis certum quoddam invenitur vestigium loco 3, 7.: בחדש הראשון ... בשנת שתים עשרה למלך ... הפיל פור הוא הגורל לפני המן מיום ליום ומחדש לחדש שנים עשר. Quaecunque haec sors Hamanis fuerit, et quocunque modo tractata et iacta sit, tantum manifestum est, hanc sortitionem ideo esse institutam, ut tempus ad decretum

adversus Iudaeos peragendum opportunum divinaretur, itaque ex magicis quibusdam artificiis confectam esse. Non indicatur quidem, quis haec artificia instituerit, nullum enim certum subiectum, ut loquuntur Grammatici, verbo הִפִּיל additum est; in tali vero loquendi ratione qui ad sententiam proximus fuerit subintelligendus erit. Quis autem in nostro loco proximus censendus erit? Sine dubio unus ex iis, qui eiusmodi artes magicas profiterentur. Et hoc eo propius est ad coniiciendum, cum ex loco 6, 13. appareat, Hamanem quoque quemadmodum regem, habuisse חכמים suos. Grotius igitur et Rambachius (ad h. l.) non dubitant, quin Haman horum sapientum suorum ope in sortibus iaciendis usus sit. Quae cum ita sint, hoc pro certo contendere possumus, septem illos regis consiliarios ante omnia arte magica et astrologia excelluisse. Hoc autem quantopere ad orientis ingenium aptum sit et accommodatum videri licet ex sententia Heerenii: *der allgemein im Orient eingeführte Glaube an Vorhersagungen, besonders an Constellationen, die eben daher allgemein beobachtete Sitte, keine Unternehmung von einiger Wichtigkeit ohne den Rath derer zu beginnen, die davon Kenntniss besitzen, und das blinde Vertrauen, was man diesen zu schenken pflegt, verschaffen der Priestercaste nicht nur den entschiedensten Einfluss auf alle Privatverhältnisse, sondern auch besonders auf alle öffentlichen Unternehmungen* (l. l. p. 481.). Permagnam nunc etiam potestatem habere superstitionem apud Asiaticos cum in rebus privatis tum publicis gerendis in universum testantur Vallaeus (III. p. 4.) et Taveruierus (I. p. 261.). Ad nostram quaestionem propius accedit quod narrat Chardinus (III. p. 163 etc.) regem Persarum permagnas in astrologis, qui de omnibus rebus consulantur, alendis impensas facere. Neque vero hoc ipsum, quod in Hamanis sortitione agitur, a testimoniis manifestis destitutum est. Non solum Chardinus tradit astrologiam ad decretum aliquod feliciter exequendum consultam esse (III. p. 304.), sed illud etiam genus divinationis hic illic deprehenditur. *)

*) Quam multiplex hoc sortilegorum genus per totam antiquitatem fuerit, copiosius exponit van Dall de oraculis p. 341 etc. (ed.

Quae cum ita sint, facile colligi potest, reges Persarum homines eiusmodi artium peritos semper secum habuisse (ראי פני המלך). In vulgus nota sunt testimonia, quae de hac re apud Danielem inveniuntur. Deinde Herodotus narrat, cum Xerxes Sardibus egrederetur, solem defecisse et de hac re Magos consultos esse (7, 37.), unde manifestum est, Magos in bella etiam cum regibus esse profectos. Et hunc Persarum morem Alexander quoque imitatus est, nam cum fortuito aliquis diadema eius regium sibi imposuisset, Chaldaei caput illius sacrum esse censuerunt (v. Arrian. Exped. 7, 22.). Duo autem sunt, quae ex his omnibus testimoniis colligenda esse arbitramur. Primum notam illam, qua consiliarii regis loco nostro insigniantur, ad totum Persarum ingenium bene videmus quadrare; deinde consiliarios nostros a septem illis coniuratis distinguendos esse. Licet enim concedamus, Persas in universum a magicae artis studio et tractatione ipsos non alienos fuisse, tamen haud credendum est, illas familias, quarum proavi Magorum genus execrabili quondam odio persequuti essent, unquam artes magicas publice professas esse.

Non autem omnia in consiliis de rebus publicis dandis in magicis artibus posita erant; valebant inter Persas multa instituta, leges et consuetudines, saepe igitur quaestio oriebatur, quomodo singuli casus ad hanc normam universam essent accommodandi. Hoc quoque munus consiliariorum in descriptione nostra commemoratur. Causa enim cur Ahasverus rex alios omnino de Vasthiae contumacia consulat, haec additur: כי כן דבר המלך לפני כל יודעי דת ודין. Huic autem

---

Amst. 1683.). Tavernierus vidit inter Persas tales quosdam, qui de rebus futuris consulerentur (I. p. 261.), et Chardinus, postquam de astrologia Persarum in universum loquutus est, ita pergit: ils croyent par pareil égarement, que Dieu revèle l'avenir, quand on en recherché la connaissance par le sort, quel qu'il puisse être, de manière que ce qui posse chez les autres hommes pour être toujours des cas fortuits et un par hazard, tel que le jet des dés par exemple on le jet d'une pièce en l'air à croix ou pile, lorsque cela est fait avec quelque praeparation et dans un esprit du religion, que ce sort, dis-je, est un oracle, par lequel Dieu revèle et nous declare sa volonté et sur lequel on se peut fier et on peut agir (III. p. 203.)

loco vix fingi potest quomodo testimonium aliunde petitum accuratius respondere possit, quam locus Horodoti 3, 31. Ibi Cambyses quoque de re quadam uxoria collegium suum percontatus esse narratur, et Herodotus ut lectorem de huius consilii natura doceat, hanc brevem addit descriptionem: *οἱ βασιλήϊοι δικασταὶ .. τοίσι Πέρσησι δίκας· δικάζουσι καὶ ἐξηγεταὶ τῶν πατρίων θεσμῶν γίνονται καὶ πάντα ἐς τούτους ἀνακέεται.* Hi autem iudices regii in antiqua Persarum historia saepius reperiuntur (v. Hdt. 3, 14. 7, 194. Plut. Artax. c. 29. Aelian. V. H. 1, 34.). Deinde praeter illum Herodoti locum plurimum ad narrationem nostram de regiis consiliariis commendandam facit testimonium libri Esrae. Is enim non modo septem regis Artaxerxis consiliariorum (יעץ) mentionem facit, sed id etiam quod noster dicit omnes res ad illos fuisse deferendas itaque eos appellat: "הישבים ראשנה מלכ, Esras ipsa re comprobat. Nam in publico Artaxerxis mandato, quod Esrae traditum est, iuxta regis nomen septem illi consiliarii commemorantur (7, 14. 15.).

Hos consiliarios sequitur Veziri munus. Sed cum ea, quae libro nostro de hoc summo munere continentur, ab adversariis ad suam causam tuendam fere occupata sint, supra iam in hanc rem inquireremus oportuit. Attamen unum est reliquum, quod in hanc nostram partem vindicemus. Ubi primum iu Hamanis eiusque honoris mentionem incidit auctor voluminis Estherae, inter alia haec dicit: וישם המלך את כסאו מעל כל השרים אשר אתו (3, 1.). Quibus verbis non solum Hamani sed ceteris etiam principibus regis ministris solium tribuitur, et ex suo quemque bonoris gradu sellae suae ordinem tenere traditur. *) Haec singularis in re tam communi narranda nota testimoniis Xenophontis egregie comprobatur. Apponamus ipsos locos: *οὕστινας μάλιστα ὁρῴη Κῦρος τά καλὰ διώκοντας τούτους καὶ δώροις καὶ ἀρχαῖς καὶ ἕδραις καὶ πάσαις τιμαῖς ἐγέραιρεν* (Cyrop. 8, 1, 39.); *οὐ μέντοι ἀθάνατον τὴν ταχθεῖσαν ἕδραν κατεστή-*

*) Huc quoque referendum videtur illud quod de consiliariis legimus: הישבים ראשנה מלכות. Ex hac enim loquendi ratione colligimus, honores principum in ipsorum consessus ordine apparere.

σατο, ἀλλὰ νόμιμον ἐποιήσατο καὶ ἀγαθοῖς ἔργοις προβῆναι εἰς τὴν τιμιωτάτην ἕδραν καὶ εἴ τις ῥᾳδιουργοίη ἀναχωρῆσαι εἰς τὴν ἀτιμοτέραν ... καὶ ταῦτα δὲ ἐπὶ Κύρου γενόμενα οὕτως ἔτι καὶ νῦν διαμένοντα αἰσθανόμεθα (Cyr. 8, 4, 5.).

Postquam vestigia, quae in historia nostra de Persarum ministris et magistratibus ad res publicas gerendas institutis deprehenduntur, perscrutati sumus, transeamus ad eam rem, quae ab his proxime abest. Iam saepius monendum fuit, quamvis apud Persas summa rerum gerendarum lex regis ipsius libido et arbitrium fuerit, tamen solennem rerum publicarum ordinem magna legum et caeremoniarum copia circumscriptum fuisse. De violentis vel tyrannicis decretis Ahasveri et Hamanis iam sat multa verba fecimus, legitima autem, ut ita dicam, historiae Estherae pars in eo cernitur, quod suum quodque negotium publicum habet administratorem et quod ubique fere ad legem vel universam aliquam normam provocatur. Solennis autem publicae legis vox est דת, ut ex formulis edictorum: פתשגן הכתב להנתן דת, et והדת נתנה בשושן, perspicue apparet. Habet autem haec vox additamentum gravissimum: lex enim illa, cuius arbitrium in historia nostra toties interponitur, dicitur 1, 19.: דתי פרס ומדי. Haec verba eidem voci quamvis inverso ordine apud Danielem (6, 8. 12. 15.) etiam addantur. De hac lege Persarum et Medorum ita docet Heerenius: ***die Lehre der Mager mit persischen Begriffen vermischt heisst das Gesetz der Perser und Meder und umfasste die Kenntniss aller der heiligen Gebräuche, Vorschriften und Gewohnheiten, die sich nicht nur unmittelbar auf die Verehrung der Götter, sondern auf das ganze Privatleben des Ormuzdiener bezogen, auf die Pflichten, die er als solcher zu beobachten hat, und die Strafen, die auf die Uebertretung derselben gesetzt sind, sowie die Mosaische Religion alles dieses dem Jehovaverehrer vorschrieb*** (l. l. p. 408. 456 etc.). Huic doctrinae, quae ex libro nostro de lege Persarum et Medorum colligere possumus, bene respondent. Primum summi huius legis interpretes et arbitri חכמים et ודעי העתים dicuntur; haec enim vidimus verba ex doctrina magica esse repetenda. Deinde il-

lud דת tantum aberat, ut rerum publicarum terminis circumscriberetur, ut etiam sermonem muliercularum privatarum quotidianam et domesticam complecteretur (1, 22.).

Illud autem additamentum non solum legi adiungitur, sed aliis etiam notionibus: legimus חיל פרס ומדי (1, 3.); שרי פרס ומדי (1, 14.); שרות פרס ומדי (1, 18.); מלכי מדי ופרס (10, 2.). Ex his locis apparet, verba illa solennem esse quandam ipsius imperii et omnium rerum publicarum significationem. Cum autem per totam quaestionem nostram sumamus, Ahasverum regem esse Persarum et imperium, cuius instituta investiganda sint, Persicum esse, quaeritur, quo verborum illorum usus nitatur. In hac quoque re sequamur Heerenium, quo non facile cautiorem et peritiorem ducem possimus invenire. Is de arcta inter Persas et Medos necessitudine haec censet: *die ganze Einrichtung des persischen Hofes, sowie Kleidung und Privatleben überhaupt, wurden nach der Medischen abcopirt. Damit war auch zugleich die Annahme der Hof- und Staatsreligion dieses Volkes und des ganzen politisch-religiösen Ceremoniels, der sie vorschrieb, verbunden* (p. 426). Et hanc sententiam pluribus antiquitatis testimoniis probare possumus. In universum monet Herodotus de Persarum ingenio: *ξεινικὰ δὲ νόμαια Πέρσαι προσίενται ἀνδρῶν μάλιστα,* et ad hoc confirmandum exempla aliquot addit: *καὶ γὰρ δὲ τὴν Μηδικὴν ἐσθῆτα νομίσαντες τῆς ἑαυτῶν καλλίω, φορέουσι καὶ ἐς τοὺς πολέμους τοὺς Αἰγυπτίους θώρακας, καὶ εὐπαθείας τε παντοδαπὰς πυνθανόμενοι ἐπιτηδεύουσι καὶ δὴ καὶ ἀπ' Ἑλλήνων μαθόντες παισὶ μίσγονται* (1, 135.). Propter hanc ingenii ad res peregrinas inclinationem non mirum est, quod Persae Medorum praecipue, in quorum imperium successerent, instituta et consuetudines adsciverunt. Summa haec Medorum vis iam in eo cernitur, quod Xenophon narrat stolam Medicam a Cyro pro pretiosissima habitam ideoque optimatibus praescriptam esse (Cyrop. 8, 1, 40.). Et cum mos esset regum Persicorum iis, quos singulari quodam honore afficere vellent, vestimenta pretiosa mittendi, ad eiusmodi dona regia stolae illae Medicae eligebantur (cfr. Hdt. 3, 84.). Deinde quamquam thoraces, quibus Persae uterentur, ab Ae-

gyptiis petitos esse narrat Herodotus loco supra allato, et ab eodem discimus, totam Persarum armaturam Medicam fuisse (7, 62.). Propius etiam ad eam inter Persas et Medos necessitudinem, quam quaerimus, accedit Strabo, qui ita scribit: τὰ ἔθη τὰ Περσικὰ καὶ τούτοις καὶ Μήδοις αὐτά (15, p. 325. ed. Tauchn.), et alium locum Strabonis similem affert Adami Obss. p. 45.: ἡ γὰρ νῦν λογομένη Περσικὴ στολὴ καὶ ἡ περὶ τοὺς βασιλέας θεράπεια καὶ κόσμος καὶ σέβασμος θεοπρεπῆς παρὰ τῶν ἀρχομένων εἰς τοὺς Πέρσας παρὰ τῶν Μήδων ἄφικται. Huc quoque pertinere videtur, quod Aelianus (H. A. 1, c. 14.) coniungit βιὸς Μηδικὸς καὶ Περσικός. Ex hac denique necessitudine explicandum videtur, quod Graeci saepius Persas per Medorum nomen appellent (v. e. c. Hdt. 9, 7. 8.). Postremum in verbis illis additis haud praetereundus est ordo, qui ad rei ipsius naturam accommodatus sit. In primis quatuor libri nostri locis constans ordo est פרס ומדי, apud Danielem contra dicitur מדי ופרס. Iam si universum rerum publicarum conditionem comparamus, quae utrobique nobis repraesentetur, intelligimus, sub Dario Medo Medos vixdum Persarum dominationi cessisse, sub Ahasvero autem Persas iam pridem dominos esse factos, sed simul mores induisse Medicos, et ex hac universa rerum ratione pendere illam formulae nostrae varietatem. Hanc autem rationem si sequimur mirum nobis accidit, quod sub eodem Ahasvero annales regii dicuntur: ספר דברי הימים למלכי מדי ופרס (10, 2.). Sed cum sine dubio annales Medorum ad Persarum reges transirent ita ut annales illi ex duabus partibus constarent, quarum prior historiam regni Medici contineret, fieri potuit, ut nomen suum ex temporis potius ratione quam ex praesenti potestatis publicae statu invenirent.

Videmus igitur universum rerum publicarum apud Persas statum et legis naturam atque originem auctori historiae Estherae bene compertam fuisse. Huc quoque referri debet suppliciorum mentio in libro nostro obvia. Non multa quidem suppliciorum genera afferuntur, sed uno eodemque supplicio duo illi eunuchi, qui contra Ahasveri vitam conspiraverant (2, 23.), Haman (7, 9. 10.) et eius filii (9, 13. 14.) plecti sunt, neque aliud ab ipso Hamane Mordecchaeo destinatum fuit

(5, 14. 7, 9.). Hoc autem supplicium, quod ubique dicitur תלות על עץ, Vitringa demonstravit (Obss. Sacc. I. p. 431 etc.) suspensionem esse de cruce. Chardinus quidem testatur, hodie hanc poenam neque apud Persas neque apud ullum alium orientis populum a se esse observatum, et vulgari consuetudinum Asiae constantia fretus dubitat, an supplicium crucis apud veteres quoque Persas non usitatum fuerit (II. p. 160.). Sed quamquam alias haec coniiciendi ratio satis firma est et a nobismet ipsis in hac quaestione non raro adhibetur, hoc loco argumentatio testimoniis cedere debet. Etenim qui in historia Persarum antiqua paululum modo versatus fuerit, non mirabitur, quod unum tantum crucis supplicium in libello nostro commemoratur. Nihil enim res Persarum antiquas perscrutanti saepius fere obvenit, quam crucis mentio. Proximum testimonium reperitur in historia Esrae 6, 11.; rex enim Darius Hystaspis in clausula edicti sui ad Iudaeos sanxit, ut si quis a sententia sua declinaret, ex eius aedibus tignum sumeretur et de hoc tigno erecto suspenderetur. Ab eodem Dario Babyloniorum procerum tria millia patibulis affixa sunt (v. Hdt. 3, 158.). Alia huius supplicii exempla, si placet, legantur Hdt. 3, 125. 4, 43. 6, 30. 7, 194. 9, 119. Plut. Artax. c. 17. Ctes. Pers. c. 5. Ii, qui his locis cruci affixi esse narrantur, omnes fere fuerunt homines nobiles, id quod ut Romanorum consuetudini prorsus contrarium est, ita cum nostra historia bene convenit. Deinde hoc ipsum, quod filii Hamanis, postquam in proelio cum Iudaeis occisi sint, de cruce suspensi esse traduntur, illustri quodam exemplo confirmari potest. Xerxem enim refert Herodotus tanto Spartanorum, eorumque regis inflammatum fuisse odio, ut Leonidae in pugna occisi corpus cruci affigendum iuberet (7, 238. 9, 77.). Cruces denique permagna altitudine insignes alias quoque inveniri supra iam monitum est.

Eodem die quo Haman de patibulo suspensus est, Ahasverus dicitur Estherae domum Hamanis dono dedisse (8, 1.). Cum nullo verbo praemonitum sit, bona Hamanis post damnationem eius proscripta esse, haec donatio vix aliter potest explicari, nisi si cum ipsa capitis damnatione bonorum rei proscriptio coniuncta fuerit. Et ita sine dubio fuit. Per omnem

antiquitatem personae ab iis, quae haberent, aegre tantum segregabantur, valebat enim opinio, si quis rei capitalis damnaretur, quaecunque ei adhaererent, hac sceleris peste quodammodo infecta itaque sacra esse. Certum huius opinionis vestigium supra iam deprehendimus, ubi ad supplicium filiorum Hamanis explicandum ad legem quandam Persarum recurrimus, ex qua familia patris flagitio obstricta teneretur. Nostri loci simillimum est edictum illud Darii ad Iudaeos in libro Esrae traditum. Ibi enim minatus est rex Persarum, ut qui mandato suo morem non gereret non solum ipse cruci affigeretur, sed etiam ut domus eius proscriberetur (6, 11.). Deinde recentioribus temporibus inter Persas rem prorsus ita se habere, quemadmodum posuimus, manifestis comprobat testimoniis Chardinus. Is postquam hominem aliquem capite damnatum esse narravit, pergit: je n'ajoute pas, que le roi confisqua ses biens parceque je crois avoir déjà dit plus d'une fois, que la confiscation des biens suit presque toujours la perte de la vie, quand on la perd par l'ordre du souverain (II. p. 51.) et alio loco: toute disgrace en Perse importe infailliblement avec soi la confiscation des biens (III. p. 310. cfr. II. p. 299.).

Iam nihil in hoc loco de institutis publicis est reliquum, nisi ut quae de gynaeceis et id genus aliis rebus in volumine Estherae memoriae sint prodita, colligamus et in nostram vocemus quaestionem. Cum tota fere historia in fatis Vasthiae et Estherae, quae utraque Ahasveri uxor et regina fuerit, narrandis versetur, non mirum, quod multa tradantur, quae ad illud Asiaticorum populorum institutum publicum pertinent. Heerenius, qui in universum, si de Persarum rebus quaeritur, historiae nostrae multum fidit, hanc partem, quae est de gynaeceis, imprimis effert atque laudat. *Das Innere jener Gynäceen*, inquit ille p. 466., *ist uns am treffendsten in der Geschichte der Esther geschildert.* Et haec profecto non parva est laus, si nobiscum reputamus, quam difficile fuerit certam harum rerum secretarum acquirere cognitionem. Audiamus de hac re testem locupletissimum: il est dont très difficile, inquit Chardinus (III. p. 385.), de savoir rien de certain de ce, qui se passe dans les Harems ou apartements des femmes, que l'on peut appeller un monde inconnu. parti-

culièrement ceux du palais du roi. Je m'en suis toujours curieusement informé pendant les douze ans de tems, que j'ai frequenté en Perse, où je crois avoir eu, si je l'ose dire, plus d'habitudes qu'aucun autre Européen avant moi, mais je n'ai pu apprendre autre chose sous le gouvernement ou la police du serrail du roi, que ce que je m'en vais rapporter, qui aussi à mon avis est à peu près tout ce qu'on en peut savoir, car je puis assurer, que même les grands seigneurs n'en savent pas d'avantage. Il est vrai, que les Eunuques en disent quelque chose aux officiers du palais suivant que l'occasion s'en présente, mais outre que c'est peu de chose, ces seigneurs gardent chacun si secretement ce qui leur en est confié et ils sont si discrets qu'on ne les en entend jamais parler que dans quelque pressante occasion. Et alio loco narrat Chardinus, se quamvis principis cuiusdam eunuchorum satis familiari usus sit consuetudine, admodum raro tantum ex eo aliquid de feminis regiis comperire potuisse. Quare sententia illa Heerenii non tam ex comparatione libri nostri cum aliis locis, qui de gynaeceorum Persicorum ordine nobis traditi essent, quam ex ipsa earum rerum, quae in historia Estherae narrantur, ratione et probabilitate oriri potuit. Neque vero nos ipsi aliam viam in illa sententia probanda sequi possumus. Quare in ea, quae huc pertinent, secundum ordinem libri ipsius inquiramus, ut si quod testimonium aliunde petere possimus apponamus, sin autem nullum suppeditatur, videamus utrum id quod narratur rei ipsius naturae conveniens sit an minus.

Primum peculiaris mulierum conditionis vestigium cernitur in secreto Vasthiae ceterarumque feminarum regiarum convivio (1, 9.). Etenim zelotypia vehementissima, qua Asiatici tum antiqui tum recentiores laborant, mulieres non patitur in virorum societate coenare. Deinde in septem incidimus eunuchos, qui המשרתים את פני המלך dicantur et mandatum aliquot regium ad Vasthiam deferre iubeantur. Quamquam hunc locum supra quoque, cum de ministris regiis quaereremus, tractare potuimus, tamen eum huc referre maluimus, quoniam eunuchorum genus ad rem uxoriam pertinet. Eunuchi proprie quidem ad ministeria ipsis feminis praestanda comparati sunt, sed cum regi perpetuis quibusdam cum gynaeceo

suo internunciis opus esset, semper aliquot eiusmodi homines secum habere solebat. Praeterea autem alia causa fuisse videtur, cur reges Persarum eunuchorum ministeriis libenter uterentur. Xenophon de Cyro suo haec refert: γνοὺς ὅτι οὐδαμοῦ ἄνθρωποι εὐχειρώτεροί εἰσιν, ἢν ἐν σίτοις καὶ πότοις καὶ λούτροις καὶ κοίτῃ καὶ ὕπνῳ, ἐσκόπει τίνας ἂν ἐν τούτοις περὶ ἑαυτὸν πιστοτάτους ἔχοι· ἐνόμισε δὲ μὴ ἂν γενέσθαι πότε πιστὸν ἄνθρωπον, ὅστις ἄλλον μᾶλλον φιλήσοι τοῦ τῆς φυλακῆς δεομένου. Τοὺς μὲν οὖν ἔχοντας παῖδας ἢ γυναῖκας συναρμοζοῦσας ἢ παιδικὰ ἔγνω φύσει συνηναγκάσθαι ταῦτα μάλιστα φιλεῖν· τοὺς δὲ εὐνούχους ὁρῶν πάντων τούτων στερομένους, ἡγήσατο τούτους ἂν περὶ πλείστου ποιεῖσθαι, οἵτινες δύνανται πλουτίζειν μάλιστα αὐτοὺς καὶ βοηθεῖν εἴ τι. ἀδικοῖντο καὶ τιμὰς περιάπτειν αὐτοῖς, τούτους δὲ εὐεργετοῦντα ὑπερβάλλειν αὐτὸν οὐδένα ἡγεῖτο δύνασθαι..... ταῦτα δὴ γιγνώσκων ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν θυρωρῶν πάντας τοὺς περὶ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα θεραπευτῆρας ἐποιήσατο εὐνούχους, (Cyrop. 7, 5, 59 etc. 65.). Ad nostram quaestionem non refert, quo iure Xenophon Cyro hanc ratiocinationem tribuerit, nam hoc dubitari non potest, quin ex ipsius rei observatione orta sit, et summus honor eunuchorum apud Persas (παρὰ τοῖσι βαρβάροισι τιμιώτεροι εἰσι οἱ εὐνοῦχοι, πίστεως πάσης οὔνεκα τῶν ἐνορχέων Hdt. 8, 105.) ex hac potissimum causa ducendus sit. Cum illo Xenophontis loco illud quoque bene convenit, quod duo aulici, qui coniurationem contra Ahasverum fecerunt, eunuchi fuisse dicuntur (2, 21. 6, 2.). Denique illud ministerium, quod eunuchis regiis 6, 14. tribuitur, eunuchorum proprium fuisse aliunde potest demonstrari. Heraclides enim Cumanus apud Athenaeum (4, 28.) narrat, regem si convivas suos ad vini potionem invitare velit, unum mittere ex eunuchis suis. Duo commemorantur eunuchi, qui gynaeceis praepositi fuerint, Hegaeus, qui virgines recens conquisitas susciperet et ornaret (2, 3. 8. 15.) et Saasgasus, qui pellicum regiarum curam et ministerium haberet (2, 14.). Hic eunuchorum usus tam vulgaris tamque penitus ex rei natura ortus, ut his testimonia attulisse paene sit ridiculum. Alius eunuchus, nomine Hatachus, Estherae dicitur ad pecu-

liarem ipsius usum a rege datus esse (4, 5.). Quamvis ne hoc quidem ullo modo mirum esse possit, tamen praeterire nolumus testimonium, quod in hanc rem mirifice quadret. Leguntur enim apud Terentium (Eunuch. 1, 2, 166.) haec verba: porro eunuchum dixti velle te. Quia solae utuntur his reginae.

Pueri Ahasveri cum sentiant regis poenitentiam de Vasthiae repudio, suadent ei, ut undique pulchras puellas conquiri Susaque adduci iubeat et ex iis novam sibi eligat uxorem. Hoc consilio nemo potest offendi, qui Persarum regum cognoverit dominationem vagamque libidinem. Aelianus (V. H. 12, 1.) de Aspasia ita scribit: *ἀφίκετο δέ ποτε παρὰ Κῦρον … οὐχ ἑκοῦσα, οὐδὲ ἑκόντος αὐτὴν τοῦ πατρὸς ἀποπέμψαντος, ἀλλὰ γὰρ πρὸς βίαν, οἷαι πολλάκις κατήντησαν ἢ πόλεων ἁλουσῶν ἢ τυράννων βιασαμένων ἢ σατραπῶν πολλάκις.* Et similia huius violentiae exempla inveniuntur Gen. 12, 15. 20, 2. Virgines autem ex omnibus provinciis conquisitae et Susis congregatae tradebantur Hegaeo, qui ornatum earum curaret easque in peculiare aliquod aedificium regium susciperet. Haec virginum ad tori regii honorem praeparatio accurate describitur 2, 12. Indicatur non solum tempus huius praeparationis, sed varia etiam unguentorum genera, quae adhibita sint. Nemo vero, qui ea quae praemonuimus consideravit a nobis postulabit, ut huius descriptionis ex gynaeceorum penetralibus petitae veritatem aliis probemus testimoniis. Per se ipsam haec narratio satis habet commendationis, dummodo haec duo nobiscum reputemus, primum Persidem unguentis valde abundasse. Plinius enim scribit: unguentum Persarum genti se debet. Illi madent eo, et arcessita commendatione ingluvie natum virus exstinguunt (H. N. 13, 1.). Accedit quod reges Persarum propter summam libidinum suarum intemperantiam quovis lenociniorum genere satietatem et fastidium arcere studebant, cuius rei manifestissima documenta sunt decreta illa, quibus iis, qui novum libidinis genus invenissent, praemium proponerent. Ceterum similis cuiusdam praeparationis amatoriae exemplum narratur apud Pleulsenium (*Reg. d. Morgl.* p. 392.). Eadem est ratio eorum, quae de conditione virginum in gynaeceum regium receptarum traduntur. Hegaeus, qui Estherae pulchritudinem

et praestantiam statim agnovit, prae ceteris omnibus eam honoravit et cum septem virginibus regiis, quas ei honoris et ministerii causa tradiderat, in praestantissimam gynecaei partem transtulit (2, 9.). Omnium autem virginum haec erat conditio, ut si satis ornatae et compositae essent, suo quaeque tempore ad regem adduceretur. Quae vero vespertino tempore ad regem accesserat, maue sequente in gyuaeceum redibat, neque tamen in idem gyuaeceum redibat, unde egressa erat, sed in alterum illud, cui Saasgasus praepositus erat, et ubi pellices regis alebantur; ibique tamdiu abscondita tenebatur, donec rex eam nomine vocaret. Haec sane vivida est imago luxuriae Asiaticae! Huius pellicum regiarum vicissitudinis nocturnae alia quoque exstaut testimonia. Herodotus expositurus rationem, qua fraus Smerdis magi patefacta sit, haec perhibet: *ἐπεὶ Φαιδύμη μέρος ἐγένετο τῆς ἀπίξιος παρὰ τὸν μάγον. (ἐν περιτροπῇ γὰρ δὴ γυναῖκης φοιτέουσι τοίσι Πέρσησι* 3, 69.). Et Iustinus de Alexaudro ita scribit: ut luxum quoque, sicuti cultum, Persarum imitaretur, inter pellicum regiarum greges electae pulcbritudinis nobilitatisque noctium vices dividit (12, 3. cfr. Diod. 17, 77.).

Has res, cum, quemadmodum vidimus, maxime sint absconditae et difficillimae ad comperiendum, ab adversariis possit quaeri, undenam auctor voluminis Estherae acceperit. Sed haec quaestio nullam parere debet suscipionem. Nam etsi quis fuerit auctor certo indicare non possumus, hoc tamen ex universa narrationis iudole apparet, eum aut rebus, quas memoriae tradendas sibi sumserit, ipsum interfuisse, aut non multo post vixisse, itaque cum Iudaeus esset certe facilem ad eos, quos Mordechaeus reliquisset, commentarios aditum habuisse. Cum antem Mordechaeus, qui Estherae paternam gereret curam, omuiaque tentaret, ut de eius conditione certior fieret, in ipsa aula regia degerit, illam ipsam ianuam ad gynaeceorum adyta videmus apertam, quam Chardinus supra solam esse indicavit. Haec autem Mordechaei commentariorum mentio (9, 20. 24 etc. 32.) non solum in ea parte historiae nostrae, quae est de gynaeceis, examinanda magnum habet momentum, sed ad totam quaestionem nostram gravissima habenda est. Cum enim fidem historici nostri in tot tantisque

rebus probatam viderimus, nulla est causa, cur, si nobis narret, Mordechaeum ad festum Purim commendandum et confirmandum de rebus Estherae libellum confecisse, ei credere gravemur; imo eiusmodi dubitatio iudicii in rebus historicis male sani et haud subacti esset. Si autem Mordechaeus, qui omnia ipse viderat, res Estherae memoriae prodidit, hoc est quasi quoddam sigillum, quod omnibus, quae indagavimus, fidei vestigiis impressum sit. Quicunque libri nostri auctor fuerit, illi Mordechaei commentarii ostendunt nobis fontem limpidissimum, ex quo quaecunque historiae illustrandae servirent, hauriri potuerint. Eadem fere valere debent de alio loco libri Estherae, etenim ad testandam permagnam Mordechaei potentiam et dignitatem provocat auctor ad annales regum Medorum et Persarum. Etiamsi concedamus non facile ei metuendum fuisse, ne Iudaei posteriores hoc testimonium adirent et cum ipsius narratione conferrent, tamen si nullus fuisset Mordechaeus, aut si non talis, qualis libro nostro fuisse narratur, summa haec esset impudentia et insigne mentiendi artificium. Num vero tam gravi suspicione dignus est is, cuius modestiae et fidei documenta deprehenderimus manifestissimâ? Ne autem quis opponat, annales illos regios sine dubio a vulgi conspectu et notitia secretos esse habitos, exemplum Ctesiae in mentem revocemus, quem scimus ex his publicis commentariis historiam suam Persarum confecisse. Quod autem Graeco medico concessum sit, id Iudaeorum alicui contingere potuisse nemo cautus negabit. Quid denique impedit, quominus hoc testimonium ex ore sive libello Mordechaei repetamus?

Caput IV.

Testimonia historiae Estherae aliunde petita.

Si ad eam viam, quam in capite proximo persequuti simus, respicimus, hoc nobis videmur effecisse, ut quaecunque in volumine Estherae narrentur cum Persarum ingenio et consuetudinibus egregie convenire, neque in hoc loco quidquam amplius ad fidem historiae tuendam posse requiri appareret. Cum autem haec omnis argumentatio eo nitatur, ut libri fides ex aliorum testimoniorum comparatione demonstrari possit, unum tantum partem huius demonstrationis absolvimus. Instituta enim et mores, quae hucusque in quaestionem vocavimus, nihil sunt nisi universae quaedam causae et conditiones, quae cum rebus gestis arctissime quidem cohaereant, sed per se res ipsas non efficiant. Ad has universas causas accedant necesse est alia momenta quaedam, quae ex certis hominibus et ex certis loci et temporis punctis pendeant. Restat igitur ut quaeramus, utrum haec momenta vel ipsae res, quas gestas esse in libro nostro memoriae est proditum, habeant testimonia aliunde petita an minus. Supra quidem in historiae naturam atque indolem inquisivimus, sed vix opus est monere, hoc longe alio nomine esse factum. Illic enim personas historiae nostrae, eorum ingenia, res gestas, et fata per se et quemadmodum ipse noster libellus traderet, spectavimus et inde validum probabilitatis argumentum efficere conati sumus. Hic vero aliorum scriptorum quaeruntur testimonia, quibus ea, quae de Ahasvero et Esthera sint tradita, repetuntur aut aliquo modo confirmantur. Facile quidem manifestum est, si hoc ita possimus praestare, ut instituta et mores, quorum vestigia in libro nostro deprehendantur, ex aliis Persicae antiquitatis monumentis demonstrare contigerit, huic argumento tantam futuram esse vim, ut ne pertinacissimus quidem adversarius quidquam possit re-

Digitized by Google

fragari. Attamen hoc ipsum, quod per totam quaestionem cum adversariis nobis fuit certandum, satis iam est documento, huic argumento tantam vim conciliari non posse. Inde vero oritur quaestio, existatne ex hoc defectu, qualiscunque sit, suspicandi aliqua copia, sive quo iure adversarii hoc argumentum ab iis, qui librum Estherae defendendum susceperint, possint postulare. Hoc quidem nemo infitiabitur, huius rei rationem longe diversam esse ab ea, quam in prioribus capitibus, quae in libello nostro cum ceteris historiae Persicae fontibus comparando versentur, tractaverimus. Cum enim tota fere res, quae volumine Estherae narratur, publice agatur, non fieri potest, quin hic illic leges Persarum et consuetudines appareant; hic vero est campus quasi quidam, ad quem duplex nobis pateat aditus latissimus, veterum Graecorum historiae et rerum Persicarum descriptiones, deinde itineraria, ut loquuntur, eorum, qui nostris temporibus terras orientis et Persicas suis ipsorum oculis adspexerunt et quae observaverunt, memoriae prodiderunt. Sin autem ad ipsum libri nostri argumentum spectamus, itinerariorum illorum usus statim, ut per se intelligitur, deficit. Deinde quamquam Graeci multa quidem ex Persarum historia nobis tradiderunt, tamen res Estherae ab iis sunt alienae. Nam vix aliter Graeci curant res Persarum, nisi quatenus ad suam ipsorum pertineant historiam; de ceteris si qua ad eos venit notitia, admodum vaga est et fluctuans. Quae autem nostro libro narrantur, partim spectant ad rerum aulicarum fata mutabilia, partim ad res Iudaeorum gentis vulgo contemtissimae. At etiamsi Graecorum silentium vix habere possit suspicionem, Iudaei ipsi pro historiae Estherae veritate testentur necesse est. Audio, sed ne hic quoque nimis confidenter flagitemus videamus quid rei sit. Supra iam exposuimus historiam liberationis gentis Iudaicae per Estheram et Mordechaeum perpetratae longissime distare ab historia Mosis et Davidis, denique ab omni reliqua Iudaeorum historia sacra. Deinde monumenta Iudaeorum antiqua, quae de hac re consuli possint, pauca sunt et magnam quidem partem in rebus historicis incerta et suspectae fidei. Restant denique recentiorum Persarum de antiquis temporibus narrationes, quas a maioribus suis sibi traditas esse gloriantur. Sed nullus subacti iudicii historicus

Robertsono et Wahlio assentietur, qui in antiqua Persarum historia perscrutanda hos rivulos consectari, quam ex limpidis Graecorum spectatissimorum fontibus haurire maluerunt. Deinde etiamsi huic ore potissimum propagatae memoriae aliquid tribuamus auctoritatis, quid est historia puellae alicuius Iudaicae ad honorem regium evectae, quid est recordatio gentis alicuius captivae per muliereulam a periculo servatae ad ingentem imperii Persici vastitatem, ad immensas militum copias, ad bellorum inauditorum apparatus, quibus rebus historia Persarum antiqua conferta est! Quae cum ita sint, criticus aequus si quid in hac demonstratione defecerit, hoc non ita magnopere curabit, certe non ideo iudicium suum de fide libri Estherae historica suspensum tenebit. Attamen spero fore ut plus possimus praestare, quam per huius rei ipsius iniquitatem exspectari liceat.

Proximum testimonium, quod ad historiae nostrae veritatem confirmandam afferri possit, est festum Purim. Hoc autem testimonium tam grave est et validum, ut ipse de Wettius, qui de fide libri admodum inique iudicet, scribat: *das einzige historisch sichere Datum ist der Zusammenhang der Begebenheit mit dem Purimfeste* (p. 250.). Non igitur mirum est, quod ii, qui fidem huius historiae impugnare conati sunt, hoc quoque argumentum diluere studuerunt. Michaelis veram festi Purim originem sibi indagasse videtur in historia Nicanoris, quae narratur 1 Macc. 7, 31—50. 2 Macc. 15. (cfr. Annott. ad h. l.) et haec duo affert opinionis suae argumenta: primum diem victoriae de Nicanore reportatae, qui ideo dies festus factus sit, eundem esse, quo Iudaei in libro Estherae ab adversariis ultionem exegisse tradantur; deinde Nicanorem fuisse Macedonem, Hamanem autem in appendice Graeca item dici Macedonem. Haec sane ludendi potius causa, quam demonstrandi posita videntur. Quis enim ex his laciniis totam Estherae historiam potest conficere? Deinde ne reputat quidem Michaelis, propter Iudae Maccabaei victoriam celebratum quidem esse diem decimum tertium Adaris, quo eodem die Iudaei Estherae auxilio a summo periculo servati sint, sed Purim festum postridie demum esse actum, id quod eo etiam ipso loco (2 Macc. 15, 37.), quo ille ad opinionem suam

fulciendam utitur, commemoratur. Denique quo iure futili illi libello Graeco, qui Hamanem Macedonem fecerit, *) fides potest haberi, cum volumen Hebraeum de origine Hamanis Macedonica nihil tradiderit? Non validiora sunt argumenta, quae Oederus contra festi Purim testimonium protulit. Is primum comparat Purim cum eo festo, quod in memoriam Iudithae institutum esse traditum sit, itaque quemadmodum hoc festum ad historiam Iudithae a suspicione tuendam non valeat, ita quoque Purim nostrum ad quaestionem de fide libri Estherae inutile esse (p. 77.). At vero magnum inter utrumque festum discrimen negligit criticus. Eo enim plurimum differt festum Iudithae a Purim, quod nulla praeter librum Iudithae valde suspectum festi illius exstant vestigia, Mordechaei vero memoriam quotannis ab Iudaeis iam antiquitus celebratam esse ex commentariis Iasonis Cyrenaei (v. 2 Macc. 15, 37.) et Iosephi historia Iudaica (v. Antiq. 11, 6.) comperimus et hodie etiam festum Purim inter eos non desiisse in vulgus notum est. Quod vero Iosephus narrat festum nostrum inter omnes Iudaeos per totum terrarum orbem dispersos suo tempore fuisse solenne, non opinatur Oederus probare, Hierosolymis quoque memoriam Estherae et Mordechaei solemniter esse celebratam, propterea quod cum Iosephus scriberet, Hierosolymae iam deletae fuerint (p. 79.). Hoc profecto non est argumentari, sed somniare. Non plus valet argumentum ex nimia lascivia festi Purim recentiori petitum, quod bene refutavit Schulzius (p. 261.). Probabiliorem habet speciem testimonium quoddam, quod Oederus apud Lightfootium ad Ioh. 10, 22. indagavit. Ibi enim ex Hieros. Megill. refertur, 85 seniores, quorum plus 30 prophetae fuerint, contra mandatum Mordechaei et Estherae se opposuisse. Quamvis Schulzius sine dubio recte moneat, hoc testimonium parum certum esse, tamen mihi non prorsus videtur contemnendum. Certe enim haec fabula demonstrat, Talmudistas in illo mandato aliquid reperisse, quod iis contra legem et consuetudinem pugnare visum sit. Et hoccine mirum est? Supra exposuimus, quantopere et argumentum et forma

*) Ex hoc Hamanis cognomine apparet, appendicem libri Estherae multo tempore post Alexandrum confectam esse.

libri Estherae a ceteris libris sacris Iudaeorum discreparet, deinde quod ad ipsum festum attinet, novae caeremoniae imperantur a Persarum Veziro et regina, nulla sacerdotis sententia vel auctoritate adhibita. *) Quae cum ita sint, nullo pacto potest intelligi, quomodo factum sit, ut festum Purim tam penitus in Iudaeorum animis insideret, nisi quidquid ab illa parte deesset commendationis, ab ipsius veritatis vi compensatum esset. Idem fere, quod de origine festi disserimus, de nomine quoque dicendum est. Nomen enim Purim (cfr. 3, 7. 9, 24.) quam parum ad Iudaeorum ingenium accommodatum est! Non solum ex lingua peregrina petitum est, sed ab Hamane etiam vehementissimo Iudaeorum adversario eiusque superstitione detestanda habet originem. Quantopere hoc a Iudaeorum animis abhorruerit, iterum videmus ex appendice Graeca, ibi enim sortes non Hamani tribuuntur, sed Deo ipsi. Ex eadem fortasse ratione explicandum est, quod Iosephus ex lingua Graeca falsam vocis Phur dedit explicationem (*φρουραί*), quamquam liber Hebraeus omnem in hac re aberrandi viam praeclusit (cfr. Budd. Hist. V. T. II. p. 974 etc.). Quare non dubitamus repetere, quae Iusti quondam de testimonio festi Purim indicavit: *den Gedanken, dass der Ahasverus des Buches Esther sammt seiner ganzen Geschichte vielleicht erdichtet sein möge, wird ohnehin sogleich jeder gänzlich fahren lassen, wenn er bedenkt, dass auf die Hauptbegebenheit, welche der Mittelpunkt der ganzen Geschichte ist, ein Volksfest gegründet worden, das sich bei den Juden bis auf unsere Zeit erhalten hat. — Wie konnte aber in dem Zeitraum, wo Begebenheiten aus der Blüthezeit der persischen Monarchie noch so was gar Altes und Unerforschliches nicht waren, eine solche Begebenheit einem ganzen Volke aufgebunden worden? (s. Vermischt. Abhandl.* I. p. 46.).

---

*) Si quis historiam nostram finxisset, certe non oblitus esset ad festum Purim commendandum sacerdotii aliquam auctoritatem interponere. Auctor appendicis hunc defectum libri Hebraei videtur sensisse, narrat enim duos Levitas epistolam de festo Purim instituendo attulisse.

Quamquam hoc festum Purim omnium gravissimum est documentum, quod ex Iudaeorum historia pro argumento voluminis Estherae afferre possimus, tamen non prorsus desunt alia vestigia, quae rerum libro traditarum veritas inter Iudaeos reliquerit. Primum *) hoc nomine afferenda mihi videntur additamenta Graeca. Has Iudaei nescio cuius otiosi exercitationes satis diu post librum Hebraeum ortas esse permagna eius ab Hebraei libri indole discrepantia, quam saepius iam notavimus, comprobat. Iam negari quidem non potest, fictae quoque alicui narrationi postea alias non minus quidem fictas, sed minus speciosas et probabiles posse adiungi, sed verisimilius est magisque consentaneum, tum oriri eiusmodi complementa et exercitationes, si res vere gesta magna quadam apud populum efferatur gloria et honore, sed nuda rei ipsius veritas ingenio populi non amplius videatur convenire. Quare equidem contenderim ipso appendicis nostrae apocryphae origine demonstrari, certum quoddam historiae fuisse fundamentum, cui fabulae illae de somnio, decretis et orationibus fictae possent superstrui. Deinde locus quidam libri Tobiae huc videtur referendus esse. Tob. 14, 10. leguntur haec: *τέκνον ἴδε τι ἐποίησεν Ἀμὰν Ἀχιαχάρῳ τῷ θρέψαντι αὐτὸν, ὡς ἐκ τοῦ φωτὸς ἤγαγεν αὐτὸν εἰς τὸ σκότος καὶ ὅσα ἀνταπέδωκεν αὐτῷ· καὶ Ἀχιάχαρον μὲν ἔσωσεν, ἐκείνῳ δὲ ἀνταπόδομα ἀπεδόθη καὶ αὐτὸς κατέβη εἰς τὸ σκότος. Μανασσῆς ἐποίησεν ἐλεημοσύνην καὶ ἐσώθη ἐκ παγίδος θανάτου ἧς ἔπηξεν αὐτῷ. Ἀμὰν δὲ ἐνέπεσεν εἰς τὴν παγίδα καὶ ἀπώλετο.* Eichhornius (*Einleit. in d. apocr.*

---

*) Fuerunt qui proximam aliquam reginae Estherae memoriam apud Nehemiam sibi viderentur invenisse. Narrat enim Nehemias (2, 6.), cum ipse de itinere suo Hierosolymas faciendo cum rege Persarum ageret, reginam quoque assedisse et huius consultationis sociam fuisse. Inde colligitur, hanc reginam Iudaeis admodum favisse, in quam vero Persarum reginam hoc tam bene quadrat, quam in Estheram? Sed hoc argumentationis specie egregie falluntur. Nam licet a temporis ratione nihil obstaret, quod secus se habere infra demonstrabimus, quis sibi persuadebit, Nehemiam, si regina illa Esthera fuisset, eam sine laudatione imo sine accuratiori nominis eius sive gentis significatione potuisse praeterire?

Büch. p. 404.) existimavit, Achiacharum filium fratris Tobiae, qui ab Asserhaddone ad summos honores 1, 21. 22. elatus esse traderetur ad similitudinem Mordechaei nostri esse fictum. Haec sententia nostro loco etiam confirmatur. Non enim dubitari potest, quin Achiacharus, qui loco modo allato dicatur, non diversus sit ab illo superiori; iam multum ad illam Eichhornii similitudinem accedit, quod hic Aman quidam, qui illum ad summum discrimen adduxerit, ipse in periculum illud, quod Achiacharo paraverit, incidisse perhibetur. Hoc igitur exemplum, quo Tobias moribundus filium suum ad prudentiam et pietatem adhortatur, a Iudaeo quodam ad historiam Mordechaei et Hamanis compositam videtur et ut doctum aliquod et elegans artificium historiae Tobiae insertum esse. Quamquam tacere nolumus, adversarios quoque hunc locum magna cum specie in usum suum posse convertere. Nimirum ex hoc loco, dixerit quispiam, apparet, quantopere fluctuaverit historia Hamanis et Mordechaei: Iudaeus ille, qui a peregrino quodam rege ad primam imperii dignitatem evectus esse ferebatur, in libro Estherae Mordechaeus nominatur, in historia vero Tobiae Achiacharus, deinde rex ipse apud auctorem libri Estherae Ahasverus appellatur et imperio Persarum praepositus est, qui vero historiam Tobiae excogitavit, illi Assyriorum regnum et nomen Sachardoni tribuit; denique ille fingit, Hamanem Agagitam fuisse et Mordechaeum Estheram orbam suscepisse et educasse, alter autem haec omnia miscet et sursum deorsum versat, quid enim aliud est illud, quod Hamanem narrat ab Achiacharo educatum esse? Haec ratiocinatio haud contemnenda esset, si eandem utrique libro tribuere possemus auctoritatem. Sed hoc longe secus est, liber Tobiae cum propter formam tum propter argumentum permultis et gravissimis subiectus est dubitationibus, nostrae vero narrationis fides atque veritas hucusque quavis ratione nobis probata est. Primum igitur non possumus, quin illud, quod quaestione nostra effectum est, teneamus, deinde quaeri potest, quomodo illa narratio de Achiacharo et Hamane orta sit; ita vero ad talem fore explicationem, qualis supra a nobis proposita est, et qualis ad totam libri Tobiae indolem quadrat, confugiendum erit. At vero cur auctor libri Tobiae historiam Mordechaei et Ha-

manis, quam mutuatus est, commutavit atque pervertit? quidni ita eam, ut acceperat, repetiit? Cum Tobias multo tempore ante Persarum dominationem vixisse fingatur, videtur ille in hac re probabilitatis aliquam rationem habuisse; maluit igitur simile aliquod exemplum excogitare, quam contra temporis rationem eandem historiam repetere. Sequitur Iosephi testimonium, ille enim totam Estherae historiam in librum suum undecimum de Iudaeorum rebus inseruit. Per se quidem hoc testimonium non multum valet, quoniam Iosephus in tota Iudaeorum historia sua componenda iudicio parum subacto usus est et hac ipsa parte narrationi libri Hebraei appendicis Graecae fabulas admiscuit. Attamen demonstrat Iosephus, suo tempore historiam Estherae ab omnibus Iudaeis sine ulla suspicione creditam esse.

Deinde si ad Persas transimus, umbra quasi quaedam testimonii est illud, quod Haepedenius (p. 23.) affert, scriptores, qui se in urbe quadam Mediae, nomine Hamadaniae, sepulcra vidisse Estherae et Mordechaei contendant. Tum Robertsonus (l. l. p. 154.) apud scriptores Asiaticos recentiores traditum se invenisse dicit, matrem Ardschiris fuisse Iudaeam, ex gente Beniamini et familia Saulis ortam, et Ardschirem propter hanc suam originem Iudaeis admodum favisse. Equidem quid de hoc testimonio censendum sit, nescio. Omnia bene in Estheram nostram quadrant, neque tamen ita accurate circumscripta sunt, ut ex libro nostro translata esse videantur. Ab altera vero parte temporis longinquitas tanta est, ut Estherae memoria ab ipsis Persis repeti non posse videatur. Quare haec res in medio nobis relinquenda est.

Quemadmodum a Iudaeorum testimoniis plus ad quaestionem nostram redundavit, quam exspectari licuit, ita quoque a Graecis monumentis, quae de Persarum historia nobis tradita sunt, non prorsus destituti sumus. Libenter quidem largiamur ipsum historiae nostrae argumentum ex nullo Graeco historico confirmationis aliquid accipere posse. Sed hoc ne adversarii quidem postulant, facile nobis concedunt, ad fidem narrationis nostrae probandam nos Hamanem, Mordechaeum, Estheram et Vasthiam apud Graecos scriptores ostendamus non necesse esse, sed eo maxime offendunt, quod ne tempus quidem histo-

riae nostrae possit circumscribi, quod cum Persarum regum nomina et res gestae satis accurate a Graecis maxime nobis sint tradita, ne Ahasverum quidem nostrum huic regum ordini satis certo inseri liceat (cfr. Oeder. p. 114 etc.). Num haec offensio iusta? Duo in hac re bene distinguenda sunt; haec offensio enim niti potest Ahasveri ignoratione, quae inde oriatur, quod iudicia, quae de Ahasvero libro nostro tradita sint, nusquam alibi inveniuntur. Si hanc ob causam iudicium nostrum de Ahasveri tempore suspensum esset tenendum, nulla inde iusta suspicio posset oriri, nam quod vulgo de argumentis a silentio petitis a criticis iudicatur, in hanc quoque Ahasveri ignorationem caderet. Cum enim constet, historiam Estherae in genere quodam rerum Persicarum versari, quod a Graecis maxime alienum sit, quid mirum, si hi ambo historiae Persarum rivi nullo loco coniungantur, ita ut Hebraeorum ambiguitas certa et accurata Graecorum tempora computandi ratione tollatur? Longe vero aliud est, si quis contendat, ea quae de Ahasvero libro Estherae narrantur, in nullum eorum regum, qui in quaestionem venire possint, quadrare. Haec magna quaedam esset controversia, quam in fide libri Estherae defendenda nullo modo possemus negligere. Attamen tantum abest, ut eiusmodi controversia statuenda sit, ut ex iudiciis quibusdam haud incertis demonstrari posse confidamus, quis apud Graecos fuerit Ahasverus.

Si magnum diversarum de Ahasvero opinionum indicem percurrimus, audax sane videtur sententia, quam modo posuimus, etenim de Ahasvero, recte inquit Cellarius, tot fere sunt sententiae quot Persarum reges aut plures etiam. Sed plerique interpretes et critici in hac re iudicanda optant, non demonstrant, alii alias similitudinis umbras captant easque ad iudicium de Ahasvero informandum facillimo negotio colligunt, quae vero in contrariam partem afferri possint, non curant. Quare non opus est hanc totam opinionum silvam diligenter perlustrare, sed locos, ubi eas invenire possis, commonstrasse sufficiat; adeas igitur, si libet, Serrarii Commentar. p. 292., Bonartii Comment. p. 8., Pfeifferi Dubb. vexatt. p. 483., Rambachii Praef. p. 1045 etc., Carpzovii Introd. p. 346 etc., Buddei Hist. V. T. II. p. 948 etc., Iusti commentationem:

über den König Ahasverus (*in Eichhorn. Repertor.* T. XV. p. 3 etc.), Gesenium s. v. Ahasverus in Hall. Encycl. Neque tamen hoc ita disputo, quo nihil unquam in hac re investiganda bonae frugis a criticis prolatum sit, sed est profecto haec quaestio a prima illa optandi et circumvagandi libidine ad certa quaedam iudicandi momenta traducta. Hunc quaestionis de Ahasvero progressum libenter agnoscimus eaque, quae ab aliis ad eam expediendam prolata sunt, amplectimur; neque vero hoc nobis sumimus, ut novam quandam et inauditam de Ahasvero sententiam proponamus, sed eam ipsam sententiam, quae inde a Scaligeri tempore in dies plures nacta est patronos nos quoque defendimus. Sed cum haec sententia nondum ita defensa sit, ut argumentis, quibus niteretur, nihil addi et ab omnibus partibus iam satis tuta posset haberi, nostrum quoque quasi symbolum quantulumcunque adiicere conabimur.

Quamquam spero ipsa verae sententiae demonstratione reliquas opiniones ultro sublatum iri, tamen his coniecturis breviter recensendis viam ad quaestionem ipsam muniamus. Contra eos, qui de Medicis etiam regibus hariolantur, fortiter et docte, ut assolet, diputat Vitringa: tota, inquit (in Hypolyp. Chron.) historia Estherae clamat, per Ahasverum illum, qui Estheram sibi connubio copulavit, intelligendum esse potentem aliquem monarchum, non Medo-Persicum, sed Perso-Medicum, cuius in imperio Persae praevaluerunt. Praeterquam enim quod Persae passim in historia Estherae praeponuntur Medis, forma regiminis, metropolis regni, amplitudo imperii, cui subiectae quoque fuerunt insulae maris (10, 1.), vocabula Persica plura in libro obvia, id clarissime videntur evincere (apud Rambach. p. 1045.). Deinde Cyrum sub nomine Ahasveri nostri latere nemo defendet, qui insignem favorem, quo auctor ille regni Perso-Medici inde a Babyloniae occupatione Iudaeos amplecteretur, consideraverit, et totum eius ingenium cum iis, quae de Ahasvero tradita sint, composuerit. Cambysen vero et Pseudo-Smerdem, qui dicitur, brevitas annorum, quibus regnaverunt, a quaestione nostra excludit. Darii Hystaspis patronis item obstat temporis ratio, satis enim constat (v. Esr. 4, 24. 6, 1—22. 25. Hagg. 1, 1. Sach. 1, 1.)

eum anno imperii sui secundo publico decreto magnam suam erga Iudaeos benevolentiam et reverentiam declarasse. Huic igitur regi Haman consilium suum de omnibus Iudaeis occidendis proponere non ausus esset, neque Mordechaeus ullam habuisset causam, cur Estheram originem suam indicare vetaret. Praeterea huius Darii creberrima apud Hebraeos fit mentio, ubique vero vulgare eius nomen דריוש legitur. Multos nactus est fautores Artaxerxes Longimanus, neque hoc mirum est propterea quod Artaxerxis nomen ab auctore appendicis Graecae et ab Alexandrinis interpretibus in Ahasveri locum ubique subditum est. Hos auctores sequutus est Iosephus et Sulpicius Severus et quia catholici, qui dicuntur, theologi additamentorum illorum fidem et auctoritatem defendunt, non possunt, quin ipsi quoque ad hanc de Ahasvero accedant sententiam. *) Sed quamvis illi propter temporis rationem testimonii aliquam vim habere videantur, tamen, quia in iis rebus, quae ad tempus pristinum spectant, parum docti aut cauti deprehenduntur, per se, nisi alia satis valida argumenta accedunt, tale quid comprobare nequeunt. Attamen haec argumenta non solum desiderantur, sed habemus etiam, quae illi testimonio qualicunque opponamus. Primum nomen Artaxerxis, quod saepius in libris Esrae et Nehemiae legitur, nihil fere ab Hebraeis mutatur, sed ארתחשסתא scribitur, quod a nostro אחשורוש multum sane distat. Deinde alterum quoque, quod de Dario monitum est, in Artaxerxem etiam cadit. Nam narrat Esras, Artaxerxem septimo imperii sui anno se ipsum et multos alios Iudaeos non solum ex captivitate Hierosolymas dimisisse, sed etiam publicam iis tradidisse epistolam plenam Iudaeorum favoris et benevolentiae. Denique non minus contra Darium quam contra Artaxerxem pugnat, quod si alter horum noster esset Ahasverus, permirum esset silentium, quo scriptores Hebraei, qui ambos illos principes commemorant et laudant, totum voluminis Estherae argumentum praetereunt. Ad posteriora vero tempora nos descendere Mordechaei et Estherae aetas, quae 2, 5. 6. indicatur, pati non videtur. Etenim loco illo, qui in quaestione de Ahasveri

*) Iahnius quidem et Dereserus eam deserere non dubitarunt.

tempore multum versatus est (2, 5. 6.), leguntur haec: איש יהודי היה בשושן הבירה ושמו מרדכי בן יאיר בן שמעי בן קיש איש ימיני אשר הגלה מירושלים עם הגלה אשר הגלתה עם יכניה מלך יהודה אשר הגלה נבוכדנצר מלך בבל. Proxima videtur interpretatio, ut vocem אשר v. 6. ad ipsum referamus Mordechaeum eumque intelligamus tempore Iechoniae vixisse in Palaestina et cum hoc rege, ut multos alios nobiles, in captivitatem esse abductum. Ita vero haud parvis propter temporis rationes premimur difficultatibus. Nam si tenemus, omnes reges ante Xerxem a quaestione segregandos esse, spatium temporis, quod inter Iechoniae captivitatem et Ahasveri imperium intercedit, iustum fere est saeculum; et Mordechaeus annum certe centesimum vigesimum compleverit necesse est. Gravior etiam difficultas ex Estherae aetate oriri videtur. Ea enim cum dicatur filia patrui eius (בת דודו v. 7.), eodem tempore, quo eius pulchritudo laudaretur, ex illa opinione iam senio affecta fuisset necesse esset. Attamen his difficultatibus non prohibiti sunt Carpzovius, Rambachius, Dereserus et Calmbergius, quominus Ahasverum Xerxem esse defenderent. Afferunt testimonia, multorum hominum vitam saeculi terminum excessisse. Et quod ad Estheram attinet, sive dicunt דוד vocabulum esse cognationis parum certum et definitum, sive feminas orientis per vitam umbratilem et multiplicem unguentorum usum pulchritudinem suam saepius usque ad senectutem conservare (cfr. Paulsen. l. l. p. 397 etc. 426 etc.). Haec argumenta non idonea sunt ad difficultates illas expediendas. Nam etsi concedendum est, non esse contra naturam, si Mordechaeus ad illam aetatem pervenerit, et summa hac constitutus senectute gravissimis negotiis perficiendis par fuerit, tamen est hoc rarissimum et nisi accedit certum testimonium, difficile ad credendum. Magis etiam a veritate aberrant altera illa duo argumenta, quae ad Estheram spectant. Verbum דוד quamquam proprie universam amoris habet notionem, usu tamen ad certi cuiusdam cognationis gradus significationem translatum est, plerumque enim significat patruum. Hanc arctiorem vocis significationem in nostrum quoque locum cadere ex accurata necessitudinis inter Mordechaeum et Estheram descriptione consecuta-

neum est. Deinde licet largiamur hic דוד dici pro בן דוד, quemadmodum factum est Ierem. 32, 12, tamen ne tum quidem multum proficimus. Esthera enim sexagenaria certe anus fuerit necesse est, cum ad Ahasverum adduceretur: haec quamvis omnibus Asiae unguentis delibuta fuerit, inter virgines ex omnibus provinciis Persicis conquisitas nunquam reportasse palmam censeri poterit. Quare aut ad tempora priora adscendendum est, ut spatium inter Iechoniam et Ahasverum contrahatur, aut interpretatio illa relinquenda est. Quoniam autem illud fieri non posse supra iam demonstratum est et ut spero copiosius etiam in ipso huius de Ahasvero quaestionis progressu demonstrabitur, nihil restat nisi ut aliam interpretandi viam ingrediamur. Schulzius, qui illas difficultates bene sensit neque tamen sententiam suam, Ahasverum esse Artaxerxem, *) relinquere voluit, doctam et ingeniosam loci nostri excogitavit interpretationem. Momenta disputationis eius sunt fere haec: Iudaei genealogias suas, quae dicuntur, contrahere solent; Iosephus ait Estheram e stirpe regia fuisse; Schimei quidam familiae regis Sauli adscribitur (2 Sam. 16, 5.), et Sauli pater Kisus dicebatur atque oriundus erat ex gente Beniamini 1 Sam. 9, 1. Haec si componuntur, quid verisimilius, quam Schimei et Kisum Beniamitos illos, qui loco nostro Mordechaei proavi dicuntur, non magis persona quam nomine ab iis, quorum in libris Samuelis mentio fiat, diversos esse? Iam non amplius quaerere potest V. D., ad quem pertineat particula relativa אשר, nam si Kisus proavus Mordechaei pater fuit regis Sauli, certissimum est, eum non cum Iechoniae a Nebucadnezaro captum esse. Referat igitur Schulzius ad ipsum Mordechaeum particulam illam, ut loquuntur grammatici, necesse est. Sed ne incurrat in illas angustias, quas supra ostendimus, reconditam aliquam interpretandi adhibet rationem. Vox גולה, ita argumentatur, non solum migrationem, sed etiam captivorum sive exulum turbam designat, ita ut respondeant Graecorum verba διασπορά, ἄποικοι, παρέπιδημοι. Deinde eadem voce etiam posteri eorum significantur (v. Esr. 10, 6. 8. 4, 10. 2 Reg. 17, 23. et alios locos). Hoc fretus argu-

*) Manifestum per hanc opinionem difficultates illas etiam augeri.

mento vertit locum nostrum: qui extra patriam suam vivere cogebatur cum exulum turba, quae patria sua privata est cum Iechonia, quem in captivitatem abduxerat Nebucadnezarus. Denique hanc suam loci explicationem ex Graeca interpretatione confirmare studet. Argumentum illud ex voce גּוֹלָה petitum per se quidem stare potest, sed id quod S. inde colligit, non continuo sequitur, nam hoc demonstrandum fuit, formam הָגְלָה reddi posse: extra patriam suam vivere cogebatur, idque eo loco, ubi הָגְלָה, quod illi plane responderet, sine ulla controversia de ipso captivos ducendi actu intelligi deberet. Quod ad graecam attinet interpretationem, verba quidem ὃς ἦν αἰχμάλωτος ἐξ Ἱεροσολυμῶν quae Hebraeo אֲשֶׁר הָגְלָה respondent, ad illam sententiam commendandam afferri possunt; sed primum hoc ipsum codice Alexandrino, qui statim addit ὃν ᾐχμαλώτευσε N., rescinditur, deinde etiamsi sequamur lectionem Vaticanam ἣν ᾐχμαλ., non ea est auctoritas huius interpretationis, praesertim ambiguae, ut impedimentum grammaticum possit tollere. Quamvis igitur haec Schulzii via parum tuta videatur, tamen universam eius interpretationis rationem non prorsus abiiciendam duxerim. Nam etsi tenendum est, cum הָגְלָה de actu intelligi debeat, non posse הָגְלָה de statu explicari, tamen non necesse est formam הגלה ad vivum resecare. Scriptoribus enim sacris admodum familiare est, singulos homines non per se et sepositos spectare, sed familias et gentes ut corpora quasi individua complecti, ita ut posteri maiorum personis quasi contenti et inclusi, maiores vero in posteris ipsi subsistere et vivere existimentur. Ex hac ratione Mordechaeus captus esse dici potest, quamvis ipse satis diu post Iechoniae tempora ex iis, qui a Nebucadnezaro abducti sunt, natus fuerit (prorsus simile huius loquendi rationis exemplum legitur in epist. ad Hebr. 8, 9. 10.). Hanc interpretationem, quam sequi videntur Serrarius et Caietanus, equidem quoque probarem, nisi tertia via pateret. Etenim simplicius mihi videtur, cum Petavio, Clerico, Iusti aliisque vocem אֲשֶׁר ad Kisum referre. Quamquam enim si ad sententiae vim spectamus, proximus habendus est Mordechaeus, tamen haec coniungendi verba ratio ideo non repugnat legi-

bus grammaticis, quia Kisus loco proximus antecedit. Hoc vero saepius observari licet, locum in verborum coniunctionibus magis respici quam sententiam. Iam vero si Kisus dicitur ab Nebucadnezaro Babyloniam translatus esse, is nullo modo pro patre Sauli, quemadmodum opinatur Schulzius, haberi potest. Sed quamquam illa coniectura primo quidem obtutu satis speciosa videtur, tamen defendi non potest. Hoc quidem satis constat, in genealogiis recensendis aliquot membra a Iudaeis omitti solere (cffr. interpretes ad genealogiam Christi apud Matthaeum), sed hoc non continuo ad nostrum locum transferri licet, qui ex Schulzii opinione tribus nominibus multa complectatur saecula. Tale quid legere nunquam memini, nisi ubi hominis alicuius origo ex loco quodam celeberrimo strictim repeteretur, quemadmodum Iesus filius Davidis, Iudaei בני ישראל, sacerdotes בני אהרון dicuntur. Ubi vero homo ignotus inducitur, eiusmodi quasi saltus in origine eius indicanda lectorem luderet non duceret. Accedit quod si auctor, ut existimat Schulzius, Mordechaei et Estherae genus ad stirpem regiam referre voluisset, sine dubio inter proavos pro patre ipsum Saulum nominasset. Neque vero illud obstat, quod monet Carpzovius: quum temporis articulum aliquem hac observatione addita Spiritus S. indicare voluerit, nihil egisse videtur, si avum aut proavum eius translatum dixisset, de quo alias per se constabat, si noster in Perside demum lucem adspexisset. — Nam tempus indicandi ratio, quamvis nos ipsius temporis causa hunc locum in quaestionem vocaverimus, scriptori certe secundaria fuit. Is enim sine dubio Mordechaei, viri in historia Estherae tam insignis, notitiam aliquam familia eius indicanda tradere voluit; cum autem, qua est brevitate, hunc familiae Mordechaei indicem non nimis vellet extendere aut fortasse ne posset quidem, non ultra proximum terminum memorabilem progressus est. Et ita quidem haud incerta aetatis Mordechaei significatio, id quod Carpzovius requirit, loco nostro continetur. Etenim tres paene hominum aetates inter Iechoniae captivitatem et natum Mordechaeum atque Estheram intercessisse colligi licet. Ex hac vero temporis ratione sequitur, Xerxe et Artaxerxe Longimano regnantibus Mordechaeum et Estheram floruisse. Iam ut id quod ex

hoc loco ad quaestionem de Ahasvero expediendam effici possit, complectamur, probabilis temporis ratio requirit, ut non minus ii reges, qui Artaxerxem Longimanum sequuti sint, quam ii, qui Xerxem antecesserint, a quaestione nostra excludantur. Cum vero, ut supra monitum est, plura obstent argumenta, quominus Artaxerxem libro nostro Ahasverum appelatum esse statuamus; ex omnibus Persarum regibus solus nobis relinquitur Xerxes.

Egregie enm hac nostra demonstratione praevia congruit historia quaestionis do Ahasvero. Cum multa iam de Ahasvero viri docti hariolati essent, exstitit I. I. Scaliger, vir in omnibus fere, quae attigit, summus. Is quanta erat mentis acie, statim perspexit, Ahasverum nostrum nullum esse, nisi Xerxem Graecorum. Haec res tanta vi animum eius percussit, ut ad sententiae suae firmitatem exprimendam omnem paene verborum fortium copiam exhauriret. Ahasverum Xerxem esse tam manifestum est, dicit Emend. Temp. p. 587. 596. (ed. Gen. 1629.), nt de hac re neque dubitare possit, nisi qui nullo ingenio sit, neque negare nisi malignus; et in Animadversionibus ad Eusebii Chronicon p. 1011. postquam quomodo Xerxis nomen voce אחשורוש contineretur exposuit, ita pergit: unde colligas, nomen Xerxis in scriptura non esse mutatum et plumbeos, asinos, cerritos esse, qui alium regem sub hoc nomine hariolantur. Haec vox quamquam nonnullorum, ut Petavii, invidiam excitavit, plurimis tamen probata est; assensi sunt Scaligero, ut principes afferam, Drusius, Vitringa, Calvisius, Pfeifferus, Carpzovius, Bengelius, Baumgartenius. Deinde peculiari quodam disputatione hanc sententiam probare studuit Iusti (in Eichhorn. Repert. I. 15, etc. *Vermischte Abhandl.* I, p. 38 etc.), qui hoc certe effecit, ut Eichhornius, qui prima Isagogae suae editione de Ahasvero valde dubius haesisset, cum secundo librum eundem ederet, in amici sui sententiam pedibus ire non dubitaret. Magis etiam doctrina Scaligeri confirmata est, postquam de Sacy et Grotefendius ad oculos fere posuerunt, Hebraeorum אחשורוש nihil esse nisi formam pronuntiandi causa paululum mutatum eiusdem nominis Persici, quod a Graecis in Ξέρξης suum inflexum esset. Nostris itaque diebus Ahasve-

rum Xerxem esse defenderunt Jahnius, Rosenmuellerus, Gesenius, Winerus.

Tria autem sunt momenta praecipua, quae in hac quaestione ponderare debemus, nomen Ahasveri, eius ingenium et ratio temporum, et ad haec tria capita totam demonstrationem referamus. Primum nos convertamus ad nomen Ahasveri. Huius quaestionis progressus, etiamsi ab omni, quod ad causam nostram habere possit, momento recesseris, valde utilis est et iucundus ad cognoscendum. Unde enim iam Scaliger profectus est, eo post duo saecula per ambages recessum est, sed quae primum ingenii quasi quaedam erat divinatio, nunc firmis et certis demonstrari potest argumentis. Etenim posuit Scaliger Hebraeorum אחשורוש idem valere, quod Cyaxares, hoc vero ex praeposita syllaba Ku, quae dominum indicaret, et Araxes ortum esse, Araxes denique non differre a nomine Xerxis. Probaverunt hanc opinionem Vitringa Obss. Sacc. II. p. 273., Rainoldi Censura bibl. apocr. II. p. 231., Grotius in Com. Pluribus autem criticis hoc nimis audax visum est; itaque alia excogitata est opinio doctior quidem et speciosior ad nomen obscurum illustrandum. Si enim consideratur אחשורוש nomen esse regis Persici nihil fere tutius videtur, quam duas priores syllabas cum Persarum voce أخش, quod pretii habeat notionem, componere. Haec explicatio bene etiam cum eo, quod tradit Herodotus de nomine Xerxis, videtur congruere, docet enim ille Xerxis vocem idem valere, quod Graecorum ἀρήϊος (6, 98.). In hanc explicandi rationem iam incidit Drusius (Ann. p. 48.). Neque mirum est, quod haec opinio multos nacta est patronos. Gesenius quamquam in huius nominis vi et significatione exponenda admodum caute processit, de illa tamen comparatione tam certus fuit, ut diceret: *vollkommen sicher ist die erste Hälfte des Wortes* אחש = أخش (*Hall. Encycl.* s. v. Ahasverus). Attamen ut haec prioris partis explicatio magna probabilitatis specie commendatur, ita altera pars omnibus interpretandi rationibus resistit, itaque quamquam de priori parte plerique fere interpretes et critici inter se consenserunt, de posteriori parte permultas

protulerunt coniecturas. Simonis confert vocem پروسان, quae principis habeat notionem. Haec opinio Schulzio probata est, qui praeterea ex Ammiano adsciscat nomen Pyrosis, quod secundum Valesium significet victorem. Iahnius tam parum sibi ipsi in hac re constat, ut in Archaeologia sua conferat Pehlevicum Zwaresch, in Isagoga contra Indicam vocem Veretschua. Deinde Ilgenius existimat formam nominis Ahasveri אחשרש, qualis scribatur Esth. 10, 1. magis esse nativam, quam vulgarem אחשורוש, et totum nomen compositum esse ex آخش et أرستن ita ut significet hominem gloria praeditum. Denique plures viri docti in eam conspirarunt opinionem, syllabas posteriores ורוש ex Persarum additamento ور, ortos esse, quo adhibito ex notionibus substantivis efficerentur adiectiva; hanc doctrinam protulerunt Pfeifferus, Ludovicus de Dieu, Wahlius, Rosenmuellerus (cfr. Gesen. *Hall. Encycl.* et Thes. sub v. Ahasverus). Hae opiniones, quamvis speciem aliquam habeant, nullam tamen certam sequuntur regulam, et ipsa ultima illa, quae pluribus probata est, propter extremam syllabam וש magnam habet difficultatem. Hoc vero impedimentum aut contra prioris particulae אחש explicationem aut contra fidam totius nominis conservationem movere debuit dubitationes. Cum autem nominis scriptura non solum voluminis Estherae fide nitatur, sed libris etiam Esrae et Danielis tradita sit, pergratum accidit, quod doctissimus de Sacy in verbi admodum similis (אחשדרפנים) origine perscrutanda, Persico illo آخش, prorsus relicto,*) aliam adhibuit regulam. Docuit enim primam literam א ab ipso verbo segregandam esse, quippe quum ob solam pronuntiationem addita sit, vocem autem ipsam Persicam esse: kschĭtr-ban (de Sacy, Mémoires de l'instit. d'histoire et literature ancienne. II. p. 229.). Hanc vocis אחשדרפנים explicationem probaverunt Gesenius,**) de Len-

*) Rosenmuellerus contra (*Bib. Alterthk.* I, 1. p. 382.) in hac quoque voce explicanda ab أحس proficiscitur eamque existimat ex Persicis vocabulis أحس et دربان aut ex أحس et سترب atque syllaba ןָ obscurae originis compositam esse.

**) *Kleinert: über die B. B. Esra und Nehemia. S. 11 etc.*

gerke (Dan. p. 117 etc.) et quatenus doctrina de Aleph prosthetico nititur, Pottius quoque (*in Etymolog. Forschungen* p. LXVII etc.). Hoc iacto fundamento facile nova de nominis אחשורוש origine oriri potest sententia, nam cum praeter illum satraparum titulum aliud etiam vocabulum prorsus simile in ipso nostro libro inveniatur (dico אחשתרנים), ad quod interpretandum Gesenius eandem adhibeat regulam, nihil fere magis consentaneum, quam in nomine Ahasveri pronuntiando et scribendo ab Hebraeis Aleph prostheticum adhibitum esse existimare. Cum vero hoc per se non sufficiat ad originem huius nominis Persicam inveniendam, admodum feliciter accidit, ut monumenta Persepolitana, quae iam diu doctorum hominum animos propter summam suam antiquitatem occupaverunt, recentioribus temporibus accuratius describerentur et diligentius investigarentur. Habent autem haec monumenta multas inscriptiones literis, quae dicuntur cuneiformae, insculptas. Hae literae cum prorsus sint singulares, quamvis a pluribus viris, qui reliquias veteris Persepolis viserunt, descriptae et nobis traditae sint, diu tamen ignotae iacuerunt, usque dum G. F. Grotefendius summa sua diligentia et sagacitate prima huius scripturae elementa indagavit et certae cuiusdam de his inscriptionibus doctrinae iacuit fundamentum. Invenit autem Grotefendius, id quod sine dubio in ignotis scripturis intelligendis et explicandis tutissimum est, plura regum Persarum nomina, et inter haec nomen quoque Xerxis. Hoc ad quaestionem nostram sine dubio gravissimum est, ita enim aperitur nobis aditus ad primitivum huius nominis formam cognoscendam. Qualem igitur huius nominis formam detexit Grotefendius? Legendum putavit: Khschērschē sive Khschwērschē (*v. Heeren Ideen* I, II, p. 348 etc.). Si ad hanc nominis scripturam nativam adhibemus illam regulam de Alef prosthetico, quid in eiusmodi re tam longinqua et obscura probabilius esse potest, quam nostram אחשורוש Hebraeam esse formam veri Xerxis nominis? Ipse quoque Grotefendius non dubitat quin אחשורוש hoc ipsum valeat. Dubitationem quidem excitare possit, quod Grotefendius, ut ipse ingenue fatetur, sine omni Zendicae linguae, qua veteres Persas constat usos esse, et ceterarum linguarum Asiaticarum cogni-

tione ad hanc quaestionem accessit. Quare admodum gratum est, quod eius sententia aliis testimoniis confirmari potest. Parisiis inventum est monumentum Aegypticum, quod, ut tradit Gesenius (Thes. s. v. Ahasv.), St. Martinus et Champollion descripserunt. Inscriptio huius monumenti ab ipso nomine Xerxis incipit, et hoc nomen literis cuneiformis ter, Persice, Medice et Assyrice, semel vero literis hieroglyphicis, quae phoneticae dicuntur, habet scriptum. Persica forma, auctore Martiuo, sonat Kschyescherseh, Medica Ksero, Assyria Khschyescherseh; Aegyptia denique, ut interpretatur Champollion, חשיארשא. De hoc testimonio addit Gesenius: fac vero de quarundam literarum valore disputari posse, in universum nemo facile negabit, nominis Persici in monumento Persepolitano interpretationem Grotefendii debitam novo hoc Parisiensium invento egregie confirmari et a dubitationibus vindicari. Alterum et tutius etiam testimonium exhibet Lassenius, qui ab ea ipsa doctrina, a qua Grotefendius destitutus erat, instructissimus est. Is novam inscriptionum Persepolitanarum explicationem suscepit et peculiari libello, qui inscribitur: *die altpersischen Keil-Inschriften von Persepolis. Entzifferung des Alphabets und Erklärung des Inhalts*, exposuit. Lassenius non solum probat et laudat Grotefendii in nominibus Xerxis et Darii patefaciendis rationem, sed hoc etiam ei assentitur, nostrum אחשורוש Hebraeam Xerxis nominis esse formam. Audiamus virum doctissimum: *daſs unter Ahasverus Xerxes zu verstehen sei, bleibt immer die wahrscheinlichste Meinung und sie wird sich noch mehr bestätigen, wenn wir die altpersische Form damit vergleichen. Gesenius bemerkt sehr richtig, daſs das* א *prosthetisch sei, die übrigen Buchstaben entsprechen dann sehr gut den Keilbuchstaben. Jene Prosthese ist nichts anders, als wenn* esprit *aus* spiritus *gemacht wird oder im Neupersischen* استادن *aus* çtâ. *) *Für das* k̓ (legit enim Lassenius literas suas cuneiformas: K̓s̓hârs̓a) *steht* ח; *für das*

---

*) Propius etiam ad exemplum nostrum accedit Arabum regula v. Ewald. Gram. Arab. I. p. 23.

š *beide Male* ש, ר *für* r; *für das lange* â *in der 2ten Sylbe* ו, *die Umstellung muss sich auf eine Aussprache:* kshârâs *gründen. Auch für das erste* a *steht* ו *aber als* ve (*bei den* LXX *ουη*) *punktirt; dieses ist ohne Zweifel aus der in dem gutturalen Hauch der Keilschrift liegenden Aspiration herzuleiten. Wir haben aber schwerlich unmittelbar die altpersische Aussprache in der hebräischen Form, sondern die Babylonische oder Assyrische, die auch die Umstellung* kshârâs *erklären wird* (p. 33.) Non opus est multis verbis exponere, quantum hic locus ad sententiam Scaligeri confirmandam afferat, ultimam vero Lassenii annotationem praeterire non possumus, propterea quod sententiae nostrae de accuratissima rerum Persicarum cognitione, qua historicus noster excellat, nonnihil videtur repugnare. Etenim si auctor voluminis Estherae aut ipse temporibus Ahasveri Susis vixit aut historiam suam ex eorum hausit commentariis, qui omnia ipsi viderant, cur non eam ipsam nominis Xerxis formam tradidit, qualis in aula regia Susiana audiebatur? Attamen non debet negligi, eum regum Persarum, quem vulgo sub nomine Xerxis intelligamus, neque unum neque primum fuisse, qui hoc nomine appellaretur. Praeter nostrum Ahasverum hoc nomen habebant pater Darii Medi i. e. Astyages (apud Danielem 9, 1.) et Cambyses (apud Esram 4, 6.)*) Prima igitur huius nominis notitia venit ad Iudaeos Babylonicos, quare facile fieri potuit, ut in ea ad Hebraeam linguam flectenda dialecti Babylonicae aliquid admisceretur. Et quid mirum, quod haec prima nominis peregrini forma apud Hebraeos usu ad posteriora tempora translata est.

Attamen Grotius, quamquam Scaligero concedit, nomen Xerxis ab Hebraeis in אחשורוש esse mutatum, negat, hoc nomen ad quaestionem de tempore Ahasveri quidquam facere, quoniam nomen Xerxis appellativum sit, ut loquuntur, et plurium regum commune. De natura nominis huius sine controversia recte monet Grotius; iam Herodotus tradit

---

*) Quis fuerit Ἀσούηρος, qui Tob. 14, 15. legatur, propter vagam totius libri indolem vix possit indagari.

significationem eius et quicunque in nativam eius formam inquisiverunt, hoc sequuti sunt, ut ex lingua Persica ipsam huius nominis vim investigarent (cfr. recentissimus et doctissimus huius nominis interpres Lassenius p. 35. 36.). Nihilne igitur tota hac de Persica origine nominis Ahasveri disputatione effectum est? Equidem multum sane arbitror effectum esse? Primum enim si constat, Ahasveri vocem Hebraeam esse formam nominis Xerxis, quivis in eum incidet regem Persarum, qui sub hoc nomine celeberrimus est. Deinde causa nostra minime est integra, cum enim demonstratum sit, omnes alios reges, qui in quaestionem cadere possint, certis argumentis excludi, omnis iam quaestio in illum ipsum Xerxem, cuius apud Graecos et Romanos mentio fit saepissime, inclinavit.

Deinde si spectamus ad ingenium, quale in Ahasvero nostro appareat, eaque comparamus, quae de Xerxe nobis tradita sunt, ad eandem ducimur sententiam. Nam multi fuerunt, qui similitudinem Xerxem inter et Ahasverum magnam indagarent, dico Vitringam, Rambachium, Dereserum, Gesenium, Winerum, Calmbergium. Maxime insignis est in Ahasvero nostro temeritas illa inconsiderata, quae superbia nitatur immensa et facile ad crudelitatem feratur; idem vero in Xerxis historia apparet. Huius temeritatis et crudelitatis aliquot afferamus exempla. Cum pons, quo rex Persarum Asiam cum Europa coniungi voluit, exorta tempestate dissolutus esset, magna ira commotus Hellesponto iussit trecenta verbera infligi et inter haec verbera hanc ad mare haberi orationem: *ὦ πικρὸν ὕδωρ, δεσπότης τοι δίκην ἐπιτιθεῖ τήνδε, ὅτι μιν ἠδίκησας, οὐδὲν πρὸς ἐκείνου ἄδικον παθόν· καὶ βασιλεὺς μεν Ξέρξης διαβήσεταί σε, ἤν τε σύ γε βούλῃ, ἤν τε μή· σοὶ δὲ κατὰ δίκην ἄρα ὡς οὐδεὶς ἀνθρώπων θύει, ὡς ἐοντι δολερῷ τε καὶ ἁλμυρῷ ποταμῷ* (Hdt. 7, 34. 35.). Praeterea iis, qui ponti aedificando essent praepositi, capita iussit abscindi (ib.). Aliud eiusmodi immanis crudelitatis exemplum idem narrat Herodotus paulo inferius. Fuit Pythius quidam Lydius, homo immensis praeditus divitiis. Is non solum copias Xerxis innumeras per Asiam transeuntes lautissima coena excepit, sed etiam ingentem pecuniam donavit. Hoc eximio officio summo-

pere laetus Xerxes eum rogavit, ut quidquid vellet a se peteret. Pythius cum hoc ipso tempore nihil haberet, quod peteret, paulo post Xerxem rogavit, ut, cum omnes quinque filii sui in exercitu Persico essent, maximum natu ad senectutem suam recreandam et rem familiarem administrandam sibi redderet. Hac aequa et modesta petitione Xerxis superbia et ira tantopere excitata est, ut corpus filii illius, quem pater peteret, dissecaret et partibus utrobique positis exercitum traduceret. Qui ob has causas levissimas, quibus maiestatem suam laesam esse opinaretur, talia perpetrare sustinuit, is sane non mirum est quod reginam, quae mandato regio morem non gessisset, repudiavit et totam gentem Iudaeorum, qui propter mores suos peculiares contumaciae speciem praeberent, Hamanis sui libidini sine ulla haesitatione prodidit. Deinde magna in Ahasvero cernitur luxuria et ostentatio. Ne hoc quidem a Xerxis ingenio alienum fuit. Quod aliis de regibus Persarum narratur in universum, id a nonnullis scriptoribus nominatim tribuitur Xerxi. Xerxem referunt Cicero (Tusc. Quaest. 5, 7.) et Valerius (9, 1. extr. 3.) ei praemium proposuisse, qui novam reperisset voluptatem. Et cum ex Graecia redux esset factus, tristem cladis suae recordationem libidinis intemperantia exstinguere studuit (v. Hdt. 9, 107.). Et quid magis ad ostentationem potest comparatum esse, quam tota expeditionis adversus Graecos pompa? *) Neque vero hoc a Xerxis animo abhorret, quod Ahasverus narratur Mordechaeum propter officium sibi praestitum summo studio et gratia prosequutus esse. Nam eiusmodi generosioris animi indicia de eodem Xerxe ab Herodoto tradita sunt. Notissimum est illud, Demaratum, regem Spartanorum, quamquam saepe ingenue apud Xerxem loqueretur, non modo nihil passum esse, sed etiam multis affectum esse honoribus (v. inprimis Hdt. 7, 105.). Manifestum quoque magnanimitatis documentum edidit Xerxes in Bulo et Sparthio Spartanis dimittendis. Hi enim a civitate sua missi erant ad caedem legatorum Persicorum expiandam, et quamquam multum aberat, ut supplices regem adirent, Xerxes

*) In universum de luxurioso Xerxis ingenio eiusque a Dario differentia disputat Plato de legib. III. Opp. II. p. 695.

tamen admodum clementer cum iis agit. Ξέρξης, inquit Herodotus (7, 136.), ὑπὸ μεγαλοφροσύνης οὐκ ἔφη ὁμοῖος ἔσεσθαι Λακεδαιμονίοισι· κείνους μὲν γὰρ συγχέαι τὰ πάντων ἀνθρώπων νόμιμα ἀποκτείναντας κήρυκας· αὐτὸς δὲ τὰ κείνοισι ἐπιπλήσσει ταῦτα οὐ ποιήσειν, οὐδ' ἀνταποκτείνας ἐκείνους ἀπολύσειν Λακεδαιμονίους τῆς αἰτίης.

Denique restant temporis indicia in libro nostro obvia, quae item ad Xerxis imperium nos ducunt. Hic primum in quaestionem venit ambitus imperii Persici, qui describitur 1, 1. 8, 9. Dicitur regnum Ahasveri ab India usque ad Aethiopiam pertinuisse et CXXVII provincias continuisse. Quamvis demonstrari nequeat, hanc descriptionem in unius tantum Xerxis imperium quadrare, hoc tamen manifestum est, locis illis id temporis spatium indicari, in quod Xerxis aetas inciderit. Cum Indi et Aethiopes ultimos terrae terminos colere putarentur, haud obscuram cum illa descriptione habent similitudinem verba Xerxis, quae loquutus est, cum bellum contra Graecos suscepturus esset: εἰ τούτους (Ἀθηναίους) τε καὶ τοὺς τούτοισι πλησιοχώρους καταστρέψομεθα . . . γῆν τὴν Περσίδα ἀποδέξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμουρέουσαν· οὐ γὰρ δὴ χώρην γε οὐδεμίην κατόψεται ὁ ἥλιος ὁμουρέουσαν τῇ ἡμετέρῃ· ἀλλά σφεας πάσας ἐγὼ ἅμα ὑμῖν μίαν χώρην θέσω, διὰ πάσης διεξελθὼν τῆς Εὐρώπης (Hdt. 7, 8.). Praeterea Aethiopes et Indi regi Persarum tributa solvere dicuntur (v. Hdt. 3, 97. 98.) et inter populos victos reperiuntur (ib. 7, 9. 15. 69.). Quod vero ad numerum provinciarum attinet inde difficultas oriri videtur, quod Herodotus refert tempore Darii Hystaspis totum Persarum imperium viginti tantum provincias sive satrapias habuisse. Huic autem loco Herodoti opponi potest liber Danielis, qui Darium Medum narret CXX praefectos provinciis suis praeposuisse (6, 2.). Deinde de hac inter libros sacros et Herodotum controversia bene monet Rosenmuellerus (l. l. p. 361.): *offenbar ist hier* (in libb. Estherae et Dan.) *die Rede von einer andern Einrichtung und Eintheilung, man müsste denn behaupten, dass die Verfasser der Bücher E. und D. etwas falsches berichtet, wozu keine hinreichenden Gründe vorhanden sind. Herodots Satrapienverzeichniss enthält, wie Heeren scharfsinnig*

bemerkt, nicht eine Provinzeintheilung nach geographischen Bestimmungen, sondern nur eine Klassifikation der verschiedenen Völker, welche die eroberten Länder bewohnten, nach der Bestimmung des ihnen auferlegten Tributes. Für die Richtigkeit der hebräischen Angaben spricht nicht allein, dass die von Herodot angegebene Zahl von 20 *Satrapien, wenn wir darunter Provinzen verstehen wollten, viel zu gering wäre, da Kleinasien später allein* 10 *Satrapien enthielt, sondern auch dass die Zahlangaben der beiden von verschiedenen Verfassern herrührenden Bücher von einander verschieden sind.*

Multo vero apertius demonstrant, Ahasverum nostrum Xerxem esse, altera duo temporis indicia, quae libro nostro traduntur. Primum enim illud convivium, a quo tota Estherae historia incipit, in tertium Ahasveri annum incidisse dicitur, deinde Esthera narratur septimo anno in tori et imperii societatem a rege recepta esse. Nemo quidem exspectabit, has ipsas res a Graecis quoque traditas esse, sed temporis ratio tam accurate in reliquam Xerxis historiam quadrat, ut mihi quidem de Ahasvero nulla relinquatur dubitatio, et magnum inde historiae Estherae fidei argumentum conciliari videatur. Quod ad ingens illud Ahasveri convivium attinet Herodotus narrat: *Ξέρξης μετὰ Αἰγύπτου ἅλωσιν, ὡς ἔμελλε ἐς χεῖρας ἄξεσθαι τὸ στράτευμα τὸ ἐπὶ τὰς Ἀθήνας σύλλογον ἐπίκλητον Περσέων τῶν ἀρίστων ἐποιέετο, ἵνα γνώμας τε πύθηταί σφεων καὶ αὐτὸς ἐν πᾶσι εἴποι τὰ θέλει* (7, 8.). Hoc concilium procerum Persarum Susis habitum in tertium Xerxis annum incidisse, inde facile potest colligi, quod paulo superius Xerxes dicitur altero a morte Darii anno expeditionem contra Aegyptios suscepisse. Iam vero quid facilius est, quam hoc Xerxis concilium cum Ahasveri convivio componere? Iam Scaliger, qui primus defendit, Ahasverum esse Xerxem, hoc usus est argumento, et qui eius sententiam sequuti sunt plerique omnes hoc quoque argumentum protulerunt. Herodotus quidem nihil de conviviorum apparatu et pompa narrat, et in nostro libro de consultationibus propter bellum suscipiendum altum silentium, sed uterque hoc tantum curat, quod ad suam rem faciat illustrandam. Accedit vero ad hanc controversiam

componendam, quod apud Persas concilia cum conviviis coniungi solebant. Herodotus de Persis narrat: *μεθυσκόμενοι ἐώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιέστατα τῶν πρηγμάτων, τὸ δ᾽ ἂν ἅδη σφι βουλευομένοισι, τοῦτο τῇ ὑστεραίῃ νήφουσι προτιθεῖ ὁ στεγαρχὸς, ἐν τοῦ ἂν ἐόντες βουλεύωνται· καὶ ἢν μὲν ἅδη, καὶ νήφουσι, χρέονται αὐτέῳ, ἢν δὲ μὴ ἅδη μετιεῖσι· τὰ δ᾽ ἂν νήφοντες προβουλεύσωνται μεθυσκόμενοι ἐπιδιαγινώσκουσι* (1, 133.). Huic assentiuntur Strabo, qui de iisdem scribit: *ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βουλεύονται καὶ βεβαιότερα τῶν ἐν νήψει τίθενται* (15. p. 329.); Athenaeus: *ἐν ἐνίοις δὲ καὶ Περσικῶν συμποσίων ἐγίνοντό τινες καὶ βουλαί* (5, 19. ell. 4, 23.), et Ammianus, qui cum nostro loco optime convenit: inter epulas de apparatu bellorum et seriis rebus apud Persas Graecorum veterum more consultatur (l. 18.). Propter magnam inter Persas et Germanos similitudinem addi quoque potest Taciti testimonium: de reconciliandis invicem inimicis et iungendis affinitatibus et adsciscendis principibus, de pace denique et bello plerumque in conviviis consultant (v. Germ. c. 22.). Sed opposuerit fortasse quispiam, diuturnitatem convivii nostri cum Herodoti narratione de consultationibus propter bellum Graecis inferendum habitis male congruere, cum paucis diebus teste Herodoto tota res transacta sit. At bene videndum quid transactum esse narret Herodotus. Primum proposita est quaestio, utrum bellum Graecis inferendum esset, nec ne, hac re per aliquot dies in utramque partem disputata decretum est, ut ulciscendi causa expeditio adversus Graecos instituеretur. Qui vero locum Herodoti mox sequentem: *κρινάντων δὲ ταύτῃ μάγων καὶ Περσέων τε τῶν συλλεχθέντων αὐτίκα πᾶς ἀνὴρ ἐς τὴν ἀρχὴν ἑαυτοῦ ἀπολάσας κ. τ. λ.* negligentius inspexerit, facile in animum inducere poterit, post illud decretum in suam quemque provinciam dimissum esse. Accuratius autem huius loci sententiam perscrutanti apparet, inter deliberationes, quae proxime antecedant, et hunc praefectorum reditum aliquantum spatii intercessisse, ad tempus enim huius reditus reperiendum recedendum est ad initium capitis 19.: *ὡρμημένῳ δὲ Ξέρξῃ στρατηλατέειν μετὰ ταῦτα τρίτη ὄψις ἐν τῷ ὕπνῳ ἐγένετο;* quibus verbis tempus indicatur, quo

Xerxes bellum contra Graecos decretum iam paraverit. Et ex rei quoque natura hoc consentaneum est, nam cum deliberationes de bello suscipiendo finitae essent, ingentes copiarum, armorum et alimentorum apparatus consultarentur et inter singulos provinciarum praefectos distribuerentur necesse fuit. Quare cum in his belli apparatibus plures fere anni transigerentur, facile praefecti Susis per dimidium annum retineri poterant.

At si convivium, quod initio libri nostri narratur, tam arcte cum bello Xerxis cohaeret, nonne magna exoritur difficultas, quod de hoc ipso bello, quod per totam antiquitatem omnium fuerit celèberrimum, apud scriptorem nostrum ne verbum quidem legitur? Hanc rem arripuit Michaelis, qui ita disputat: *Xerxes kann schwerlich Esther Gemahl sein. Er war freilich im 3ten und 7ten Jahr seiner Regierung in Persien, also konnte er im 3ten Jahr das grosse Gastmahl gehalten und im 7ten Esther geheirathet haben, allein zwischen diese Jahre fällt Xerxes Zug nach Griechenland und seine Flucht; wäre es möglich, dass ein Geschichtschreiber dies so ganz ausliesse? — nicht die Verstossung der Vasthi und Auswahl der Esther so verbände: darauf zog der König gegen Griechenland, als er aber zurückkam — so — suchte er sich eine neue Gemahlin? (Anmerk.* ad 1, 1.). Huic vero Michaelis ratiocinationi bene respondet Insti: *es kommt darauf an, wie man den Verf. des B. E. zu betrachten hat: als Geschichtschreiber des Ahasverus oder als den Erzähler einer einzelnen Begebenheit aus dem Leben desselben, nämlich der Heirath der Jüdin Esther nebst dem, was darauf nothwendigen Bezug hatte und daraus herfloss? ... Offenbar ist der Verf. nur im letzten Gesichtspunkt zu betrachten.... Kann man nun an ihn alle die Forderungen machen, die man einem Geschichtschreiber des Ahasverus zu machen berechtigt ist? mithin auch die Forderung, dass er eine so wichtige Begebenheit, wie der Zug gegen Griechenland ist, nicht auslasse? Ihn ging nur die Begebenheit allein an, welche er zu erzählen die Absicht hatte (Vermischt. Abhandl.* I. p. 81 etc.). Hoc vero V. D. assentiri non possum, quod contendit auctori libri Estherae

bellum illud commemorandum fuisse, si haec sola causa fuisset, cur novae reginae electio in septimum Ahasveri annum differetur. Imo vere equidem existimo quemadmodum ad diuturnitatem convivii Ahasveri multum faciat, si illud convivium cognoverimus propter bellum contra Graecos suscipiendum institutum esse, ita quoque causam, cur nuptiae Estherae septimo demum Ahasveri anno habitae sint, ex historia Graecorum de bello Xerxis repetendum esse. Cum hac ratione plures scriptores, qui de eadem re referunt, saepius inter se illustrent, et singulorum lacunas expleant, ab historico Hebraeorum, qui res peregrinas non admodum curaverit, nullo modo alienum haberi potest, quod impedimenti illius in bello contra Graecos positi mentionem omiserit. Quare id quod per se difficile est ad explicandum, quomodo factum sit, ut nuptiae Estherae tam diu differrentur, si Ahasverus est Xerxes, facile intelligitur. Nam cum inter Vasthiae repudium et edictum de virginibus conquirendis promulgatum aliquantum temporis videatur intercessisse, *) cum ex provinciis maxime longinquis puellae excesserentur necesse esset, denique totus annus in virginibus praeparandis praeteriret, cum denique in hoc ipsum tempus maximi belli apparatus incideret, Xerxi priusquam Esthera ad contubernium regium praeparata esset, in bellum erat proficiscendum. Quae cum ita sint, non solum quadrat sententia nostra de Ahasvero, sed habet etiam necessitatem aliquam, quae non mediocris sane est ipsius sententiae commendatio et fidei libri nostri documentum.

Possemus quidem in hac demonstratione acquiescere, nisi vulgari sententiae de tempore belli a Xerxe gesti impedimentum obstaret haud contemnendum. Vulgo enim exstimant, Xerxem ipso septimo regni sui anno, quo eodem nuptiae Estherae habitae esse narrantur, ex Graecia reducem esse factum et ad hanc vulgarem opinionem provocant, quicunque defende-

*) cfr. 2, 1.: אחר הדברים האלה כשך חמת המלך. Haec verba spatium haud ita parvum indicant; sed res ipsa, irae, qua rex contra reginam exarserat, remissio, propter notam Ahasveri vehementiam nos impedit, quominus Iasti assentiamur, qui hanc Ahasveri mutationem opinetur pluribus demum annis interiectis fieri potuisse.

runt, Ahasverum esse Xerxem. Attamen si in hac temporis ratione, quemadmodum alias, fidum nostrum ducem, Herodotum, sequimur, res videtur longe secus se habere. Narrat Herodotus, Darium, cum nuntium de clade Marathonia accepisset, Atheniensibus etiam infestiorem esse factum et statim contra Graecos bellum parasse. Quo apparatu cum per tres annos tota Asia exagitata esset, anno quarto post pugnam ad Marathonem Aegyptios defecisse (7, 1.). Darium autem altero ab hac Aegyptiorum defectione anno diem supremum obiisse, regno filio Atossae Xerxi tradito (c. 4.). Deinde Xerxem anno suo secundo expeditionem contra Aegyptios a patre inceptam suscepisse et hac finita tertio anno, ut vidimus, nobilissimos quosque Persarum Susa convocasse (c. 7. 8.); quo concilio cum bellum adversus Graecos decretum esset, per totum quadriennium copias et quae ad bellum necessaria viderentur comparata esse apertis verbis Herodotus testatur: *καὶ Ξέρξης τοῦ στρατοῦ οὕτω ἐπάγερσιν ποιέεται, χῶρον πάντα ἐρευνῶν τῆς ἠπείρου· ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου ἁλώσιος, ἐπὶ μὲν τέσσερα ἔτεα πλήρεα παραρτέετο στρατιήν τε καὶ τά πρόσφορα τῇ στρατιῇ· πέμπτῳ δὲ ἔτεϊ ἀνομένῳ ἐστρατηλάτεε χειρὶ μεγάλῃ πλήθεος* (c. 20.). Deinde postquam copias suas Sardes contraxit ibique hiemavit, tum demum ad Hellespontum traiiciendum aggressus est (c. 32. 37.). Ab hoc Hellesponti transitu quarto mense Persae in Atticam pervenerunt (8, 51.); non multo post pugna ad Salaminam facta est, indeque totus praeteriit annus, cum Mardonius cladem suam ad Plataeas perpessus est. Hoc demum nuncio accepto Xerxes Sardibus, quo post cladem Salaminiam confugerat, Susa reversus est. Si hanc sequimur temporis rationem, Xerxes non ante decimum annum suum ex Graeca expeditione redux factus est, et tota doctrina, quam de Estherae nuptiarum tempore exposuimus, concidit. Hanc difficultatem in Scaligeri sententia de Ahasvero tuenda senserunt Serrarius, qui haec opponit: iam vero Ahasvero sexto et septimo anno suo in patria sive in palatio Susiano morabatur, Xerxes contra iis annis in Graecia vel expeditione vel fuga erat, et hanc rem secundum Herodotum copiosius persequitur (Commt. p. 294.), et Funccius in Chronologia sua (apud Drus. Ann. p. 85.).

At vero ne tum quidem, si haec Herodoti narratio mordicus etiam tenenda esset, huic difficultati cedendum esse censerem. Nam Herodotus etiam spatium nobis dat, quo nuptias Estherae collocemus: si enim octavo anno, quod ex Herodoti ratione colligi potest, Xerxes Susa profectus est, septimi anni mense decimo Estheram in matrimonium ducere potuit; duodecimo vero anno, quo ea, quae de Hamane narrantur, acciderunt, Herodotus nihil impedit quominus Xerxem Susis degisse putemus. Tum vero concedendum est, nos causam, cur nuptiae Estherae tamdiu retardatae sint, ignorare. Attamen quamquam temerarium videtur testem tam fidum et probatum, qualis est Herodotus, in hac re deserere, tamen cum viris doctissimis, qui in temporum doctrina summi habentur, eum hoc loco erroris sive negligentiae postulandum censemus. Illi enim Herodoti rationem aut prorsus negligunt, ut Scaliger et Petavius, aut aperte docent Herodotum falsum esse, quemadmodum Usserius et Wesselingius. Temporum enim periti ad unum fere omnes totius de hoc spatio doctrinae fundamenta faciunt locos duos testium locupletissimorum, dico Thuc. 1, 18. et Plat. de legib. III. p. 198, c., qui inter pugnas Salaminiam et Marathoniam perhibent decem intercessisse annos. Iam vero cum ex ipso Herodoto constet, Xerxem quinto vel sexto anno post cladem Salaminiam in locum patris successisse, necesse est eum quarto fere vel quinto imperii sui anno Susis in bellum profectum esse. Idem Scaliger praeterea ex solis defectu, quem Herodotus (7, 37.) accidisse narrat, quum Xerxes cum exercitu suo Sardes egrederetur, effici posse iudicat (Emend. Temp. V. p. 407.). Hoc vero tam male congruit cum apparatu quinquennio, quem Herodotus loquitur, ut Petavius huic apparatui unum tantum annum tribui posse censeat (v. Doctr. Temp. l. 13. p. 913. ed. Veron. 1735.). Neque vero prorsus deest ratio, qua hic Herodoti error de annorum, qui in parando bello transacti sint, numero explicari possit. Magna est inter veteres scriptores de hac re discrepantia, Herodotus numerat quatuor annos, Diodorus, ut videtur, tres (11, 2.), Iustinus quinque (2, 10.), Lysias et Iulianus decem annos (v. Wesseling. ad Diod. l. l. Bähr. ad Hdt. 7, 20.). Huius differentiae rationem Wesselingius l. l. et ad Hdt. 7, 20. ita

explicari posse censet, si id tempus, quo Darius bellum contra Athenienses paraverit, ipsius Xerxis annis additum esse sumatur: itaque, cum decem anni inter pugnas illas celeberrimas intercesserint, exaggerandi causa hoc totum temporis spatium ad bellum parandum adhibitum esse dici; sin autem ad initium ipsius expeditionis et ad bellum contra Aegyptios intercedens respiciatur, tres, quatuor vel quinque annos posse numerari. Haec sententia magis etiam commendatur, si nobiscum reputamus, quam facile inter Graecos forma de bello Xerxiano augeri et exornari potuerit. Doddwellus quidem, quamquam ab iisdem locis, quos supra fundamentum totius quaestionis esse diximus, proficiscitur, tamen Herodoti fidem tueri conatur. Ita fere V. D. disputat: conveniunt cum Thucydidis et Platonis de spatio temporis inter cladem Marathoniam et Salaminiam intercedentis testimoniis notae Herodoteae. Postquam enim Herodotus Darium quinto a proelio Marathonio anno mortuum esse narravit, numerat annos quatuor apparatus ipsius Xerxis. Quos tamen annos mox ternario numero concludit c. 21. (?). H o r u m a n n o r u m p r i m o, altero post Darii mortem, X e r x i s e x p e d i t i o n e m c o n t r a A e g y p t i o s s t a t u i t 7, 7. Inde ineunte anno quinto Sardes se movisse tradit, ibique hiemasse (Annall. Thucyd. p. 44.). Sed haec Herodoti defensio verbis ipsius: *ἀπὸ γὰρ Αἰγύπτου ἁλώσιος ἔτι μὲν τέσσερα ἔτεα πλήρεα παραρτέετο στρατίην κ. τ. λ.* funditus evertitur. Quae cum ita sint, non possumus quin Herodoti in hac re auctoritatem relinquamus. Eo autem securius testimonia illa contra Herodotum possumus afferre, cum viri illi quaestionem nostram aut prorsus non curent, ut Wesselingius, aut aliam etiam defendant sententiam, ut Usserius et Petavius.

Sed aliae etiam restant difficultates, quae quamquam a criticis plerumque negliguntur, doctrinae nostrae de Ahasvero adversari videntur. Herodotus postquam Xerxis reditum ad regni sui caput retulit, plura narrat de Amestri, uxore Xerxis, quae demonstrant eam plurimo apud regem honore et dignitate usum esse (9, 108 etc.). Ex hac narratione facile colligi posse videtur, Amestrim praecipuam fuisse inter Xerxis uxores et reginam Persarum. Iam vero cum Vasthia ter-

tio anno repudiata et novae reginae electio post Xerxis demum reditum instituta sit, quae tandem est haec regina Amestris? Scaliger non dubitat respondere: Amestris illa Herodoti ipsa est Esthera nostra, id quod summa nominis similitudo demonstrat (Em. Temp. p. 592.). Neque vero defuerunt, qui huic coniecturae suffragarentur; Pfeifferum dico, Baumgartenium et Eichhornium. Hanc vero Scaligeri opinionem acriter impugnavit Petavius (II. p. 257.) et valida sane opposuit argumenta: Amestrim ab Herodoto dici filiam Otanis, Persae nobilis, cum Esthera contra gente fuerit Iudaea, neque mores Amestris feminae crudelissimae Estherae modestiae convenire. Contra haec argumenta obloquitur Pfeifferus: Persas videri consulto obliterasse originem Estherae, et a Persis Herodotum de Esthera falsum esse, deinde crudelitatem Amestris in Musistae uxorem (immemor est Pfeifferus alius eiusdem mulieris crudelitatis, quam Herodotus narrat 7, 114.) ei potuisse affingi propter iustam vindictam, quae instigante Esthera Hamanis familiae ceterisque Iudaeorum hostibus illata sit*) (Dub. Vex. p. 483.). Talia argumenta speciem aliquam habent, et si res ipsa certa atque testata esset, audiri possent ad difficultatem removendam; at vero cum tota illa coniectura una fere nominis similitudine admodum lubrica nitatur, parum cautum est Herodoti fidem in tantam vocare suspicionem. Quare alii sententiae Scaligerianae patroni hoc adminiculum ex Amestris historia petitum respuunt (v. e. c. Carpz. Int. p. 349.). Ita autem redit quaestio, quae illa sit Armestris Herodotea. Bene mihi hanc quaestionem videtur solvere Iusti: *Gemeiniglich glaubt man, dass Ahasverus anfangs bloss die Vasthi und nachher die Esther zur einzigen Gemahlin gehabt. Aber dies wird meiner Meinung nach bloss willkürlich angenommen, denn das B. E. sagt weiter nichts, als dass Ahasverus die Vasthi verstossen und an ihrer Statt sich die Esther vermählt habe. Dass er aber nebenher noch mehre Weiber gehabt, daran ist bei einem persischen Könige, dessen Vorfahren und Nachkommen alle*

*) Similiter Baumgartenius argumentatur (Ann. ad Hist. Univers. II. p. 241.)

mehrere hatten, nicht zu zweifeln. Von Darius Hystaspis werden 4 Weiber erwähnt. Ja was die Sache auſser allen Zweifel setzt, ist die ausdrückliche Behauptung des Buches E.: der König liebte die Esther über alle Weiber 2, 17. (כשום *also nicht Concubinen, diese werden unter den dabei genannten* בתולות *) *begriffen). Ich erinnere deſswegen daran, weil die Profangeschichte einer Gemahlin des Xerxes mit Namen Amestris gedenkt, welche weder die Vasthi noch auch die Esther sein kann, unter andern deswegen nicht, weil X. die Amestris schon vor dem 7. Jahr seiner Regierung, also vor der Esther hatte.* **) *Wenn aber Ahasv. mehrere Gemahlinnen hatte, so darf Amestris nicht Esther, und Xerxes kann doch Ahasverus ſein.* Ad hanc sententiam confirmandam non inutile erit de hoc more Persarum, ad quem provocat V. D., praeter concubinas plures uxores legitimas simul in matrimonio habendi, aliquot testimonia collegisse. Herodotus de Persis scribit: γαμέουσιν ἕκαστος αὐτέων πολλὰς μὲν κναριδίας γυναῖκας, πολλῷ δ'ἔτι πλεῦνας παλλακὰς κτέονται (1, 135.). Singula vero huius moris exempla leguntur Hdt. 3, 7. Dan. 5. 3. Denique recentiores quoque Persas hunc morem sequi testatur Chardinus (IV, p. 217.) et alia testimonia habet Paulsen. (l. l. p. 388 etc.).

Deinde discrimen totius Estherae historiae cadit in annum Ahasveri duodecimum. Secundum vulgarem quidem de Xerxis imperio opinionem hac in re nullum inest impedimentum, plerumque enim Xerxes annos vigiuti unum regnasse putatur. Sed haec opinio inveterata multis argumentis iisque, quantum equidem iudico, firmis refutata est a Vitringa (Obss. II, p. 128 etc.), Hengstenbergio (Christol. II, p. 541 etc.) et Kruegero (*Seebode Archiv f. Phil. u. Pädag.* I, 2. p. 205

*) Nisi forte, quod mihi verisimilius videtur, המלכות eae virgines dicuntur, quae modo ex provinciis arcessitae sint.

**) Hoc quantum equidem scio demonstrari nequit. Commemoratur quidem Amestris in historia belli Xerxiani (Hdt. 7, 61. 114.), sed hi loci nullam habent temporis significationem.

etc.). Ex horum virorum doctorum sententia totum Xerxis imperium non nisi undecim vel duodecim annos complectitur. Hengstenbergius igitur, ne hoc calculo, quae in clausula libri nostri narrentur, a Xerxis imperii tempore excludantur, duodecimum illum annum putat non a morte Darii, sed ab initio expeditionis Aegyptiae numerandum esse, affert enim locum Herodoti (7, 4.), ubi Darius narratur, cum ipse in bellum, contra Aegyptios profecturus esset, ex more Persarum filium suum Xerxem regem constituisse. Sed quamquam idem hanc rationem in annis Nebucadnezari apud Danielem numerandis adhibendum esse docuit (*Beiträge* I, p. 63.), et Petavius etiam Artaxerxis quoque Longimani annos ab eiusmodi duplice initio numerandos esse statuit, tamen hoc artificium a nostro loco alienum esse censeo. Nam una et constans sibi sine ulla controversia annos Ahasveri computandi ratio per librum nostrum observatur; iam si duodecimus annus ab initio expeditionis Aegyptiae numerandus esset, non aliter de tertio et septimo anno iudicare possemus et quaecunque ex horum annorum cum cetera Xerxis historia convenientia repetivimus, rescinderentur. Attamen quidni ultimum, qui nobis concedatur, terminum imperii Xerxis accipiamus? nam ultra duodecimum Ahasveri annum nihil in libro Estherae narratur. Quin etiam haec proxima causa haberi debet, cur de Mordechaeo et Esthera nihil addatur, quod hunc terminum excedat. Nam admodum probabile est, Mordechaeum et Estheram, qui solo Ahasveri favore ad tam altum favoris gradum evecti essent, fautore eorum et tutore occiso aut ipsos quoque trucidatos esse aut in vitae prioris privatae umbram et otium se recepisse. Et fortasse huius magnae rerum aulicarum mutationis mortem Xerxis subsequentis vestigium aliquod obscurum deprehenditur apud Plutarchum; qui de eo tempore, quo Themistocles ad regem Persarum confugit, ita scribit: *πολλῶν καινοτομουμένων περὶ τὴν αὐλὴν καὶ τοὺς φίλους τοῦ βασιλέως ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ* (Them. c. 29.). Si Ephoro, Dinoni, Clitarcho, Heraclidi fides habenda esset (v. Plut., Them. c. 27.), Themistocles ipsum Xerxem convenisset et verba illa Plutarchi ad historiam Hamanis et Mordechaei possent referri. Sed obstat auctoritas Thucydidis et Charonis Lampsaceni, qui The-

mistoclem tradunt non ad Xerxem sed ad Artaxerxem confugisse. Cum autem Thucydides hoc tempus ita circumscribat: *ἐσπέμπει γράμματα εἰς βασιλέα Ἀρταξέρξην τὸν Ξέρξου νεωστὶ βασιλεύοντα* (1, 137.), haud scio an non nimis temerarium sit, locum illum Plutarchi maxime de Mordechaei et Estherae potestate coercenda et tollenda interpretari.

Denique praeterire non debemus locum 10, 1., ubi Ahasverus narretur terrae et insulis tributum imposuisse. Hoc loco Schulzius utitur ad sententiam suam, Ahasverum esse Artaxerxem Longimanum probandam. Strabo enim scribit: *τὸν διατάξαντα τοὺς φόρους Δαρεῖον εἶναι τὸν μακρόχειρα* (15. p. 329.). Baumgartenius quidem vocem *μακρόχειρα* opinatur per incuriam librariorum in hunc locum irrepsisse (l. l. p. 244.). Hoc vero Schulzio non videtur sufficere, quandoquidem mox uberior Longimani sequatur descriptio, itaque existimat in locum Artaxerxis nomen Darii a librariis male sedulis inductum esse, vel Strabonem praeter Darium Artaxerxem quoque nominasse, hoc vero nomen intercidisse. Artaxerxem autem peculiarem vectigalium curam egisse ex Diodori l. II. probat. Hac ratione, ita pergit Schulzius, Strabo constaret Herodoto. Herodotus enim, ubi regiones tributarias tributumque singulis pendendum recenset, deinceps addit de alio tributo ex insulis et Europa proveniente (3, 96.). Auctor libri Estherae non de tributo, quod tantummodo terrae continenti sed et de tributo loquitur, quod insulis impositum est. Prius teste Herodoto a Dario imperatum est, posterius subsequente tempore accessit; hoc scilicet ab Ahasvero impositum, hic tributum a Dario imperatum confirmavit, auxit et ad insulas aliasque regiones protendit (l. l. p. 271. 272.). Subtiliter quidem haec ut plura alia a Schulzio disputata sunt, sed cum tota demonstratio coniectura de novo quodam tributi ab Artaxerxe impositi genere nitatur, hac ratione certa argumenta dilui non possunt. Primum enim satisne constat, loco nostro novum illud tributum indicari, de quo Herodotus loquatur (c. 96.)? Deinde cum ex Diodori non certo appareat, Artaxerxem ab insulis vectigal exegisse, cur non ipse Xerxes, qui per bellorum suorum fortunas adversas in maximas sine

dubio adactus esset angustias, ad thesauros insularum exhauriendos confugere potuit? Quamquam hic alia exoritur difficultas. Quomodo enim eo tempore, quo Graeci nuper tres victorias maxime insignes de Persis et duas quidem navales reportaverant, ab rege Persarum insulis tributum potuit imponi? At certa exstant testimonia, Graecos quamvis nunquam fere laetius res eorum florerent, in ipsa Asia vix aut ne vix quidem quidquam pristinae suae potestatis recuperasse. Narrant quidem Thucydides (1, 89.) et Herodotus (9, 103.) Iones et Hellepontios post pugnam ad Mycalen a Persarum imperio defecisse. Sed nullam aliam ob causam exercitus a Xerxe Sardibus videtur relictus esse, nisi ut has provincias reciperaret et tueretur (v. Diod. 11, 36.). Neque vero hunc exercitum otiosum fuisse ex iis apparet, quae de initio imperii Artaxerxis memoriae sunt prodita. Nisi enim provinciae illae a Persis iterum essent occupatae, quomodo Artaxerxes, ut primum imperium suscepit, oppida Lampsaci, Myuntis et alia Themistocli donare potuisset (v. Thucyd. 1, 138. Diod. 11, 57. Plut. Them. c. 29. Nep. Them. 10, 3. cfr. Kruegerus l. l. p. 224 etc.)? Deinde Herodotus narrat, tributum quod Ionibus Darii tempore impositum sit, suis etiam diebus a Persis exactum esse. Non insulae quidem, quantum equidem scio, sub potestatem Xerxis iterum redactae esse traduntur, sed cum regiones maritimae a Persis occupatae sint, coniici licet insulas quoque proximas potestati eorum cessisse. Sin autem hoc nimis videatur audax, alia patet via. Vox enim איים non omnibus locis insulas significat, „sed Hebraei praeterea,“ ait Gesenius (Thesaur. s. v.), „hoc nomine designabant terras maritimas mari meditarraneo adiacentes, quando quidem has praecipue navigando adire solebant Phoenices Ps. 72, 10, Dan. 11, 18.“ Hic usus vocis paulo negligentior inde videtur ortus esse, quod Hebraei neque maris neque insularum accuratam habebant cognitionem; ubi vero accurata deest cognitio, termini rerum similium et finitimarum obscurari solent. Hoc vero in nostrum scriptorem, qui vix dubitari potest quia in Asia interiori vixerit, magis etiam cadit, quam in ceteros Iudaeos in Palaestina degentes. Si autem illum sequimur usum in loco nostro interpretando vix opus est, ut moneamus,

quam egregie tum haec tributi mentio cum testimoniis illis de provinciis Asiae minoris Xerxis tempore recuperatis conveniat.

Postremum inter temporis indicia, quae in hanc quaestionem cadant, referri etiam possint nomina magistratuum, praefectorum et virorum nobilium. Et haec res maximi videtur momenti esse, si consideramus, Xerxis historiam inter Graecos esse celeberrimam et multa nomina eorum, qui sub illius imperii negotium aliquod egerint memorabile, apud scriptores Graecos circumferri. Quare videtur consentaneum esse, in utrisque de eodem rege monumentis nonnunquam certe ex iisdem nominibus et muneribus eosdem homines posse agnosci. Itaque ut ex hac quoque materia iustum formarem argumentum, nomina utrinque obvia perlustranda existimavi. Plures quidem reperi nominum similitudines, sed cum ex quaestione de Ahasveri nomine perspexerim, quam lubrica haec via esset, rem illam missam feci. Sed non possum, quin paucas criticorum opiniones ex hoc genere argumentandi afferam. Bertholdtius nomen הֵגַי, qui gynaeceo virginum praepositus fuisse dicitur (2, 8.), apud Ctesiam sibi videtur invenisse (p. 2424.). Ctesias (Pers. 24.) narrat quidem Hegiam quendam Xerxis tempore vixisse eumque Demarato, quem constat a Xerxe magnopere dilectum esse atque honoratum, adiungit, neque vero mangnam horum nominum similitudinem esse negari potest. Quare Iusti quoque et Iahnius hoc argumentum attulerunt. At vero haec species admodum fallit, nam ille Hegias a Ctesia Ephesius *) dicitur; hoc autem ab omni probabilitate alienum videtur, Graecum aliquem hominem eumque nobilem castrationis ignominiam sustinuisse et gynaeceo Persico esse praepositum. In tantam quidem suspicionem non incurrunt duae Hebraeorum nominum cum alteris Graecis comparationes, quas instituit Dereserus. Opinatur enim V. D. nomen Mardonii in historia Xerxis celeberrimum a nostro מַרְסְנָא, quod nomen uni ex septem regis consiliariis tribuatur

*) Apud Herodotum etiam Hegias quidam commemoratur (9, 32.). Hic frater Tisameni Eleus dicitur, et Lioni Ctesiae interpreti idem videtur esse, quem loquatur Ctesias, sed hoc admodum dubium esse opinor.

(1, 14.), nihil nisi forma diversum esse. Deinde comparat nomen הֲתָךְ, qui a rege Estherae datus eique omnium eunuchorum proximus fuisse traditur (4, 5. 6. 9. 10.), et Graecas formas *Νάταχᾶς* sive *᾿Ατακᾶς*, qui a Ctesia refertur plurimum omnium eunuchorum apud Xerxem valuisse (Dereser. p. 199.). Hae coniecturae habent quidem aliquam probabilitatem, sed argumentis haberi non possunt. Attamen equidem ea argumenta, quae supra exposuimus, ad id quod demonstrandum nobis sumserimus, Xerxem esse Ahasverum, efficiendum abunde sufficere censeo.

0657943

FORMIS EXPRESSUM PLOETZIANIS.

Corrigenda.

pag. 58. not. leg. הבירה.
— 66. lin. 4. des. leg. לראות.
— 68. — 10. des. pro quam leg. quo.
— 93. ult. leg. ὅσων.
— 94. lin. 2. des. leg. ὄμβρος.
— 112. — 16. des. leg. αἱ γυναῖκες.

Digitized by Google